

www.e-rara.ch

Clavis scripturae S. seu de Sermone Sacrarum literarum

Flacius, Matthias

Basileae, 1580[-1581]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-2505>

P

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ostendis mihi laborem? id est, pateris me in hisce tantis miserijs & iniurijs uersari. *Ostendere duces* contra solem, Num. 25: tametsi ibi non tam sit ostendere, ut Vulgata habet, quam simpliciter suspendere propalam. Ostendere Deum faciem suam nobis, est eum nos benigno uultu aspicere: seu, eum misereri nostri, nosq; liberare. Ostendere Deum misericordiam aut benignitatem alicui, est, ei re ipsa benefacere. Psalmo 85. Ostendam illi salutare meum: id est, feram illi opem. Psalmo 91. Sic & Rom. 3. Ad ostensionem iusticiæ suæ: significat realem exhibitionem. Eodem modo & manifestatio Spiritus accipitur. 1. Corinth. 12, pro exhibitione ipsius Spiritus, qui tamen ex externis donis cognoscitur.

O S T I U M, per metaphoram apud Hebræos perinde occasionem & commoditatem agendæ alicuius rei significat, sicut apud Latinos fenestra. 1. Cor. 16. Nam ostium est mihi apertum magnum & efficax, & aduersarij multi. Sic & Coloss. 4 usurpatur: Orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis, ut loquamur mysterium sermonis. Tamen hoc quidam referant ad apertionem oris Paulini: sicut illud Eph. 6, de quo dictum est supra in uocabulo Oris. Sic & 2. Corinth. 2, hæc phrasid usurpatur: Cum esset mihi ostium apertum per Dominum. Aperire gentibus ostium fidei, itidem per metaphoram alteri uicinam significat, eas admittere ad fidem. Apoc. 3, Ecce dedi ostium apertum coram te. id est, aditum ad placandum Deum, & ad pœnitentiam. Iohan. 10, Christus se uocat ostium ad oues. Et ait, Omnes eos esse fures & latrones, qui per hoc ostium non intrent. Est itidem metaphora. Causa eius est, quia per Christum habetur aditus tum ad cognitionem, tum & ad gratiam patris, & deniq; ad omnia dona spiritus, omnemq; ædificationem in Ecclesia Dei. Præterea nisi quis per Christum, eius doctrinam & passionem, ueniat ad pascendas oues, necessario eas perdit, siue sit tantum Legis doctor, siue etiam magis pestilentes doctrinas errorum afferat. Pone Domine custodiam ori meo, & ostium labiorum meorum conserua. Psal. 141. id est, Custodi ne quid impij dicam, aut cogitem saltem. Ostium uerborum tuorum illuminat, Psal. 119. id est, ipsa prima rudimenta doctrinæ tuæ multum lucis afferunt, nedum solida cognitio eius, seu (ut ita dicamus) intima adyta.

O V I S, per metaphoram significat hominem præsertim colentem Deum, tum in Veteri, tum & in Nouo testamento. Causæ huius figuræ, seu conditiones ac proprietates, quibus conueniunt, multæ sunt: placiditas & patientia, imprudentia aut stoliditas, præsertim in malis rebus, quia filij huius seculi sunt sapientiores quam filij lucis: quod facile utriq; nisi adsit cura pastoris, seducantur: quod uocem sui pastoris diligenter obseruent, ipsumq; pastorem quasi agnoscant & ament: quod perinde habent atrocem aduersarium. sitq; etiã inter lupum & Satanam utriusq; hostes similitudo: & deniq; quod perinde magna cura indigent: quodq; pij à Christo fouentur ac amantur, sicut oues solent à bonis pastoribus, præsertim in illis regionibus summa cura foueri, & quasi delicatissimè tractari. Sic & olim reges, pastores populorum sunt ab Homero & alijs uocati. Psal. 80, O pastor Israelis, qui ducis tanquã oues Ioseph Et præcedenti Psalmo habetur: Nos autem populus tuus & oues pascuæ tuæ. Psal. 119. Erraui sicut ouis amissa, quære me Domine Deus. Itaiæ 13: Et erit sicut ceruus & sicut oues dispersæ, & non est qui congreget. *Oues cibi & mactationis* Psalmo 44, Queruntur pij, se perpetuo cruci subiectos esse, & subinde alium post alium iugulari, ut oues ad mactationem & culinã destinatæ sine ulla misericordia alia post aliam mactantur & excoriantur. Christus Itaiæ 53, in sua passione ob

summam patientiam confertur cum oue, dum ligatur & tondetur patienter tacente. Contra impij, ob audaciam & impatientiam, petulantia, pastorisq; sui neglectionem, per hircos denotatur & depinguntur, Matth. 25. Dicitur aliquid etiã postea in uoce Pastoris, quod ad huius uocis explicationem faciat. Non raro in prophetis tantum ipsa epitheta ponuntur, nõ adiecto nomine ouis, sed solum subintellecto. Ezek. 34: Amissam quæram, propulsam reducam, contractam obligabo, ægrotam sanabo, scilicet ouem. *Lupos in ouillis pellibus*, uocat Christus seductores, foris uitæ honestæ simulatione & specie sanæ doctrinæ oues Christi lacerantes. Dicit eos foris quidem præ se ferre ouillam probitatæ, & professionem uocis cœlestis, cum sint intus lupi rapaces. Epistola ad Hebræos ait, pios olim oberrasse in solitudinibus, in pellibus ouillis & caprinis, malè tractatos & destitutos omnibus cõmodis: nimirũ qui ob furorem & perfequutionem tyrannorũ in solitudines aufugerunt, & ibi sese qualicumq; uictu ac uestitu miserè sustentarunt: quos sicut mundus indignos iudicauit qui apud se uiueret, ita reuera ille fuit indignus qui eorum officijs ac doctrina præsentiaq; frueretur.

O V A aspidum excludere, est impios iniustos ac sceleratos conatus in opus pducere. Sic propheta Itaias cap. 59, de sui temporis perditissimis moribus queritur, quod omnes illorum hominum, atque adeo etiam omnium renatorum cogitationes, actiones & conatus, fuerint & sint uel telæ aranearũ: id est, nullius momenti res: uel etiam oua aspidum, id est, res longè perniciosissimæ, quæ & per se sint plenæ ueneno, & tandè excludant basiliscum. Porro rex Assyrius gloriatur, se uniuersam terram spoliassè & rapuisse: sicut oua deserta, & ab aue matre nõn defensa, nullo negotio aut periculo ab inueniente auferuntur.

P



P A B V L V M, nota uox, significat cibum aut alimentum pecudum. Leuit. 3, Oblationes exurendæ dicuntur pabulum ignis, quia ignis etiam suo quodam alimento sustentatur. Dan. 4 dicitur de rege Nabuchodonosore in brutũ animal commutato, quod cum feris erit pabulum eius: id est, pascetur ut brutum, herba & folijs arborum.

P A C A T V S dicitur Latinis, qui alijs molestus ac infestus non est. Sed in Sacris, qui summa rerum suarũ tranquillitate, sine omni cruce ac calamitate securus uiuit. Ac plerumq; impium significat. Tales enim obliuiscuntur Dei & proximi. Iob 12. Ut lampas cõtempta est cogitationi pacati, qui paratus est ad lapsus pedis. pro, foelicis, & uiuētis in summa tranquillitate, qui miseros periclitantesq; negligit. Sic Psal. 63. Isti impij & pacati seculi multiplicant diuitias. id est, qui in hoc seculo securissima pace perfruuntur. Iob 23, Cũ pacatã reddiderit animam impij, pro, cum concesserit ei uiuere in summa tranquillitate. Dicitur tamẽ interdum & de pijs. Ierem. 30, Pacatus ac foelix erit, nec erit qui eũ exterreat. Fructus pacatissimus iusticiæ, Hebr. 12, pro pacifer, aut salutaris: Omnis castigatio in præsens quidem uidetur non gaudij, sed doloris, postea autem reddit exercitatis per eam fructum pacatissimũ iusticiæ. id est, commoda ingentia percipiunt honestæ ac piæ uitæ, aliorumq; bonorum.

P A C I F I C V S, post uocem Pacis exponetur.

P A C T V M uox maxima ex parte exposita est in suo synonymo. uoce *Fœderis*. dicitur aliquid de ea etiam infra in uoce Testamenti. nam in Hebræo est plerumq; una & eadem uox, nempe בְּרִית Berith: quod Interpretes uariè uerterunt: LXX crebrò *diabũlu*, quod Vulgata porro

porro Testamentum reddidit: Aquila, teste Hieronymo, *ovobiblu*. Quare iam tatum quasdam phrasas huius nominis exponemus. *Pactum salis*, significat pactum firmum ac inuiolabile, perduranq; uel etiam sacrosanctum. Ratio locutionis est, uel quia salita durant, & nō putrescunt: uel quia sal in omnibus sacrificijs adhibebatur, & porro pacta sacrificijs confirmabantur: ut pactum salis idem sonet ac sacrum, uel sacrificio confirmatum. Tali fœdere promittit Deus Aaroni & eius posteris, oēs leuationes sacrificiorum: Num. 18, ubi adiun-
 ctis uerbis quasi semetipsum exponit dicens: Statuto perpetuò pactum salis perpetuum sit coram Domino. Tali pacto etiam Dauidi tradidisse regnum Deus dicitur, 2. Par. 13, Non ne quod Iehoua dedit regnum Dauidi, illi & filijs eius pacto salis. id est, firmo ac immutabili, nempe tandem succedente ei Meschia. Aliquando pactum fermè propriè ipsas cōditiones pacti significat, nempe sacram doctrinam, ad quam nos in hoc pacto cum primis obligamus. Omnes semitę Domini benignitas, & ueritas custodientibus pactum eius, & testimonia eius. id est, mandata ac religionem eius. Sic supra in uoce *Fœderis* ostendimus, ipsum Decalogum interdum uocari fœdus. *Pactum pacis*: Num. 25, Ecce do Pineæ sacerdoti pactum pacis. id est, pactum aut promissionem, quòd uelim ei eiufq; posteris dare pacem in ea dignitate, non perdere eos, aut mouere locum citò. *Ingrèdi pactum*, idem quod inire fœdus cum aliquo. Ezech. 16. Et ingressus sum pactum tecum. id est, inij conjugale fœdus. Sic 2. Par. 15, Venerunt in pactum, quòd quærerem Deum patrum suorum. Idem est etiam *transire in pactum*. Deuter. 29. Ut transeas in pactum Dei tui, & iurandum eius. *Pactum cum die & nocte*, pro ordinatione Dei, ut sit dierum ac noctium perpetua uicissitudo. Hierem. 33. Si potestis dissoluere pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit amplius dies ac nox in tempore suo: etiam pactum meum cum Dauide seruo meo soluetur, ne sit ei filius, qui regnet in solio eius: & pactum meum cum Leuitis & sacerdotibus, ne sint innumerati. Eandē phrasin & paulo post repetit: ubi priore loco pactum significat ordinationem Dei, qua motus cœlorum & temporum constituit, & ueluti cum eis conuenit, ut currat secundum normas ipsis præscriptas. Posteriore uerò, promissionem factam Dauidi, de perpetua successione posterorum, præfertim Meschiæ. Deut. 5, Dominus Deus noster percussit nobiscum fœdus in Horeb. non cum patribus nostris Dominus pepigit pactum istud, sed nobiscum: nobiscum inquam, qui hodie hic uiuimus. Monet Moyses de instauratione fœderis facta, ut ostendat, illos tanto magis obligari ad id fœdus seruandum. Qui pepigerunt pactum meum super sacrificio. pro, inierunt fœdus adhibito sacrificio. Psal. 50. *Polluere pactum*: Psal. 55. Misit manum in pacificos suos, & profanauit fœdus suum. id est, facièdo contrà ueluti rupit, uiolauit & profanauit fœdus quod debebat ut sacrosanctum seruare. Sic Hebr. 10 legitur: Qui sanguinè fœderis, per quem sanctificatus fuit: profanum duxerit. Sic Psal. 89 Deus loquitur. Non profanabo pactum meum, & quod egressum est de labijs meis non mutabo. Idem bis diuersis uerbis dicit. Fœdera enim dum seruatur, pro sacrosanctis haberi uidentur: at cum uiolantur, contemni & nihilipendi, ut res nullius momenti, profanaq; uidentur. Præcepit in seculum pactum suum, Psal. 111 id est, ordinauit, sanxit, promisit, ita ut sit perpetuò ratum ac firmum. dicitur idem etiam pactum seculi, Gen. 17. Renunciauit uobis pactum: id est, conditiones pacti, Deut. 4. *Pactum statuere*, Gen. 6, & Leuit. 26. pro ratum ac firmum habere, & præstare quod quis in pacto aut fœdere promisit. Pactum aut fœdus cum lapidibus, Iob 5: supra in uoce Fœderis exposui. In pactum

transire & uenire idem sunt ut paulo antè ostendi. Cre-
 do uerò phrasin esse sumptam ab illo ritu, qui Gen. 15, & Ier. 34 describitur, ubi fanciētes fœdus pertransibāt inter dissecta animalia. Sic Macedon. reges, teste Liniio & Curtio, obligabant sibi suos exercitus. Alias huius uocis phrasas uide in Fœdere. cum enim una eademq; sit uox Hebræa, nihil huc refert, siue per pactum, siue per fœdus exponatur. Dicitur uerò de hac uoce & re, etiā in uocibus *Sacramenti & Testamenti*.

PÆDAGOGI metaphora Gal. 3 non est obscura, ubi dicitur Lex fuisse pædagogus in Christū: quia tum ceremoniæ ac sacrificia, totusq; ille externus cultus Christum ueluti pinxit, aut digito ostentauit: tum etiā ipsa lex moralis, ostendendo morbum, medicum quæ-
 rere iussit, & adducendo in desperationem de sua operaria iusticia, aliam aliquam gratuitam iusticiam & seruatorem quærendum esse indicauit.

PAGINA, aut Pagella, uel etiam *Tabella*, reperitur Ierem. 36: quòd cum coram rege essent lectæ tres aut quatuor pagellæ in uolumine Ieremię, concerpserit & exusserit illud rex. Putant ergo ibi poni pagellas quasi potentialiter pro tanta quantitate textus, quanta contineri queat in tribus aut quatuor pagellis: quia in uolumine, ut fuerunt illa Hebræa, tantum una perpetuò cohærens membrana tereti ligno superinuoluta, non sunt paginæ. Posses tamen deletas tabellas metaphoricè accipere, de columnis, quę in tali uolumine esse solēt, ut lectio sit facilior, nec sit infinita linearū lōgitudō.

PALATVM, sicut & *os, labia ac lingua*, non rarò pro sermone ponuntur: ut solent aliquando instrumenta per metonymiā, pro ipsis rebus aut actionibus poni: Prou. 5, Lenius est oleo palatum extraneę. pro, mollior ac blandior est sermo eius quauis re longè mollissima. Sicut proximè præcesserat, Labia eius stillāt mel. *Dare ad peccandum palatum*: Iob 30. Non dedi ad peccandum palatum meum, ad petendum in maledictione animā eius. id est, Non sum passus, ut os meū alijs dira imprecādo peccaret. *Palatum gustat cibum*, pro, ipsius munus est, iudicare de saporib. Iob 34, Auris probat sermones, & palatū gustat cibum. *Linguam ad hærere palato*, est prorsus ac extremè debilitari, cum iam uel oēs uires desint homini: uel etiā humor in ore ita deficit, ut lingua quasi adglutinetur siccitate palato: ut etiam in puluere & siccitate oris in magno æstu experimur uel beneualentes. Id malum Pfaltes sibi imprecatur Psal. 137, si Hierosolymę obliuiscatur. Sic Christus de sua passione queritur Psal. 22, & uates in Threnis queritur de sui populi extrema miseria, adeò ut etiam lactentium lingua palato hæreat: quod indicat, tum matres ob famem lacte, tum infantes omni oris humore destitutos esse. Porro, hæc eadem phrasin Ezech. 3, significat mutum reddere, inquit enim ibi Deus ad prophetam, Linguam tuā faciam hærere palato tuo, ut obmutescas, & nō sis eis in uirum arguentem. Et mox subiicit, Aperiam os tuum. Similis ferè est illa locutio Poetæ, *Vox faucibus hæsi*: nisi quòd ibi ex metu illud silentium oritur.

PALEA, cum propter suam inanitatem, quia caret ueris ac bonis granis: tum quia solet separari accuratè à tritico: tum deniq; quia exuri solet, per metaphoram impios significat. Matth. 3, Luc. 3, nam eæ tres proprietates etiam in illis sunt: species inanis sine rei bonitate, distinctio à bonis in extrema die, & deniq; ultimum æterni ignis exitium. Quia etiam palea ob suam leuitatem facillimè à uento tollitur, & temerè quocunq; in aquas aut solitudines abijcitur, ubi cōputrescat: ideo sæpe impiorum interitum etiam temporarium depingit. Iob 21, Erunt impij sicut palea coram uento. Sic & Psal. 1: Erunt sicut palea aut gluma, quam proijcit uentus. Vide infrà uocem **STIPVLA**. Aliquando falsam doctrinā, aut alioqui humanas opiniones sua uanitate exprimit.

exprimit: ut cum Paulus 1. Corinth. 3 dicit, aliquos super fundamentum Christum extruere scænum, paleas aut lignum. Et Hierem. 23 iubet Deus separare uerbū suum ab humanis figmentis, inquit: Quid tritico cū paleis? id est, uerbo Dei cum uerbo hominum. Leuiathan reputat ferrum ut paleam, Iob 41. id est, perinde non potest ferrum penetrare eius squamas, ut si esset palea. Leo paleas, ut bos, comedit: Isaiæ 11, & 65: quo indicatur pax futura in regno Meschiæ, & etiam pacatus animus, deposita q̄ feritas conuersorum: quia leo uiuit ex præda, & deuorat alia animalia. Sæuitiam igitur & latrocinium malorum exprimit. Sed postea commutata uita innocuus alimento paleæ utetur, ut bos. Linire luto absq; palea, ut Vulgata uersio habet Ezech. 13, est, inani consolatione ac sine uerbo Dei fouere ac solari populum, eumq; securum reddere imminente ruina pœnæ. Nam lutum sine paleis cum inter se non optimè cohæreat, facillè decidit, atq; ita paries denuatur & cadit.

PALLIUM pilosum, olim erat uestitus prophetarum. Falsi igitur Prophetæ, ut etiam ipso uestitu simplicioribus imponerent, eodem uestiebantur. Eos igitur tempore Meschiæ patefaciendos, redarguendos, & confundendos esse, prædicit Zacharias cap. 13 inquit: Et erit in die illa, confundentur Prophetæ, unusquisq; à uisione sua, quam prophetauit, & non induentur pallio piloso, ut mentiantur. Sic etiam philosophi & eorū simiæ pallia gestabant. Volenti auferre tunicam, etiam pallium concedendum esse, Christus docet Matth. 5. id est patienter multas & magnas iniurias perferendas esse: quia & scandala sint canenda, quæ ex rixis oriuntur: & ea natura sit regni Christi, ut ciues eius conformari domino suo oporteat. Sunt autem omnes illæ locutiones prouerbiales, quæ non simpliciter & ad uerbum intelligendæ, accipiendæ ac præstādæ sunt: quod uel ex prima earum (Si quis te percusserit in dextram maxillam, obuerte ei & sinistram) liquidò animaduerti potest. Significat enim hoc præceptū, patienter multas iniurias ac contumelias esse perferendas.

PALMA, arbor est, ferens dactylos, suaues & salutare fructus. Eius naturam eam esse tradunt scriptores, ut quanto magis pondere deorsum trahatur, tanto erectior crescat: eoq; symbolum esse solet infra & aut inuictæ uirtutis, & etiam uictoris, unde tot phrasæ Latinæ ab hac uoce ductæ. Hoc etiam illo Virgiliano uersu declaratur:

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Solet & uictorum & martyriū picturis ac statutis addi. De ea & Psal. 92 canit, Iustus ut palma florebit. Et Apocal. 7, Et palmæ in manibus eorum. Aliqui ob perpetuam uiredinem hoc dictum esse putant. Fortè etiam ob similem bonorum fructuum fertilitatem palmis cōparantur. De natura autē palmæ uide Gell. lib. 3 Noct. Attic. & Problemata Aristot. ac Plinium, & Dioscoridem. *Palman interuertere*, conuertit Erasmus Col. 3. De quo loco dixi in uoce *Brauium*.

PALMAS *Leuare*, aut manus, precantium gestus est. Psal. 44, Si expandissemus palmas nostras ad deū alienum. id est, si inuocauimus, aut adorauimus idola, seu falsum cultum.

PALMVS, pro breui mensura ponitur. Isaiæ 40. Quis mensurauit pugillo suo aquas, & cælos palmo mensurauit? id est, facile metitus est ut omnipotens, sicut homines rem paruam palmo metiuntur. Sic Psal. 39. Ecce palmum posuisti dies meos. id est, breue tempus uitæ mihi das, sicut breues sunt res quæ palmo mēsurari queunt. Aliqui uertunt pugillos, quod idem est. *Leuare manus* ad præcepta Dei, alij exponūt de obedientia re ipsa mandatis Dei præstāda, quod Latini & Græci dicunt Manus admouere: alij de gestu usitato erga

rem ualde desideratam ac charam. Letabo manus ad præcepta tua quæ dilexi, & meditabor in statutis tuis. Psalmo 119.

PALMES, est germen cuiuscunq; arboris aut arbuti. Per metaphoram significat filios aut posteros. Isaiæ 25. Sicut æstus in deserto tumultum alienorum humiliabit: æstus in umbra nubis palmitem tyrannorū humiliabit. Id est, posteros tyrannorum perinde affliges, ac grauis æstus palmitem in loco arenoso ac sicco exhaustum incuruat, & flaccidum reddit. Vicina est huic metaphora, quod Christus Iohan. 15 dicit se quidē esse uitam, Apostolos pioſq; alios palmites, & cœlestem patrem suum agricolam: qua metaphora ac similitudine inter alia etiam docuit Dominus, nos perinde nihil sine ipso posse, omniaq; ab eo habere, ut palmes nascitur ex uite, alitur ab ea, & omnem fructificandi uim ab ea percipit, ita ut & esse suum, & omnem bonam uim agendi ab ea sola habeat. Sic & pij tum nascuntur ex Christo, aut ad bona opera conduntur: tum & omnem suam fructificationem soli huic uiti debent, antea non tantum mortui existentes, sed etiam prorsus contrariā uitam agentes.

PALPARE, aliquando significat sensum tactus habere. Psal. 114. Manus habent, & non palpabunt pro, idola sensu tactus destituuntur. Gen. 27 dicitur Isaac palpasse Iacobum, ut sensu tactus cognosceret, an esset uerè pilosus, ut Esau. ubi palpate idem est quod contractare. Sic & Lucæ 24, cum Christus ad Apostolos inquit: Palpate & uidete quia spiritus carnem & ossa non habet. *Tenebræ palpabiles*, Exod. 10 non ideo dicitur, quia cum in eis oculis uti non possis palpando aut contractando res cognoscendæ sint: sed quia fortè illæ Ægyptiæ tenebræ fuerunt ita densa quadam caligine ac nebula condensatæ, ut reuera tactu deprehendi potuerint. *Palpare in meridie*, est spirituali quadam mentis cæcitate ferri, ut quæ manifestam & conspicuam ueritatem uel in dogmatibus, uel etiam in agnoscēda ira ac pœnis Dei imminētibus, uel alioqui in rebus agendis cernere nequeat. Deut. 28. Percutiet quoq; te Dominus amētia, cæcitate & stupore cordis: eris palpans in meridie, sicut palpat cæcus in tenebris. Eadem phras, ac in eadem significatione, est etiam Iob 5, 12, & Isaiæ 59. Vide locum Isaiæ. nam is prolixè istam palpantem cæcitatē depingit.

PALPEBRÆ, idem quod oculi significare figuratè crebrò solent. Psal. 11. Oculi eius uident, palpebræ eius probat filios hominum: idem bis dicit. id est, Deus probè nouit & expendit, quā prauī sint filij hominū contra pios. Prouerb. 4. Oculi tui ad rectum respiciāt, & palpebræ tuæ dirigant coram te, subintelliges, uiam tuam. id est, uide ut summa cura piè uitam tuam instituas. Non dare oculis somnum, & palpebris dormitationem, donec, &c. est, summo studio & attentione aliquid maturare. nec ad uerbum planè accipi debet, sed per hoc signum, sedulum ardēsq; studium intelligitur. Psal. 132. Si dederō somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationē, donec inuenero locum Domino, & tabernacula magnifico Iacob. id est, non conquiescam, donec extruxero templum Domino. Sic Salomon præcipit, ne conquiescamus, donec nos ex temerè suscepta fidei uisione explicemus: iisdem uerbis ac locutionibus utens. *Palpebræ auroræ*, pro radijs matutinis. Iob 41. Oculi eius sunt ut palpebræ auroræ. Depingit oculos Leuiathan ignitos & fulgentes. Iob 3. Non uideat palpebras auroræ nox illa. id est, non habeat finem serenum ac lucidum, ex oriente in cælo claro aurora & sole. Sic maledicit nocti, in qua natus erat.

PALVS, *σύνολο*, lignum præacutum: à Paulo de quæpiam spirituali calamitate 2. Corinth. 12 usurpatur: ubi alij aliter eam uocem uertūt & exponunt, alij stimulū,

alij furculum. Videtur autem omnino Paulus respexisse ad illud atrox & apud ueteres ualde usitatum genus supplicij, quo rei palo infigebantur, inserto per posteriora, & emergente per humeros aut scapulas: quo etiam nunc Turcicos plagiarios in finibus Christiani afficere solent: in quo si palus non uulneret cor aut arteriam tracheam, aliquando etiam per biduum aut triduum infixi uiuunt. Tale quodpiam durum supplicium se circumgestare Paulus ibi indicat, siue fuerit aliqua praua concupiscentia, siue aliqui terrores ac perturbationes conscientię, siue quicquid demum eiusmodi triste & acerbum. Neque enim facile est diuinare aliquid certius: uerisimile tamen est fuisse aliquos ueteris Adami improbos motus, quibus Deus Paulum coarguere uoluit innatę malicię, ne putans se adeo sanctum iustumque esse, insolesceret. *Paxillus*, diminutiuum a palo. Sępe fit huius uocis mentio in Sacris literis, cum in propria, tum & in metaphorica significatione. Proprię autem acceptę duo aut tres primarij sunt usus eius rei: primum, in distendendo tentorio circumquaque paxilli terrę infiguntur, ad quos alligantur funes distendentes tentorium. Inde crebra est mentio paxillorum & funium, item paxillorum tabernaculi, in Sacris literis. Secundõ iubentur Israelitę Deut. 23, gestare paxillum in baltheo. id est, acuminatum lignum, quo egesta stercore terra obruerent. Postremõ *paxillus*, aut *clauus*, uel ligneus uel ferreus, infigebatur parieti, ut in eo uarię res quotidiano usu necessarię suspenderentur, quod, cum opus eis esset, ad manum haberentur. Sic Isaię 22, Elia kim thesaurarius per metaphoram uocatur paxillus in loco fideli aut firmo a Deo infixus, de quo omnis generis pulchra ac utilia instrumenta suspendenda sint: cuius tamẽ tandem fractione, id est, morte, omnia illa instrumenta sint casura, & confringenda. Quia metaphoram aut similitudine indicatum fuit eius regimen, deposito impio Sobna, salutare regno Iudaico futurũ, eiusque interitu magnum damnum uenturum, quod tanto gubernatore essent destituti. Zach. 10 prædicantur ex pulpulo Iudaico prodituri anguli clauis, arcus & exactores, qui sint aduersarij debellaturi. ubi per angulos intelliguntur summos doctores, quales fuerunt Apostoli: per clauos uerõ, inferiores doctores, quorum opera ministerioque expugnatus & debellatus est mundus.

PALUS, paludis, nihil admodum obscuri in Sacris literis habet, nisi quod Ierem. 51, ubi modus capiendę Babylonis prædicatur, legitur, Paludes exustę sunt: quia scilicet Cyrus auerso paulisper Euphrate in quendam ueterem lacum, aut iam neglectam lacunam, per alueum eius arefactum in urbem noctu intrauit. Ideo inquit ibi Propheta: Cur sor ob uiam cursori currit, & nuncius obuiat nuncio, ut nunciet regi, quod capta sit ciuitas eius ab extremitate, & quod uada occupata sint, & exustę paludes, &c. Et mox dicit Deus: Ego arefaciã mare eius, & exiccabo fontem eius. Vnde rectius uerba Prophete intelligi queunt, quę a multis malè exponuntur. In illa exiccatione aluei proculdubio etiam prophetia Ieremię contra Babylonem reperta est, quã iubet Propheta Seraiam perlegere in Babylone, & alligato lapide in medium Euphratis abijcere, nimirũ diligenter inuolutam, ne læderetur ab aqua. Qua ratione tanto magis Israelitarũ Deus pro uero agnitus est. Est uerõ hic notandum etiam illud, quod Diodorus Siculus in suis Antiquitatibus in eo correspondet Ieremię, de perfecta euerfione eius Babylonis quę tunc fuit: quanquam alij Historici diuersum scribere uideantur. inquit enim Diodorus Siculus lib. 3, cap. 1, suę fabulose Historię: Quę omnia postmodum Persarum reges subripuere, regię & reliqua ornamenta, tum tempore consumpta sunt, tum ab hominibus deleta. Ipsius quoque Babylonię parua quędam portio superstat, maxi

ma parte inter mœnia cultui agrorum exposita, procul dubio & illa ipsa pars fuit postea demum nonnihil instaurata. Idem historicus consonat etiam in illa parte cum Ieremia, Daniele, & alijs Historicis, quod affirmat tunc regem Babylonis solenne conuiuium instruxisse. Quinetiam addit Diodorus, fuisse sacrum conuiuium, seu in honorem deorum celebratum: ut nõ sit mirum, eos uero ac uiuo Deo Israelitarum, tunc Satana suos cultores impellente, maledixisse, & eius uasis abufos, tanquam nimirum uictõ a suis idolis, ut Daniel refert. Inquit enim Diodorus: Hęc Sardanapalus ignorans, memor superioris fortunę, ad hilaritatem profusus, epulum militibus ex sacris, uinumque abunde præbuit, aliaque epulo accommodata. His intentis, Assyrius Arbaces, qui per transfugas hostium in castris negligentia (ut qui uino ciboque grauari, somno quietique indulgebant) norat, noctu castra hostium expugnauit, atque acie instructi incompositos, parati imparatos adorti, multis interfecit, &c.

PANIS, *pan*, *lechem*, a comedendo aut consumendo dictus, per synecdochen significat omnem cibum. Cui aliquando additur nomen Aquę, aut etiam uini, quemuis potum denotans. Gen. 43. Non poterunt Aegyptij cum Hebręis comedere panem. id est, cum eis comedere. Sic fortẽ posset de omni cibo intelligi Psalmus 104. Panis fortificat cor hominis. Qui comedit mecum panem, sustulit contra me calcaneum suum: Io hannis 13. Sic 2. Regum 6. Pone panem & aquam coram eis, ut comedant. id est, cibum & potum. Quare mox sequitur, Fecit eis conuiuium aut prandium magnum: ut facile intelligas, Regem eos uarijs cibis commode excepisse, iussu Prophetę. Sic Melchisedec esurienti & defatigato militi Abrahę depromit panem ac uinum. Innumera sunt planẽ huius phraseos exempla, lautum uictum significantia. ut 2. Sam. 9 dicit Dauid ad Mephibosech filium Ionathę: Tu comedes panem in mea mensa semper. Et Ierem. 52 cap. dicitur rex Ioachim comedisse panem semper in mensa regis Euilmerodachi: ubi proculdubio per panem lautissimus uictus intelligi debet. Sic & Iob 42, Comederunt panem in domo Iob. de lauto conuiuio intelligendum est. Aliquando tamen etiam tenuiorem uictum uidetur significare: ut cum Isaię 4, tristi tempore septem mulieres dicunt, Panem nostrum comedemus, & ueste nostra induemur, &c. Comedere me facit panem, 2. Sam. 13, id est, porrigit mihi cibũ. Aliquando, ut præsertim in oratione Dominica, significat omnia necessaria huic uitę, cum petimus nobis dari panem quotidianum: id est, res omnes quotidianę uitę necessarias. Ceterum uox Quotidianus panis, mox suo loco exponetur. Gen. 3, In sudore uultus tui comedes panem. id est, uictitabis. Ratio locutionis huius est in synecdoche exposita, quod uidelicet Hebręi soleant unum aliquod uel maximẽ principale, uel etiam ceteris magis conspicuum, pro tota specie, aut alioqui pro omnibus partibus ponere. Sed ad eam illud quoque adijce, quod etiam nunc in multis locis ac regionibus plus utantur pane in uictu, quã in Germania, ubi simul plura fercula apponi solent: cum alibi sepe tantum unicum ferculum, aut aliquid paxillum obsonij pani adijciatur. Simili tamẽ modo Germani hac uoce utuntur, cum dicunt, *Einem das brott fur dem mau* *vueckschneiden*: oder, *Ebr kan sein brott vuoler vuerben*: id est, necessaria uitę. Panis per metaphoram significat Christo, spirituale alimentum, Iohan. 6. id est, meritum ac passionem corporis sui, seu iusticiã, ab eo obediendo & patiendo præstitã, quibus perinde alitur anima nostra ac uiuificatur, ut corpus pane. Vocat uerõ ille semet suumque corpus panem cœlestem, quia secundum utramque naturam est noster mediator & seruator. Comedere autem eum panem, est (expo-

nente ibidem ipfomet Domino) credere in eum, eo' ue fide frui. *Panis celestis*, aut *angelorum* ibidem, uocatur etiã Manna Israelitis olim datum: quia perinde eos aluit, eis' ue loco panis fuit. Metaphora igitur est. Panis interdum etiam res consumptibilis, aut quæ prorsus in nostra potestate est, dicitur. Sic hostes suos Israelitæ nominant, Num. 14, quos se facile uicturos sperabant: Ne timeamus populum terræ, panis noster sunt, id est, facile uincemus & absumemus eos, perinde ac si esset panis noster. Non est hæc metaphora dura, utpote qui- 10 bus gladius & hostis uastans comedere dicantur lacham מלחמה & milchama, comestio bellum, quia est omnium rerum cõsumptio ac uastatio. *Esurire panem*: pro, caritatem annonæ perpeti. Ierem. 42: In qua terra non uidebimus bellum, & panem nõ esuriemus. *Venire ad panem*: id est, ad mensam, ad fumendũ cibum: 1. Sam. 20. *Panem mittere super faciem aquarum*, Eccles. 11, aliqui de largiẽda pauperibus eleemosyna, aliqui de maritima negociatione exponunt, quod tales negociatores uictũ opesq; suas mari credant, ueluti seminãtes eas spe me- 20 tendi lucri. *Panis absconditus*: id est, in abscondito ac iniuste paratus. Intelligo de omnibus iniuste partis. *Pro uerb. 8*, intelligitur de adulterio, inquit enim ibi adultera: Aquæ furtiue dulces sunt, & panis clandestinus, Talis est naturæ nostræ peruersitas: sicut & Poeta dicit, Venerem gaudere furtis. Sic & mox 20 dicit: Suauis est panis mendacij Omnia nimirum iniusta nobis magis sapiunt. *Panis afflictionis*, aliquando significat uictum tenuem, aliquando difficulter paratum, aliquando etiam in memoriam afflictionum sumptum. Deut. 30 16. Septem diebus comedes cum illo infermentato panem afflictionis, pro, renouantem tibi memoriam afflictionum Ægyptiarum. *Panis doloris*, Psal. 127, Frustra est uobis comedentibus panem doloris, id est, magnis curis, laboribus ac cruciatib; partum: cũ læto animo, hilariq; spe, reiecto mœrore ac dolore, deberetis à Deo expectare uictum, laborantes interea quantum possentis. *Panis arctus*, pro tenui, aut malignè præbito uictu, 1. Reg. 22, pane arcto, & aqua arcta, aut afflictionis, iubet Achab cibari Michã, donec incolumis reuertatur. Sic Isaiæ 30: Dabit Dominus panem afflictionis, & aquam tribulationis, id est, charitatem corporalis & spiritualis alimenti. *Panis Asser* de terra pingui, Gen. 49, id est, fruetur fertili solo. Panis aliquando oblationes significat. Numer. 28: Panem in oblationibus meis custodietis: id est, rectè ac legitime offeretis. *Panis pro anima*, id est uictima, Oseæ 9. Panis eorum pro anima eorum non ueniat in domum Dei, id est, sacrificia quæ offerunt pro expiatione animæ, non erunt grata acceptaq; Deo. Malach. 1, Panis Domini uilis, id est, adeps 50 offerendus Domino. *Panis facierum*, Exod. 25 describitur. Dicitur autem fortè ideo panis facierum, quia coram Domino, seu coram facie Domini propositus stabat. ideo eriam Septuaginta & Vulgata uerterunt, *panes propositiuorum*. *Panis hominum*, Ezech. 24, significat cibum in luctu ab alijs missum. Vetatur enim ibi Prophe- ta lugere uxorem morituram. Cæterum forma funebris luctus illius gentis ita describitur, quod soliti sint non uti coriaceis calceamentis diebus 30, nudis pedibus efferre & comitari funus: flebantq; & lamentaban- 60 tur, suam miseriam deplorantes, & mortuum celebrantes clara uoce. Os tegebant panno lineo, & caput inuoluebant, præsertim in publicũ prodeuntes. Aliquot uerò ex prædictis ritibus, etiam in nominato Ezechielis hoc loco notantur. *Panem impietatis comedere*, Pro- uerb. 4: id est, impiè quæsitum: sicut Cicero dicit, qui scelere & maleficio pascuntur. *Panis lachrymarum* dicitur, quasi lachrymis commixtus: cum tanta est uis calamitatum ut etiam inter edendum flere ac lachrymari cogamur. Psal. 8, Pauisti eos pane lachrymarum, & po-

tasti eos lachrymis copiosis. *Panis mendaciorum*, significat uictum ac commoda fraude quæsitum. Prouerb. 20, Suauis est panis mendaciorum, sed postea replebitur os eius lapillis. Sed cap. 23 significat alimentum non firmum, uel potius insincero animo traditũ. *Panis pigritiæ*, pro uictu qui ignauis contingit. Prouerb. 31 dicitur de muliere forti, quod panem pigritiæ non comedat: id est, non uictitet ociofa sine labore, uictu ab alijs partofucorum instar fruens. *Panis & aqua baculus*, fulcrum, aut sustentaculum: id est, necessaria copia: quia perinde falciat hominẽ uictus, sicut scipio. Leuit. 26, Dum confregero uobis baculum panis? Sic Ezech. 5. 14, & sæpe aliàs, Deus minatur se ablaturũ esse baculum panis & aquæ: id est, necessariam copiam aut alimentum. *Panem abire* de uasis, pro deficere ponitur, 1. Sam. 9. *Panem alicui dicere*, est, ei uictum constituere. 1. Reg. 11. *Panẽ dare*: Dominus uisitauit populũ suum, dando ei panẽ: Ruth. 1. id est, copiam & uilitatem frugum, donatis largis prouentibus, eis tribuerat. Frange esurienti panem tuum, Isaiæ 59. id est, distribue pauperibus eleemosynas. *Panis de celo*: pro, cœlesti. *Panis uitæ*: id est, uiuificus. Iohan. 6. Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod progreditur ex ore Dei, id est, non tantũ istis usitatis cibus, & alijs commodis ac præsidijs homo sustentatur ac fouetur, etiã in ista corporali uita, ne dum in spiritali: sed potest & solet Deus mirabiliter præter & cõtra secundas causas hominem sustentare, etiam si deberet ei cœlitũ uictum pluere, ut Israelitis Manna & carnes. *Panis uerus* dicitur Christus Iohan. 6. non ratione substantiæ, quod sit re ipsa uerus panis: sed ratione effectus, quia uerè ac efficaciter, & ad illam ueram perpetuoq; perdurantem uitam alat. Sic etiam ibidem aliquanto post dicit, carnem suã uerè esse cibum, & sanguinem suum uerè esse potum. *Panis filiorum*, Matth. 11, & Mar. 7, significat panem filijs debitum, conuenientẽ aut necessarium, quo filij alendi essent. Nõ intelligitis, nec meministis illos quinq; panes, & septem panes: id est, illius satiationis tot milium hominum, paucis panibus factæ? Rem, pro adiuncta actione ponit. Panis quem frangimus, nõne participatio corporis Christi est: & poculum quod benedicimus, nõne participatio sanguinis Christi est? Vbi, panis quem frangimus, & poculũ cui benedicimus, idem prorsus ualer, ac panis fractio seu esus, & poculi haustio. Eam igitur dicit esse participationem, aut comestionem & haustionem corporis & sanguinis Domini. Argumẽtatur enim nõ ab ipsis elementis per se, sed à sumptione illorum: sicut mox dicit, Nõ potestis poculum Dñi bibere, & poculũ dæmoniorũ: m̃sã Dñi participes esse, & m̃sã dæmoniorum. *Panem in regno Dei comedere*, est, æterna uita frui: Luc. 14, Beatus qui comedit panem in regno Dei.

PARABOLÆ uoce multũ utitur Nouũ testamentum, & etiã Vulgata uersio in ueteri. Dicitur aut de uoce Prouerbij, Parabolæ, Allegoriæ, Ænigmatis, & uicinarum, in Generalibus Regulis. Hic tantũ hoc breuiter obseruatur, quod significat, sententiã aut doctrinã similitudine aliqua aliarũ rerũ uestitã ac propositã. *ῥαβδολογία*, significat duas diuersas res simul collocare, aut cõferre: Ideo Cicero reatẽ uertit *ῥαβδολογία*, collationem. Hebraicũ quoq; מַשַּׁל *masal*, significat similitudinem. Tametsi etiã dominari interdũ notet, ut possit uideri indicare dominantem sententiã, *לוגיון ῥαβδολογία*, celebre & quasi authenticũ dictũ, aut uitæ regulã. Nõ raro tamẽ etiã significat hæc uox tum celebrẽ, tum & obscuram aliquã sententiã, tum deniq; aliquã grauẽ aut magni momenti orationem. Sententiosa dicta ac præcepta Salomonis, Parabolæ מַשַּׁל Mistle dicuntur, quia crebrò uel similia uel dissimilia eis addita sunt. De graui ac serio sermone hæc exempla accipi possũt Iob 27, Addidit Iob assumere parabolam suam, id est, serium sermonem,

fermonem, & de magni momenti rebus. Sic Num. 23 & 24, Balaam dicitur assumpsisse parabolam suam: id est, magni momenti sermonem, & diuinam prophetiã de rebus uenturis longè maximis. Isaiã 14. Quomodo cessauit exactor, & cessauit aurum tributarium. ubi illam piorum lætam cantionem, beneficij diuini celebrationem, & cõtra impios insultationem uocat Prophetam parabolam. Eodem modo de grauisima doctrina accipitur. Psal. 49, Inclino ad parabolam aurem meam, Aperiam in cithara ænigma meum. id est, proponam longè grauisissimam doctrinam, quam & ipse simul audiam, seu erudiendi causa non alios tantum, sed & memetipsum. Sic rectè de graui doctrina & mirabilibus uetustatis diuinę prouidentię historijs accipi potest, quod Psal. 77 dicitur: Aperiã in parabolis os meũ, & eloquar ænigmata antiqua. ubi tamen nihil parabolicum aut ænigmaticũ est. Significat & grauem lamentationem, aut querelam. ut Mich. 2. In die illa assumet lamentator super uos parabolam, & lamentabitur lamentum lamentatione dicendo. In parabolam esse, dari aut statui, est, fieri fabulam uulgi, ab omnibus derideri, & uarijs disterijs exagitari. Ierem. 24: Dabo eos in malum & omnibus regnis terrę in opprobriũ, in parabolam, in fabulã & maledictionem in omnibus locis, ad quæ expulero eos. pro, omnes eos deridebunt, subfannabunt, disterijs ac scommatibus exagitabunt, & deniq; eorum calamitates in maledictionibus aut deuotionibus usurpabunt, imprecantes aliquibus malũ. Sic esse in parabolam & fabulam dicitur Deuter. 28, & 1. Reg. 9. Iob quoq; de semetipso inquit cap. 27, Statuit me in parabolam populorum. id est, effecit me fabulã uulgi, ut omnes me falsis & acerbis disterijs proscindant & lacerent. Idẽ ualet hæc uox & locutio Habac. 2. Non ne omnes isti parabolã sument super eum, & sermonem ænigmaticum? id est, omnes ei insultabunt. *Parabolizantes*, dicuntur interdum autores parabolã, qui eas inuulgant, aut eis etiam delectantur: Num. 21. Ezech. 16. Sic Ezech. 18 capite Iudæi appellantur parabolizantes, quod multum illam parabolam iactabant, Deum iniusticiã accusantes: Patres comederunt uuas acerbis, & dentes filiorum obstupuerunt. *Parabolicè loqui*, aliquãdo etiam obscure loqui significat. Ezech. 20, An non parabolicè loquitur parabolam iste? id est, obscure & in parabolis loquitur. Ezech. 24 præcipit Deus Prophetæ, inquit: Paraboliza, aut utere sermone parabolico ad domũ rebellionis. quod & facit, mox proposita similitudine ollæ, carniũ in eam cõgestarum, & ignis succensũ. quibus Ierolymæ obsidionem depingit. Sicut spina in manu ebrii, ita parabola in ore stulti, Prou. 26. id est, sicut ebrius gestans spinas, aut se aut alios lædit: ita stultus graues sententias aut dogmata eloquens aut tractans, sibi aut alijs obest, temerè de maximis rebus pronuntiando. In nouo Testamento sæpe utuntur hac uoce Euangelistæ, ac significat eis illas Christi similitudines, ubi sub sermone qui alias res pingere ac exprimere uidetur, alia significantur ac docentur. Ab arbore fici discite parabolam, Matth. 24. id est, sumite pñcturam aut similitudinem spiritalis doctrinæ de aduentu iudicij & extremæ diei. Hebræ. 11. Vnde eum etiam in parabola recepit. id est, ex quibus mortuis, ueluti specie ac similitudine quadam resurrectionis, eum recepit. Quasi dicat: Speciem quandam mortis Isaacus repræsentauit, cum fuit colligatus, & iam iam mactandus. Sic etiam speciem resurrectionis exhibuit, dum ex tam præsentis morte, præter omnem spem, ac planè mirabiliter ad uitam reuocatur. Periculum fuit imago mortis, & liberatio resurrectionis.

PARACLETVS, *παράκλητος*, idem planè est quod aduocatus. Venit autem tum Latinæ tum Græcæ uocis etymologia ex eodem fonte, quia periclitantes in

difficilioribus iudicijs accersunt, corrogant aut aduocant patronos, qui sibi adsistant in iudicio. Nam & uerbum Græcum *παράκλητος* crebrò significat accersere, adiungere, & quasi ad se uocare alium. Spiritus sanctus igitur à Christo Iohan. 14. 15 & 16 dicitur *παράκλητος* seu aduocatus. Sunt uerò officia aduocati, clientẽ instruere quid eum facere oporteat. consolari seu animare, exhortari, & denique pro eo erga iudicem loqui ac intercedere. Sic & Spiritus sanctus nos docet, ducens in omnem ueritatem: consolatur nos testimoniũ præbens, quod filij Dei simus, eumque propitium habeamus: hortatur ac excitat nos, ne frigeamus, & ignaui simus in studio ueræ pietatis, rebusque rectè agendis: ac deniq; intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus, clamans assidue Abba pater. Dicitur & Christus ipse Paracletus, Iohan. 14: Rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis. Christus paracletus est, quia sua morte acquirit uitam, & tollit mortem: at Spiritus sanctus nobis Christi beneficia indicat & applicat, nosque regenerat. Sic 1. Iohan. 2, Habemus aduocatum apud patrem. Ob eadem ista beneficia dicitur aduocatus: præsertim autem, quod perpetuò apud patrem pro nobis intercedit.

PARADISVS, Græcis quemuis hortum cultiorẽ & amœniorem significat. Xenophon dicit esse uocem Persicam. In Hebræo ualde rara est. Ideo cum Gen. 2 & 3 fiat mentio horti in Eden à Deo plantati, ut hominis sedes habitatioque esset: Septuaginta hortum illum uoce Paradisi expresserunt, quia ille locus & uocatus est hortus, & fuit perinde reliqua terra cultior, sicut amœnissimi uoluptuarijque horti reliqua terra cultiores sunt. Sic & postea Gen. 13 dicitur uallis Sodomæ fuisse amœna & irrigua, sicut hortus Dei, aut paradus Dei. Eodem uocabulo hortum Dei uerterunt etiam Ezech. 28, & 31. Vfus est hoc uocabulo Paradisi etiam liber quĩ uocatur Ecclesiasticus. Reperitur nihilominus hæc uox etiam in Hebræo textu. nam Eccles. cap. 2 inquit: Feci mihi hortos & paradisos, & plantaui in eis arbores omnigeni fructus. Vbi simul indicatur, paradusum esse locum constum amœnissimis herbis, & arboribus fructiferis. Porrò in Nouo testamento translata est hæc uox à Luca & Paulo ad illam beatam Dei & piorum sedem. nam Lucæ 23 Christus dicit ad latronẽ dextrum, Hodie mecum eris in paradiso: id est, regno cœlesti, & summa illa beatitudine. Paulus quoque eundem locum ac statum notasse hac uoce uidetur, cum 2. Corinth. 12 dicit se raptum fuisse in paradusum, usque in tertium cœlum, ad Deum, ut ibi de Euangelio Christi & mysterijs Dei institueretur, seque ibi audiuisse multa arcana & ineffabilia. Apoc. 2 dicitur, Vincenti dabo edere de ligno uitæ, quod est in paradiso: ubi idem ea uox ualere uidetur. pollicetur enim uincenti æternam sclicitatem. Porrò ubi sit, fueritque Paradusum illa terrena, uariè à Scriptoribus disputatur: quam cõtrouersiam definire, nec instituti, nec uirium nostrarum est, præsertim cum constet per diluuium totius orbis terrarum faciem mutatam, atque adeò corruptã & peruersam esse. Dictum tamen aliquid de eo est in uoce Nili.

PARARE, *פָּרַר* Cun, aut *פָּרַר* Conen Hebraicè significat singulari quadam diligentia, ordine ac ornatu disponere & fabricare. Psalm. 8, Lunam & stellas quas præparasti. id est, magna firmitate ac elegantia operis fabricasti. Isaiã 2, & Mich. 4 est, quod in nouissimis diebus erit præparatus mons domus Domini in uertice montium: id est, Ecclesia & ministerium uerbi ac uera religio erit solidè constabilita, & diuinitus ordinata, contra quam portæ inferorum non poterunt præualere. Psal. 9: Dominus parauit in iudicio thronum suũ: id est, cõstabiluit. Psal. 112 legitur de pio: Præparatum est cor eius fidens in Domino. id est, certa fide ac fidu-

cia constabilitum: ut ex toto eo Psalmo apparet. Sed de hac locutione aliàs, in prima parte Libelli de Fide egi. Eandem præparationem & promptitudinem cordis Psalmo quinquagesimo septimo celebrat, & Psalmo quinquagesimo primo Dauid sibi à Deo precatur, inquiens: Spiritum firmum in noua in uisceribus meis. Paratus ad lapsum, Iob duodecimo: id est, pronus in ruinam. Baptista Matth. 3, iubens parare uiam Domino, præcipit amoueri duo ingentia obstacula Christi, eiusque gratiæ, nempe desperationem misericordiæ Dei, & securitatem aut fiduciam propriæ iusticiæ: ideo accusat omnem humanam iusticiam, ut rem euandam, floriq; similem: duo hæc obstacula inueniens per uallium elevationem, quæ est desperationis amotio, & montium depressionem, quæ securitatem ac tumidam arrogantiam de propria iusticia significat. Perinde ergo Baptista prædicans pœnitentiam, curat præparari Messis spirituales uiam in cordibus: sicut terrenis regibus sui præcursores, terrenas aut externas uias muniti, cõplanariq; atq; adeo exornari, & necessarijs quoq; instrui festinanter præcipiunt. Sic & Parare populum Domino dicitur Lucæ 1. Regnum cœlorum aliquibus paratum esse à patre cœlesti dicitur: id est, ordinatum, constitutum. Matthæi uigesimo & 25. Vide & infra PRÆPARARE.

PARASCEVE, infra ante PASCHA reperies.

PARCERE ori, Iob 7, est parcere, leniter, breuiter ac modestè loqui. *Parcere uirgæ*, Prouerb. 24, est non castigare castigandum filium, aut alium. Sic Germani, *Schon der ruten nicht*. De quo in Vniuersalibus Regulis. Ab insolentibus aut superbis parce seruo tuo, Psalm. 19, id est, parcens custodi me siue à talibus peccatis, siue à talibus persecutoribus. Animæ alicuius non parcere, est eum tradere in exitium. Psalm. 78. Animæ eorum non pepercit à morte, id est, pesti dedit, sicut mox sequitur. *Parcere oculum* alicui, aut super aliqua re, ualde crebra phrasis est, quam supra in uoce OCULI exposui. Genes. 45, Non parcat oculus supellectili uestræ. id est, ne curetis, si omnia non potestis asportare uobiscum, cum hic sitis satis opulentis & omnium necessariorū reperturi. Peperci secundum uerbum tuum, Num. 14, id est, condonauit peccata sicut petijsti.

PARDVS, in Scriptura nomine uelocitatis & feritatis celebratur. Hab. 1, Velociores sunt pardis equis. De crudelitate eius habetur Osee 13, Fui itaq; eis tanquã leo, sicut pardus iuxta uiam tritam, id est, perinde sæuius in eos, sicut istæ truculentissimæ feræ.

PARENS uterq; & pater & mater, dicitur. Catachresticè autem, uel etiam synecdochicè parentes aut patres uocantur etiam auis, abauis, & omnes in uniuersum maiores: quin & quicumq; habent aliquod regimen, aut superioritatem supra nos, ut magistratus, doctores, & similes. Sic proculdubio accipienda est uox Parentum in 4 Decalogi præcepto, de qua catachresticè in uoce Filius dictum est, & paulo post in uocabulo Patris denuò dicitur.

PARBO, significat usitatè obedire. Nonnunquam in Vulgata uersione idem ualet quod compareo, aut appareo. Matthæi 23, Monumenta foris parent hominibus speciosa: pro, uidentur. Sic ibidem: Parebit hominibus iusti. I. Reg. 17, Homo enim uidet ea quæ parent: id est, quæ foris cernuntur. Matthæi 24, Parebit signum filij hominis: pro, conspicietur, apparebit. Verum Iacobi 4 usurpatur pro durare: Quid est uita uestra, nisi uapor ad modicum parens, id est, perdurans, existens, cõspecta. Porro I. Pet. 4 usurpatur pro quadam apparitione aut comparitione, cum uigore & bono statu coniuncta: Si iustus uix seruatur, impius ubi parebit? id est, quomodo usquam saluus ac incolumis consistere aut existere poterit.

PARIES triplicem potissimum metaphoram, aut etiam similitudinem præstat. Aliàs enim paries dealbatus, sicut & sepulchrum dealbatum, significat hypocritam, & præsertim falsum doctorem: potissimum, si se titulo functionis suæ iactet, qui foris uidetur specie, sanctitate, titulis ac dignitate fulgere: cū intus sit plenus spurcicia, errorum, ac impietatis, aut etiã lupo rapax. Sic usurpat hanc uocem Paulus contra impium Pontificem, Actorum 23, inquiens: Percutiet te Deus paries dealbate. Secundò, paries ruinosus dicitur de impijs, qui perinde transeuntium exitio, præsertim si quis eis innitatur, insidiantur. Psalm. 62: Quousq; insidiabimini hominibus, interficere conamini sicut paries inclinat, & maceries impulsæ? Tertiò, parietem ruinosum linire, est, tum falsam doctrinam ac religionem inanibus sophismatibus ac coloribus pingere, & ueluti fulcire conari: tum etiam homines imminente eis horribili Dei ira ac pœnis, humanis figmentis consolari & securos reddere, persuadendo illis adesse fauorem Dei ac pacem, cum ad sit ira & pœna, ueluti ignis quidam consumens. Hęc similitudo admodum prolixè Ezech. 13 tractatur & explicatur. uide totum illud Caput.

Parietis artifices, 2. Sam. 2 uocantur latomi, & fabri murarij. *Parietes cordis*, uocantur Hieremiæ quarto præcordia, quin & latera ipsa in quibus sub hypocondrijs in magno mœrore dolor sentitur, inquit enim Propheta de suo dolore in maxima calamitate populi: Ventrem meum doleo, & parietes cordis mei. *Mingens ad parietem*, est canis: de qua uoce supra. Sic enim illi solent ad parietem, aut arborem, aut aliud aliquid eleuatū projicere urinam. *Parietem nudabit clypeus*: id est, clypei de pariete ad bellum rapiuntur, quod supra in uoce NUDITATIS exposui. Spiritus tyrannorum sicut turbo deiiciens parietem, Isaia 25: id est, furor persecutorum tam ualidè ac furenter incumbit in exitium miserorū, sicut uiolentissimus turbo, qui solet parietes atq; adeo ipsas etiam domos super homines euertere: sed tu Domine nos contra talem furorem defendis. Parietis septum, quo gentiles à Iudæis separabantur, ac inter eos perpetuum dissidium fouebatur, dicitur Christus sua passione amouisse, Ephes. 2. Quod quid sit, ibi mox explicatur: nempe ceremoniam & iudicalem legem Iudæorum, per passionem eius antiquatam esse.

PARIO, aliàs obscuras locutiones efficit propria, aliàs figurata significatiõe. Prius de orientibus ex propria significatione dicemus. In dolore paries filios, Genes. 31, significat omnes illas molestias cõceptionis, gestationis, lactationis & educationis liberorum. Si hac nocte cõcepero & peperero filios, Ruth. 1, pro, si nunc statim nasceretur mihi filius, qui uos pro fratre, uti moris legisq; est, ducere deberet, tamen nimis longum uobis foret expectare eius maturitatem. Donec sterilis peperit septem, & multos habens filios infirmata est: 1. Sam. 2: id est, donec Deo benedicente sterilis facta est ualde fructifera: & contrà, quæ abundabat prole, orbata est. Cerua in agro peperit & deseruit, Ierem. 14, id est, tanta erit siccitas & terra nascentium inopia, ut cerua pariens præ fame neglectura sit fœtus suum. Iam cogita, quis erit hominum status in tanta uisus inopia? Cæcus & claudus, prægnans & puerpera simul erunt, Hierem. 31, id est uaria & promiscua turba ex gentilibus conuertetur. Per metaphoram porrò non paucos Hebraismos efficit. Prouerb. 27, Nescis quid uentura pariat dies. Filij uenerunt usq; ad matricem, & non adest uis pariendi: 2. Regum 19, Isaia 37, pro, res adducta est in summum discrimen, nec cernimus ullum tantorum malorum exitum, perinde ergo in media calamitate hæremus, ac si parturiens in iplo iam momento edendi fœtus omnibus uiribus destituatur, ubi maxime eam conari oporteret. *Parere uentum*, est nihil parere,

parere, nihil efficere aut proficere maximo conatu ac labore. *Isaia 26*: Concepimus, doluimus (sicut parturientes) sicut si peperissemus uentum, salutes non fecimus. pro maxiam calamitatem crucemq; sustinemus, neque quicquam effecimus, proficimus, aut ex hisce miserijs euadimus, licet grauissimè laboremus ac sudemus. Cōcipietis quiscuilibet, parietis stipulam, spiritus uester absumet uos: *Isaia 33*, id est, inanes spes expugnandæ Hierosolymæ concipitis, & tamen nihil efficietis: sed ista ipsa consilia ac furor uester, quo contra Hierosolymam concitati estis, perdet uos. Concipiunt laborem, & pariunt uanitatē: *Isaia 59*, *Psalmo septimo*, *Iob 15*. Vtraque uox significat tum culpam, tum pœnam. Labor enim aliàs actiue, conatum malorum in aliorum miserias directum significat: aliàs laboriosum ac difficilem, passiuè. Sic & uanitas aliàs rem nullius momenti notat, aliàs ipsam iniquitatem: sicut & Latinis uanitas utrunque notat. Potest ergo sensus esse: Maximo ac laboriosissimo conatu nihil proficiet, irritus erit eorum conatus, uel nil nisi malum ac peccatum patrant: uel denique impijs consilijs conatibusq; noxia & praua opera efficiunt. Cupiditas concipiens parit peccatum: *Iacob. 1*, id est, prauus affectus ac ueluti perpetui æstus originalis maliciæ, concipientes aliquam prauam cogitationem ac consilium, tandem patrant pessimum externum opus. Priusquam pariat decretum, *Zoph. 2*, id est, priusquam Deus incipiat sententiam suam contra uos exequi: seu, ut alibi inquit, priusquam exarserit ira eius. *Pārere*, pro spiritali filiorum seu fidelium partu accipitur. *Isaia sexagesimo sexto*: Antequam parturiant, peperit: & antequam ueniatur dolor, enixa est masculum. Quis audiuit tale, & quis uidit huic simile? Nunquid corripietur terra die uno, aut nascetur gens uice una? *Parturientis dolores & angustia*, ualde crebrò leguntur in Sacris literis: quibus summi & acerbissimi dolores ac mœores, calamitatesq; notantur. Hieremias capite trigesimo querit, an etiam pariant uiri? Quod si non pariunt, inquit, quare habent tristē speciem parturientium? id est, tristes sunt, dolent, gemunt, exclamant, &c. Hac eadem metaphora etiam Paulus *Rom. 8* utitur, cum dicit, totam rerum naturā ingemiscere & parturire: id est, maximo cum dolore ac molestia expectare liberationem, parturientis instar. Filioli mei, quos iterū parturio, usque quò formetur Christus in uobis. id est, quos maximo dolore ac sollicitudine conor in uia reducere. Vide & infra in uoce *Pregnans*.

PARS, in Sacris literis non paucas obscuras significationes habet. Significat uerò crebrò, non minorem quantitatem de maiori sumptam, ut respondeat toti, sicut apud Mathematicos, & etiam in communi sermone: ut cum dicitur totum esse maius qualibet sua parte, & omnibus simul sumptis æquale. Sed plerunq; idem quod portionem alicui cōuenientem, aut etiam commodum uel incommodum, prēmium aut pœnam alicui competentem: de qua significatione primo loco dicemus. habet enim & aliàs plures. Diuino mandato olim accidit, ut terra Chanaanæ diuideretur in tribus & familias Israeliticis. Inde cœpit unusquisque sua bona, aut etiam mala, uocare suam partem. fortè & Spiritus sanctus huius locutionis autor est: quia Deus ille longè maximus paterfamilias, unicuiq; distribuit mala ac bona, ut ei uideatur, aut etiam ut unusquisque meritis est. *Genes. 14* dicit Abraham ad regem Sodomæ, Se nolle quicquam de recepta præda accipere: tantum socij sui Aner, Eschol & Mambre accipiant partem suam: id est, portionem sibi debitam. Ad prædictam diuinam distributionem respicit & Abraham, cum ad diuitem Epulonem *Lucæ 16* dicit, Memento quòd accepisti bona tua in uita tua, & Lazarus mala, quasi dicat,

tuam partem aut portionem. In hac significatione dicitur Deus pars aut portio Ecclesiæ, seu populi sui: & uicissim pius populus, dicitur Dei pars aut fors. Sicut superius diximus de uoce Clerus. Nam plerunq; impij nihil hic relinquunt pijs, nisi Deum: alia omnia sibi rapientes. Prioris exemplum est *Psalmo 16*: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. & *Psalmo 73*, Portio mea Dominus in æternum, id est, omne bonum ac commodum, omnisq; fœlicitas meæ ex solo Deo meo pendet: ille est meus unicus thesaurus, & fons omnis boni. *Thren 3*: Portio mea Deus, dixit anima mea: ideo sperabo in eum. Sic *Psal. 142*, Tu Deus es portio mea in terra uiuentium, id est, in altera demum uita expecto meam fœlicitatem. Exemplū posterioris est, quòd Moyse dicit *Deuter. 22*. Nam portio Domini est populus eius, & funiculus hæreditatis eius est *Iacob*, id est, solus hic populus uerè colit, inuocat & glorificat Deum. reliquæ gentes colunt & glorificant diabolum. Portio aut pars Dei interdum ea præmia dicuntur, quæ pij à Deo expectant: *Iob 31*. Quæ enim portio Dei desuper, & quæ hæreditas Dei de excelsis? pro, quæ nam merces obuennisset mihi, uel manet eos qui talia agunt? Aliquando simpliciter portio populi sancti, significat Deum, aut regnum eius, etiam si nomen Dei non adijciatur. Hierem. cap. 10, ubi dixisset quàm uani & nihili sint dij gentium, subiicit: Non ut isti pars *Iacob* est, id est, Deus Israelis non est ita inane nomen. Quare mox sequitur: Sed est creator omnium, & Israel est uirga hæreditatis eius, cuius nomen est Dominus exercituum. Eadem prorsus uerba sunt etiam cap. 51. Significat igitur nonnunquam *pars Iacobi*, Israelis, aut populi Dei, prorsus idem quod uerus ac creator Deus. Contrà, *impiorum portio*, idola & loca idololatrarum dicuntur: *Isaia 57*. In politionibus lapidibus uallis pars tua illi sunt fors tua. Nam fudisti eis libamen, & obtulisti hostias. Sic & in bonâ partem dicitur *Psal. 119*, Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam. *Pars impiorum*, dicuntur uariæ pœnæ & castigationes temporariæ & æternæ: *Iob 2 & 27*, Hæc est pars hominis impij, id est, hæc sunt pœnæ. *Psal. 10*, Ignis, sulphur & spiritus procellarum, pars calicis impiorum: id est, hisce præmijs Deus eos ornat & honorat. Sic Deus Hieremias 13 dicit ad Iudæos: Hæc fors tua, & pars mensuræ tuæ est à me, dicit Dominus. *Isaia 17*. Hæc est pars prædantium nos, & fors diripientium nos, id est, sic illi castigabuntur à Deo. Sic & Demosthenes dicit, in cōmunibus omnium gentium calamitatibus, etiam Atheniensibus suam *ἐπιβάλλον μέρος*, id est ratam, aut cōuenientem illis portionem contigisse. utiturq; eodem uocabulo, quo perditus filius, suam portionem hæreditatis poscens. Verba eius sunt hæc: τὸ ἵ προσερῶσαι, καὶ μὴ πᾶσι ὡς ἰδομένη ἐμὴν συμβῆσαι, ἀλλὰ τῶν ἄλλων ἀδελφῶν τύχης τὸ ἐπιβάλλον ἐφ' ἑμᾶς μέρος μὴ τελευτήσῃ αὐτοῖς τὸ πῶν. *Partem alicuius esse in aliqua re*, est, eam illa potiri ac frui siue bona siue mala sit. *Ios. 22*. Dicent eras filij uestri filijs nostris, Non est uobis pars in Iehoua, pro, Iehoua, eiusq; religio, prouidentia ac beneficia, nihil ad uos pertinent. *2. Sam. 20*, Non est nobis pars in Dauide: id est, nihil ad nos Dauid, eiusue imperium. *Act. 8*, Nō est tibi pars, neq; fors in uerbo hoc, id est, Simoni mage nihil ad te Euangelium & regnum cœlorum pertinet, cum tuum cor non sit rectum corā Domino. *Apoc. 20*. Beatus & sanctus, qui habet partē in resurrectione prima: in hoc nō habebit potestatem mors secunda. Et mox sequenti: Pars eorum erit in stagno, id est, felix ille, qui in hac uita liberabitur morte spiritali per redemptorem Christum. *Psalm. 141*, Pars mea in terra uiuentium. Similis illa phrasis Latina est, *Apud aliquem in aliqua parte hære*. *Partem alicui*, aut *alicuius esse cum aliquo*, est, eadem sorte ac conditione frui, siue bona siue mala, aut alioqui eis esse coniunctionem & societatem

focrietatem. Dan. 4, Pars eius erit cum feris. Matth. 24. & Lucæ 12, Partem eius ponet cum hypocritis aut infidelibus: id est, perinde cum tractabit ut hypocritam & infidelem. Sic & Paulus loquitur Coloss. 1. Gratias agimus Deo patri, qui uos idoneos fecit ad partem sortis sanctorum in luce: id est, qui effecit ut sitis in eadem sorte, conditione ac felicitate cum alijs sanctis. Iohan. 13. Si non lauero pedes tuos, non habebis partem mecum in celo. id est, carebis ea felicitate, qua ego cum alijs pijs fruar illic. Cōiunctionem porrò in hisce exemplis denotat: 2. Cor. 6, Quæ pars fideli cum infideli? pro, quid habent commune? quam coniunctionem aut similitudinem? Psal. 50, Partem tuam cum adulteris habes. Pars aliquando regionem aut loca significat. Sic sepe in Euangelistis dicitur Dominus ambulasse & docuisse in partibus Galilææ, aut Tyri & Sidonis. Paulus quoq; Ephes. 4 dicit, Christum descendisse ad infimas partes terræ. Sic & Cic. lib. 3 ad Atticum, partes pro regione usurpat. Pars aliquando extremitatem notat. Iohan. 3 Cum fueritis ingressi partem aquæ Jordanis. id est, extremitatem. Deut. 34, Vsq; ad australem partem. id est, extremitatem. Pars interdum latus significat: ut Exod. 32, Tabulæ erant scriptæ ex utraq; parte. Er Apoc. 1 & 2, Gladius ex utraq; parte acutus, Sic & 22, Ex utraque parte fluminis. i. latere. Ezech. 1. Pennas in 4 partes habebat. Venire in partem hereditatis: Iosua 13. id est, partem capere. Partes uulpium erunt. Psal. 63. id est, illis cedent in partem: pro, infepulti erunt, eoq; à lupis & uulpibus deuorabuntur. Sic fermè uulgari sermone, idq; propemodum proverbialiter dicitur, *Er wird dem bencher, oder den raben zu theil, Das verirrete schaff wird den wulffen zu theil.* Partem sicuti partem comedent, Deut. 18. pro, legitimam partem, aut sicut cæteri quibus iusta pars debetur. Pars contingens, quadrans, cōueniens aut debita alicui, seu rata portio eius, *μῆρος ἐπιβάλλον.* Sic filius perditus dicit Lucæ 16, Pater da mihi partem hereditatis. scilicet ad me spectantem, seu quantum mihi conuenit aut debetur, legibusq; definitum est, quantā portionem rerum suarum cogatur pater moriens relinquere filijs singulis, nisi iustā exhæredandi eos causam habeat: quod si non faciat, testamentum non ualeat. Iurisprudentes uocant legitimam. At ille à uiuo exigit, ac uidetur simpliciter postulasse, quanta sibi conueniret, si pater sine testamento obiisset. Ex superioribus exemplis licet animaduertere, partem interdum quasi in se continere *ἐν ἑαυτῷ ἔχει*: id est, legitimam, conuenientem aut iustam portionem. Psal. 17, A uiris de mundo, quorum pars est in hac uita, id est, qui tantum in hac uita suam felicitatem quærunt, quibusq; Deus in hac uita suam quasi demensum donat. Sic Abrahamus dicit ad diuitem: Memento filii, quod acceperis bona tua in uita tua. id est, tuam portionem felicitatis.

PARTICIPO, modò partem accipio, aut fruor: modò, partem do. neq; tamè semper participare idem ualet, quod etymologia eius sonare uidetur: id est, partem alicuius rei capio: sed simpliciter, percipio, potior & fruor aliqua re. *Particeps* nonnunquam idem quod socius, aut coniunctus aliquibus alijs, aut hominibus aut rebus. Psal. 119, Particeps ego sum omnium timentium te. Deus te oleo læticiæ unxit præ participibus tuis. Aliquando is dicitur, qui quapiam re potitur ac fruitur. I. Cor. 9, Vt particeps Euangelij fiam.

PARASCEUE est (interprete Marco cap. 15) *τὸ πρὸ σάββατον*, dies præcedens Sabbatum: id est, dies Veneris, præsertim autem dies proximè præcedens Paschatis festum: ea nempe dies, cuius uespere incipiebant solennitatem festorum paschalium, & agnum paschalem comedebant. Dicta uerò est Parasceue uocabulo Græco, à præparatione, eo quòd diligenter se præparabant ad tam solennem & sacrosanctam celebra-

tem, ante omnia diligentissimè expurgantes & eliminantes omne fermentum, sicut eis Deus seuerissimè præceperat: & ex Christo ipso Apostoli quærunt, ubi sibi uelit præparari Pascha. de hoc parasceue inquit Iohan. 19. Erat autem parasceue Paschæ, hora circiter nona. Aliàs Parasceue ponitur pro ipso die Veneris, quò se ad Sabbathum rectè celebrandum præparabant: sed altera acceptio est celebrior.

PARVVS, & **PARVVLVS**: infra post uocem **PVBR**.

PASCHA *פסחא* Hebraica uox, propriè transitum, præteritionem aut transilitionem significat: sed improprie plura habet significata. Primum enim significat ipsum angeli Dei transitum, aut transilitionem, qui interficiendo Ægyptiorum primogenita, transiuit, seu non adijt nec attigit domos Iudæorū, ipsosq; Iudæos. Sic Exo. 12 usurpatur. Secundò, significat ipsum agnū paschalem, tunc & postea in memoriam tanti beneficii Dei mactatum & comestum. Tertiò, illos dies festos, præsertim primum. Quartò, totam illam celebritatē & obseruationē. Postremò, Paulus etiā pro ipso Christo usurpat, qui per illū paschalem agnum significabatur. Cæterum ipsam uerbum transilienti omnino singularem quandam uim non tantū parcendi, sed & seruandi habet. Isaiæ 31, Sicut aues volantes proteget Dominus super Hierusalem, protegendo & liberando, transilendo & seruando. Non ergo simpliciter transire ac transitus hac uoce significatur: sed etiā benigna quædā passio, uel potius conseruatio. Totius uerò huius ritus forma & origo, ratioq; institutio, potissimum 12 Exodi describitur: ubi etiam exempla trium primarum significationū reperies. Quarta significatio, cum ipsam celebritatē totius actionis indicat, reperitur 2 Reg. 23. ubi dicitur tale pascha esse à Iosia 18 anno sui regni celebratum, quale non fuerit celebratū inde à Iudicibus, & tempore præcedentium Regum. Porrò, quintā significationem usurpat Paulus 1. Cor. 5 inquit. Pascha nostrum immolatus est Christus. id est, uerus ille Dei agnus, auersionem culpæ & pænæ à populo Dei efficiens, qui per Iudaicum illum paschalem agnum fuit significatus. *Occidere, sacrificare, parare & comedere pascha*, de agno dicitur. *Fieri pascha*, & Apud te facio pascha cum discipulis meis, Matth. 26, ipsam celebritatē aut obseruationem totius ritus notat. *Immolare pascha*, Mar. 14, de agno intelligitur. Erat pascha, & azymorum dies, Mar. 14. In die solenni paschæ, Lucæ 2. Appropinquabat festum azymorum, quod dicitur Pascha, Lucæ 22. ubi ipsum festum paschatos etiam azymorum dicitur, quia eo tempore cogebantur comedere azyma, id est, panē in fermentatum. Christus comedit agnū paschalem pridie quàm Iudæi: hoc colligunt esse factum quinta hebdomadæ die, quam uulgo nunc uocamus diem Iouis: quia sequentem uocat Marcus *μαρτίνου ἢ ἡγεοῦ δὲ βαρῶν*, hoc est, diem præcedentem Sabbatū, quam nunc uulgo uocamus diem Veneris. Ratio ea fuit: quia Iudæi ob quandam traditionem maiorum nolabant celebrare primam & celeberrimam diem paschalis festi die Veneris, ne eis duo longè maximè sacrosancta festa continuarentur, quibus illis nephas esset uel mortuos sepelire, uel recentes cibos parare. Nam uesperū quo edebatur pascha, unā cum nocte ad sequentem diē pertinebat. Quare esus agni paschalis factus die Iouis à Christo, sequentem, hoc est Veneris diem faciebat celebrem. Christus igitur secundum præscriptum Dei celebravit pascha uespere incipientis diei 15 Lunæ: Iudæi uerò, ob suprā indicatam traditionem, celebrant initio 16. ut eis paschalis & Sabbati celebritas una die perageretur. uide Monisterum super Matthæum Hebraicum. Tempora etiam paschalia considerentur. Primum Pascha in exitu Israelitarum ex Ægypto institutum

tutum est anno ab initio mundi 2453. A primo typicoque paschate instituto, seu ab exitu Israelitarum ex Aegypto usque uerum Pascha nostrum, nempe usque ad passionem Christi agni pro nobis immolati 1542. Porro à primo paschate usque ad Pascha anni à nato Christo 1571 præterierunt anni 3080. à conditione mundi iam numerantur anni 5533.

PASCERE uerbum, præter propriam significationem, habet etiam figuratas aliquot, potissimum autem metaphoricæ. Primum enim hoc uerbum transfertur ad regimen politicum: ut 2 Sam. 5. Dominus dixit ad te, Tu pasces populum meum Israel, Et tu eris dux super eum. Idem habetur & 1 Paral. 11. Sic & 2 Sam. 7. Iudicibus præcepit pascere populum meum Israel. Psal. 78, Dauid depott fortantes adduxit, ut pasceret Iacob populum suum. Deinde ad Ecclesiasticum munus, curamq; docendæ Ecclesiæ transfertur, quæ gregi & pastoribus, ut supra in uoce **OVIS** dixi, confertur. Hac metaphora plurimum passim Scriptura utitur, præsertim autem Ezech. 34 aliquoties inculcatur hæc significatio: ubi Deus accusat sacerdotes, quod non pascant gregem suum ut deberent, sed tantum semetipsos saginent: polliceturq; se uelle gregem suum pascere. Sic Petrus 1 cap. 5 inquit: Pastores, precor, pascite gregem qui penes uos est, curam illius agentes &c. Hinc Pastores dicuntur: de qua uoce paulo post. Hierem. 3. Daboque uobis pastores iuxta cor meum, qui uos pascant scientia & intelligentia. *Pascere* etiam castigare significat. Psal. 2, Pasces eos uirga ferrea. i. punies, perdes. *Pascere* non raro perdere ac cõsumere indicat, quia pecora pascentia herbã, absumunt eã. Nã & Hebræi, sicut & Latini, dicunt, Animal pascit herbã. i. comedit. Mich. 5, Excitabitur cõtra Assur septem pastores, qui pascent terrã eius gladio & terrã Nembrotensibus. Sic Psal. 49. Sicut oues ad infernũ seu exitiũ tendunt, mors pascet eos. i. perdet, absumet, sicut bruta absumunt herbã. Ex hac significatione uenit & illa metaphora, Stultus pascit stulticiam: Prouer. 15. i. ea fruitur, eam uero sectatur. Ad hanc metaphora pertinent & illæ phrasæ, *Pascere uentũ, puluerem, cinerẽ*. Isa. 44. Idololatra pascit cinerẽ, cor deceptũ seducit eũ. i. spiritualiter fruitur inani alimento, dũ sperat & querit opẽ à suis idolis. Ephraim pascit uentũ, & sectatur orientale. Os. 12. i. inani spe alitur querẽs opẽ ab idolis & impijs gentilib. ab Assyrijs & Aegyptijs. Dicitur et cõtra *Ventus aliquem pascere*, sed in eodẽ sensu. Hie. 22, oes pastores tuos pascet uerus, & amatores tui ibũt in captiuitatẽ. *Pascere ueritatẽ*, iuxta prius indicatam metaphora significat frui ueritate. i. uero & infallibili alimẽto & uictu aut reb. necessarijs, quas Dñs tibi ppitio animo propõte & cõstãter suppeditabit. Pascentur primogeniti pauperũ, & inopes cõfidẽter accubabũr, Isa. 14. i. pauperes & esurientes spiritualiter saturabuntur uerbo & gratia Dei, frustra cõtra furente Satana & mundo. Pascentur uittulus & ursus ac leo simul, Isa. 11 & 63. pro, in regno Melsiæ summa erit pax ac tranquillitas, nepe spiritualis, cordis & conscientiæ. *Pascere*, per metaphora, nõ tantũ gubernatorib. & doctorib. tribuitur, sed etiã Deo: qui nos uerẽ alit, non tantũ externo, sed & interno alimẽto. Psal. 23, Dñs est pastor meus, nõ egebo: in loco pascuæ accubare me fecit, ad aquas refrigerij duxit me. Isa. 40, Ipse quasi pastor gregẽ suũ pascet, & brachio suo cõgregabit agnos, portabitq; in sinu suo, & scetas leniter ducet. *Pascere* interdũ idẽ quod alere, sicut & in Latino sermone: 1 Reg. 17. Præcepit uidẽ Sareptã, ut pascat Heliã. Mat. 6. Aues nõ laborãt, & in pater cœlestis pascit illas, Psal. 28, Pasce eos, & extolle aut educa eos usq; in æternũ. Alieni pascent oves uestras, Is. 61 uidetur dicere, ad eõ gloriosos & potetes fore Israelitas, ut sint alij quasi inãcipia eorũ. Sed simul hac uoce indicat, multos præstãtes doctores ex gentilibus orituros.

PASCVA, PASCVAE: Utitur hac uoce Vulgata uersio, p loco passionis, seu pro pascuis, & etiã p ipsa cura pascendi. Exemplũ prioris est Psal. 23. In loco pascuæ me collocauit. 1 Par. 4. Inuenerunt ibi pascuas uerberrimas. Iob 39, Circumspicit montes pascuæ suæ, & uirentia quæq; perquirit. Posterioris exemplũ est Psal. 74, Quare exardescit ira tua in oves pascuæ tuæ. i. contra populum tuum, quem tu alis, & qui omnem suam felicitatem à te expectat, & à te solo pendet.

PASTOR, ut supra monui, aliã politiccũ gubernatorẽ significat, ut Isa. 44, Ego dico Cyro, Pastor meus es tu. i. ego iã prædico & ordino eum fore monarcham meũ Hier. 49, Quis pastor stabit cõtra me? p, quis rex suos cõtra me tueri poterit? Aliã doctorẽ uerũ aut falsum notat, cuius innumera sunt exempla, præsertim in ueteri, tametsi etiã in nouo Testamẽto. Inuoluet terrã Aegypti, sicut amicitur pastor pallio suo. Hier. 43. i. sic tibi cõuasabit prædã Aegypti, & auferet, sicut pastor migraturus res proprias suo arbitrio conuasat, cõuoluit, uestes induit, & aufert. Mesa rex Moab erat pastor, 2 Reg. 3. pro, habebat amplissimã rẽ pecuariã. Ezech. 37. Seruus quoq; meus Dauid erit rex eorũ, & erit pastor unus super oes istos: nepe Christus. sicut & Ioã. 10 prædicitur, oes oves Dei siue ex gentilib. siue ex Iudæis, ueniccũ pastorẽ Christũ habituras. Zach. 11 prædicitur uerũ singularis quidam stultus pastor, qui sit pessimẽ pasturus, aut potius perditurus gregem Dñi. De eo tamen exclamat Propheta, ei pœnas prædicens: O pastor idolum, gladius super brachiũ eius, & super oculũ dextrũ eius. Nullus pastor perinde merito uocatur idolum, ac Antichristus: quia ille potissimum, non tantũ falsam doctrinã sparsit, sed etiã colendũ & adorandũ se omnib. ut Deũ quendã obtrusit, ut 2 Thes. & in Daniele habetur: Possis cõmodẽ idolũ pastorẽ accommodare ad præsentẽs personatos pastores, qui solo titulo, mitris & baculo ac reditib. pastores sunt, quos tamen Deus deponit, ne pascant amplius. *Percute pastore*, & dispergentur greges, Zach. 13. & Matth. 26 hæc propheta capto Christo cõpleta est: & cõpletur, quoties oves Dei priuãtur ueris ac cõstantib. doctoribus. Zac. 11 est obscurus locus: Succidã tres pastores in mense uno. Quod dictũ licet uariẽ exponatur, tamẽ maximẽ apta uidetur esse illa expositio, quod sub aduentũ Melsiæ destituẽtur Iudæi suo politico gubernatore, propheta & uero sacerdote, succedentib. meris seductoribus. *Pastor bonus, mercenarius*, & deniq; perniciosus, qui forem aut lupũ agit, describitur Ioan. 10, & sæpe in prophetis. *Pastores* dicti sunt in Ecclesia illi, qui tum docendo, tũ & propugnando populum, tum etiã oratione ac omni deniq; cura gregẽ Domini regunt, alunt, tuẽtur ac seruant, ut solent boni pastores oves brutas: unde hæc metaphora sumpta est. *Pastor magnus*, Heb. 3. Pastor & curator animarum nostrarũ: 1 Petri 2. Et deniq; archipastor, aut princeps pastorũ, 1 Petri 5, dicitur ipsemet Christus, qui solus est uerẽ bonus pastor & summus pastor, cuiusq; est propriẽ grex, qui solus per Spiritũ sanctum pascit animas nostras, & alios inferiores pastores, ueluti quosdam suos serualos Ecclesiæ largitur ac mittit, Ephes. 4. Quod pulchrẽ facit, quod Hierem. cap. 17 se profitetur huius pastoris seruum aut subpastorem, inquiens: Non recusauit, quo minus essem pastor post te: i. te ueluti præeunte mihi in pascendo, ego quoque adiuuarem, quantum possem, uel plantando, uel rigando: nam dare incrementum, tuum solius opus est. Contraria natura est illorum, de quibus Christus inquit: Quotquot uenerunt ANTE me, fures & latrones sunt. Filij uestri erunt pastores in deserto 40 annis: Num. 14. pro, more pastorum oberrabunt.

PASS erauicula, ob uarias proprietates, similitudinis gratia in Sacris literis adhibetur. sicut uulgõ à Ger-

manis, ob astutiam & cautionem: ac à Latinis, ob falsitatem celebratur. Psal. 11. Quomodo dicitis animæ meæ, transuola in montem ueltrū, aut uobis, sicut passer. Cuius similitudinis ea uidetur esse ratio, quod sicut passer facile de loco in locum pellitur: sic uel seductores, uel etiā persecutores uolebant depellere Dauidem de uera religione, & sede sua ac Ecclesia. Hieronymus intelligit, ob prudentiam astutiamque passeris hoc dici. Psal. 84 dicit Dauid, quod quemadmodum passer ac hirundo quærat cupidè, & ualde amet locum ni-
do, ubi pullos suos excludat & educet: sic etiā ipse summo desiderio cupiat esse ac uiuere in uera Ecclesia ac religione, & omnino in cura, fauore ac protectione Domini. quod alibi dicitur, habitare in monte aut tabernaculo Domini. Psal. 102, Sicut passer solitarius in tecto. Queritur pius homo in afflictione existens, ac inter alia cōparat suas miseras passeris solitario in tecto. Est enim passer auicula gregalis, nec una sola oberrare solet. Cum igitur sola est, singulari quadam calamitate premi, ac ueluti deseri ab alijs uidetur. Psal. 124 legitur
Anima nostra sicut passer euasit ex laqueo: Laqueus contractus est, & nos liberati sumus. id est, sicut passer aut alia auicula capta extremū exitiū expectat: sic nos iam ad id destinati eramus. sed feliciter ac perfectè liberati sumus: sicut auicula semel euadens laqueū, non facile eo redibit. Prouer. 26 comparatur iniusta maledictio passeris & hircini auolanti, quæ cum semel recessit, non facile amplius redit, nec scis quò peruenerit, ubi semel ex tuis oculis euauerit: sic etiam mala imprecatio temerè facta, euanescit, nec ad te infontem peruenit. Porro Christus uolens curā cœlestis patris circa nos monstrare, argumētatur à minori ad maius, sumpta collatione à uilissima auicula, cuius si Deus tā tam curam gerat, ut eam alat ac conseruet: multo magis sit pius, & iam filios suos factos, omnibus modis alitatus ac futurus.

PASSIO, & PATI, ualde crebrò ponitur pro supplicio affici: præsertim uerò dicitur de Christi morte, atq; adeò de tota illa humiliatione ac exinanitione, quæ nostri causa sustinuit, ex gloriosissima forma Dei, in ignominiosissima serui, atq; adeò peccatoris omnium maximi descendens. Hæc passio sæpe etiam mors & sanguis Christi uocatur, quia in hac passione sanguinè fundendo mortuus est. Est uerò Hebræis perusitatum, sanguinè pro uiolenta, & præsertim iniusta morte ponere, ut in uoce SANGVINIS dicitur. Porro, quæ ratione passione, morte ac sanguine Christi iustificari, saluari, redimi, mundari ac saluari dicamur, & quomodo passio eius nostra iusticia esse dici ue queat, non est huius loci exponere. Dictum uerò est de tota hac re in Libello maiore, titulo de Iusticia. Hac passione, dicit Epistola ad Hebr. cap. 2, Christum esse consummatum, aut perfectum factum, & ob eam gloria & honore coronatum, sicut & Philip. 2 dicitur. *Passiones Christi* uocatur etiam calamitates piorū, utpote qui membra sunt eius corporis, ut cum illi patiuntur, ipse pati uideatur. 2 Corinth. 1. Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita etiam abundat per Christum consolatio nostra. Philip. 3, Societatem passionum Christi, conformatus morti ipsius. Colof. 1, Gaudeo in passionibus meis pro uobis, & suppleo defectus passionū Christi in carne mea, pro corpore ipsius, quod est Ecclesia. Sunt igitur duplices passiones Christi: alteræ, quæ tātum in ipsomet diuina ordinatione peractæ sunt, quæ sunt planè perfectæ & absolutæ, solæque fuerunt sufficientissima propitiatio & expiatio peccatorum nostrorū: alteræ porro, quæ diuina ordinatione in membris eius ac corpore, quod est Ecclesia, peragi debent, dum omnia membra suo quodam modo ac mensura per crucē Christo capiti conformantur. Hæc nondū sunt planè perfectæ, 70

sed quotidie earum defectus suppleuntur ac perficiuntur & supplebuntur usq; ad extremam diem. Sicut in Apoc. cap. 6 martyribus pro uindicta clamantibus respōdetur, ut expectent, donec eorum conserui per martyriū ad eos ueniant. Hæc igitur posteriores mancasque mystici corporis Christi passiones Paulus dicit, se in membris suis supplere. Earundem passionum i Petri 4 mentio fit. Tertiò, *Passiones* uocantur omnes calamitates ac cruces piorum, 2 Timoth. 3. Quartò, *Passiones* non rarò in nouo Testamento significant prauos affectus, & alios improbandos animi motus, quos originalis innataque malicia perpetuò in homine ciet: sicut & Philosophi interdum uehementiores affectus *πάθη* passionem uocāt. Dicuntur autē ideo passiones, quia simul affligunt & turbāt hominē, ut licet ab eo agantur, tamen simul ex eis quædam molesta passio etiam ad homines perueniat. Rom. 7. Cum essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem sunt, uigebant in membris nostris ad fructificandū morti: ubi internos illos prauos significari motus puto. Sed adscribam etiam alterius cuiusdā annotationē supra hūc locū, quo etiā uox *πάθη* tāto magis explicetur. Affectiōes peccatorū, τὰ πάθη τῶν ἀμαρτῶν. Pro eo quod uidebatur Paulus scribere debuisset ἡ ἀμαρτία, substituit τὰ πάθη τῶν ἀμαρτῶν, affectiōes peccatorū: i. motus ad peccandū sollicitantes, quicunq; tandē illi sint. Id autē fecisse uidetur duob. de causis. Vna est, quia quum ἀμαρτία sit fœminini generis, non satis accōmodè illi tribui posse uidebatur mariti persona. Altera, quod expli cādū ēt fuit qua ratione peccatū cū marito cōferatur. Itaq; affectus peccatorū sunt tanquā aculeus peccati, per quem s. gignit in nobis carnis opera uelut partus: quorum catalogus contextitur Galat. 5. Cæterum duo quoq; hic notāda sunt: nempe *πάθη* nomen apud Paulū multo latius patere, quàm apud philosophos: ut qui illā etiā ipsam rationē peccato obnoxia faciat, quæ philosophi pro uirtutis regula sibi proponunt. Alterū, *πάθη* dici quatenus mens ab illis afficitur, sunt que ab ipso peccato ingenerati motus, quibus intellectus patiens (quē uocāt) agitatur, totūque secū hominē rapit: quod quidē annotādum fuit, ne quis miretur illis tribui *πάθη*, i. agendi uim: quæ tamen *πάθη*, i. ad uerbū, perpassiones dicuntur. Sed & hoc eodem nomine sæpe apud Paulum intelliguntur, quæcunq; pietatis causa fideles perpetiuntur, ut infrā cap. 8. Alibi, nempe Gal. 5 coniunguntur *πάθη* & *ἐπιθυμῖαι*. Eadem igitur uox est etiā Gal. 5 *πάθη*, passiones carnis. inquit enim: Qui sunt Christi, carnem crucifixerūt cū passionibus. & cupiditatibus eius. 1 Thef. 4, Vnusquisque uestrū uersetur non in passione cupiditatis, sicut gētes quæ ignorant Deum. ubi passionē cupiditatis uocat ipsam auariciā, siue habitualē, siue innatā: ut ex sequentibus clarius patet. Porro Rom. 1 uidetur significare ipsos prauos turpissimorū scelerū habitus, unā cū suis operibus aut effectibus. inquit. n. Tradidit eos Deus in passiones ignominiosas. nam & fœminæ earū mutarūt naturalē utum. Verbū *Pati* pro supplicio affici, nec apud Latinos, nec apud Græcos olim usurpatū fuit: sed in nouo Testamēto aliquoties reperitur. Luc. 22, Desiderio desiderauī māducare hoc pascha uobiscū anteq̄ patiar. i. extremo supplicio affectus moriar. Matth. 17, Sic & filius hominis passurus est ab eis. Luc. 24, Sic oportebat filiū hominis pati. Hebr. 9, Oportuisset Christum semp̄ pati ab origine mūdi. Et 13, Christus passus est extra portā. Act. 26 dicitur, Christū esse passibilem: quod non potētia sed actū passionis significat: nō eū qui pati tantū potuerit, sed qui debuerit ēt. qua de re sic annotat quidā: Nempe quod Christus esset passurus, ἡ *πάθη* ἡ *Χρῖστος*. Vulg. Si passibilis Christus. Erasmi. An passurus fuerit Christus. Sic. n. inquit, disputabat ex prophetis, ut ostendat.

ut ostenderet illorum uaticinia in Christum competere. At ego malo hæc ita accipere, ut contineant explanationem eorum quæ dixit, prophetas futura prædixisse: ita ut non pro an, sed pro *est*, & quidē *aduenit*, ponatur: nimirū ad explicandū per species, quod in genere tantū proposuerat. Ideo addidi particulā *NE MPE*. Coniunctionē autē *et* pro *est* usurpari apud idoneos etiam scriptores, doctis. Budæus in Comment. obseruauit: & particulā *et* *aduenit* usurpatā, cōperio à Græcis interpretibus interdum per *est* conuerti: ut Iob 22. Postremò quod uetus interpres *wahtu* conuertit Palsibilem, non uidetur conuenire. Quāuis enim *wahtu* propriè declaret eum qui patibili sit natura: tamen sententia ipsa postulat, ut accipiatur pro eo qui nō modò pati potuerit, sed etiā passurus fuerit. atq; ad eò pœnis ac supplicij perferendis destinatus: i. ut non sit *duu* duntaxat, sed etiam *duu* *duu*. Neque enim ambigebant Iudæi, quin Mesiās esset uerus homo futurus: adeò quidem, ut pauci sibi persuaderent Deū fore, quod etiam nū hodie illis uidetur incredibile. Sed Mesiā animo conceperant, qualē hodie quoq; imaginantur: i. cuius regnum esset ex hoc mundo. Dicit contra Paulus, prædictū esse à prophetis Mesiā fore *uadu*: i. ferendis nostris calamitatib. ac peccatorum nostrorū pœnis destinātū: qui tamen in æternā gloriam primus esset resurrecturus, quā postea cū suis cōmunicaret. Modicū passos ipse sariat, corroboret & confirmet uos: i. Pet. 5. i. paululum afflicto aut cruciato. Siquidē. n. crux ista cū futura gloria aut Christi passione conferatur, modica sanè est. Non patietur uos tentari supra quā ferre possitis. I Corinthiorum decimo. p. non permittet. nota phrasit est.

PATER, catachresticè Hebræi sæpe usurpant pro auo, proauo, & omnib. maiorib. per rectā lineā. Sic Laban uocatur filius Nahor, cum esset nepos eius ex Bauele filio. Sic & Abrahā dicitur esse pater Leui, Hebr. 7. Sic Iacobus Gen. 31. uocat Abrahamū patrē suū: Nisi Deus patris mei Abrahā. Sic Dan. 5. Nabuchodonosor dicitur pater Belsazer: cū fuerit pater Euilmerodachi, cuius filius fuit Belsazer. Secundò, ualde multas metaphoricas significationes habet. Ponitur enim pro authore aliquorū, Gen. 4. Iabal fuit pater habitantium tabernacula, Iubal fuit pater canentium cithara. Possis dicere, significare doctorē. Significat eum, unde aliqui originem trahunt. Gen. 22. Kamuel fuit pater Syrorū. i. Syri ab eo originē habuerunt. Sic mox 36. Pater Edō. Indicat interdū magistrū, aut doctorē. Sic uocantur filij prophetarū. Et Elisæus clamat ad Eliā: Pater mi, pater mi, currus & equites Israel. 2 Reg. 2. Sic & I Sam. 10 dicunt: Quis est pater eorū? i. prophetantium. i. præceptor. Sic & Paulus quoq; I Cor. 4. uocat se patrē Corinth. i. non tantum præceptorē, sed etiā primum conuersorē. Psal. 68. Pro patrib. nati sunt tibi filij. id est pro mortuis primis doctorib. prophetis & Apostolis, successerunt subinde alij, qui iā non tanquam patres, ut illi olim, sed ut filij Ecclesiæ fuerunt. Interdū principē denotat. I Par. 2. Pater Gilead: pro, princeps eius regionis, uel etiā autor gentis. Sic pater Gibeon, I Paral. 8 accipitur, Sic in priore loco, Ipse fuit pater Ziph: Ios. 14. Capita patrū tribuū Israel: i. principes familiarū. Sic & Homerus uocat Iouem patrem hominum & deorū. i. principem, dñm & gubernatorem. **PATER** aliquando in omnibus linguis denotat eum, qui amore & beneuolentia, beneficijs & etiam autoritate alicui se patrem præstat. Sic Genes. 45 dicit Ioseph ad fratres, & patri eos referre præcipit, inquit: Deus me posuit Pharaoni in patrem. id est, ego rego ac seruo, Deo ita per me agente, regem & regnum Ægypti. Sic uidetur Helisæus uocare Heliam non tantum suū, sed & regni totius patrem, non tantum præceptorem. 70

Sic & Iob cap. 29 inquit, Pater eram pauperibus: id est paterno affectu & beneficijs eos foui. Sic Psal. 68. Deus dicitur pater orphanorum & uiduarum. Isa. 63. Tu es pater noster, Abraham non cognouit nos, neque Israel. id est, tu serua nos paterna cura. Hanc suam paternitatem prolixè inculcat Deus Isa. 46, dicens: te Israel in utero gestasse, & porrò gestaturum esse. Hoc modo in Ecclesia Patres uocamus illos summos doctores Ecclesiæ, qui olim floruerunt. Sic credo Latinos Patrem patriæ dixisse, summum benefactorem & conseruatorem patriæ. **PATER** & **MATER** aliquando quouis intimos denotat, ut etiam suprā monui. Sic Psal. 27 dicitur: Pater meus & mater mea deseruerunt me. Dominus autem suscepit me. id est, intimi ac coniunctissimi mei. Sic uidetur Iobus loqui cap. 17. Putredini dixi, Pater meus es tu. id est, factores & putrefactiones hæ meæ, sunt mei intimi, cum quibus solis uersor & ago. **Patres**, sæpe quiuis maiores & antecessores nostri. Psal. 22. In te sperauerunt patres nostri. Psal. 39. Peregrinus ego sum apud te, sicut & omnes patres mei. Psal. 44. Patres nostri nunciauerunt nobis. id est, maiores nostri. Psal. 106. Peccauimus cum patribus nostris, &c. Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua. Sic sæpe aliās. In hac significatione accipitur **PATER**, cum uarijs locutionibus mors indicatur. Aggregari ad patres. Iudic. 2. Introire in progeniem patrum suorum, Psalmo 49. Ire cum patribus. I Par. 17. Ingredi ad patres suos, Genesis 15. Recolligi ad patres, 2 Reg. 22. Colligam te ad patres tuos, & colligēris in sepulchra tua. id est, moriendo associabere tuis maioribus, tum corpore in eadem sepulchra maiorum posito, tum anima in sinum Abrahæ translata. Sic aliqui putant patrē Ioseph uocari Heli, cum fuerit eius socer. Deus dicitur pater piorum, multiplici ratione. Primum, quia ex semine eius nascuntur, ut Scriptura loquitur. Secundò, quia sunt membra unigeniti filij eius: Caro de carne eius, & os de osibus. Tertiò, quia eos sibi adoptat in filios. Quarto, quia eos paterno amore, officijs ac beneficijs fouet. Quintò, quia instaurata in eis imagine Dei, eum aliquo modo repræsentant, eiq; similes sunt. Sextò, multiplicè paternitatem etiā Spiritus sanctus agnoscit in corde nostro, eo que clamat Abba pater: & spiritui nostro testimoniū præbet, quòd filij Dei simus. Christus Ioan. 8 dicit, diabolum esse patrem impiorū, & mendacem. Pater ergo ille impiorum est multipliciter. Primum, quia dñs ac gubernator eorum factus est post lapsum. Secundò, quia eos ex imagine Dei in suā horrendā laruā transmūtavit, & ueluti infuso infernali fermento ex cœlesti massa in suam ueluti transformauit, aut transelementauit, perinde ac si dulcē massam in fermentū, salutarē cibum in uenenū, optimū uinum in acetū aut uappā, & aureā massam in scoriam aut carbones (quibus similitudinib. etiā Scriptura utitur) transmūtasset. Hęc est horrenda quædam non regeneratio, sed degeneratio, per semen diaboli. Tertiò, quia uoluntatem eius omni studio cupiunt, & conantur effecere, eiusq; mores ac opera præstant, & ueluti totam uitam repræsentant. Deniq; quia eos perpetuò docet, regit ac fouet. Idem quoq; I Iohan. 3 dicitur. Porrò ibidē Satan etiā pater mendacij uocatur, quia & author eius extitit, tum per se deficiens à Deo, tum & hominē ab eo abducens, ueritatēq; cultus ac religionis corrumpens, & denique omnis generis peccata ac scelera tum initio inueniens, tum & quotidie propagans ac promouens. Abraham dicitur pater gentium multipliciter, quia est exemplum fidei ac iustificationis: quia est magnus ac illustis instaurator ueræ doctrinæ ac religionis: quia est Meschiæ pater: quia promissionē hereditatis æternæ sibi & nobis accepit: & denique quia oēs pij in eius sinū, aut ad eius mensam cōgregari dicuntur. id est,

id est. ad gratiam fauoremq; Dei immensum in ipso, & per ipsum toti humano generi propositum, oblatum & donatum. *Pater* aliquando nomen quasi maiestatis esse uidetur, & ualere idem quod summus dignitate, aut etiam Deus. Sic accusantur ab Isaia & Hieremia idololatræ, quod dicant ligno, Pater meus es tu. Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui iniquè egerunt contra me: Isaia 43. ubi patrem aliqui exponunt Adamum, qui fuit primus pater, & primò lapsus: aliqui Abrahamum, quem Deus ex Babylonica idololatria uocauit: ut eis Ios. ultimo obijcitur. Aliqui per patrem singularis numeri, intelligunt pluralem patres, seu maiores tui. Ut fiat filij patris uestri cœlestis, Matth. 5. id est, ut uerè patrem illum referatis indole benignitatis: seu, ut uerè patrisetis, benefaciendo etiam aduersarijs, sicut is benefacit etiam indignis. Suprà dixi in uocabulo PARENTIS, quod in præcepto Honora patrem, omnes superiores comprehendantur. Deus uocatur pater luminum, Iac. 1: id est, unicus autor, creator ac dator omnium bonorum, præsertim autem spirituum, cognitionis diuinæ, Spiritus sancti, renouationis, Spiritus sancti donorum, & quotidiani regiminis ac manuuctionis ad omnè ueritatè. Sic Iob 38, Quis est pluuię pater? id est, autor. Isa. 64. Nunc tu Domine es pater noster, nos lutum tuum: tu figulas noster, & nos omnes sumus opus manuum tuarum. Hebr. 12 uocatur Deus pater spirituum: & opponitur terrenis istis parentibus qui uocantur ibi patres corporum. Omnino uidetur ibi ea phrasis significare conditorem & largitorem animarum. Sicut & in Esaia 57 cap. dicit, 30 Animas ego feci: quod contra traducem animæ esse uidetur. Posset tamen complecti etiam donationem Spiritus sancti, eiusque dona, & renouationem. Deus uariè dicitur pater: aliàs, cum intelligimus de tota essentia Deitatis, est pater uel naturæ quia condidit omnes homines: uel gratiæ, quia nos sibi adoptauit: aliàs de unica illa prima persona, quæ est consubstantialis filij & Spiritus sancti accipitur. Epistola ad Hebræos dicit Melchisedecū fuisse sine patre ac sine matre: id est, parentes eius non esse indicatos, ut & in eo representaret Christum in æternum uiuentem. Christus dicitur Isa. 9, pater futuri seculi: uel, ut est in Hebræo, pater æternitatis, id est, acquisitor ac largitor æternæ uitæ, iusticiæ ac Ecclesiæ, perpetuò secum apud patrem cœlestem regnaturæ, qui que non propriè huius uitæ fugacia, sed alterius æternæ largitur. Christus Matth. 23, uetat nos quæquam uocare patrem in terra: unum enim esse patrem nostrum, qui est in cœlis: qua prohibitione uetat summū gradum huius dignitatis, qui soli Deo debetur, tribui hominibus. quin & alibi uult nos, parentes re postulante odisse, propter Deum: nempe, si alteruter sit pro inimico deligendus, habendusque. uide in uoce PRÆCEPTOR. Malach. 4, & Luc. 1 dicitur, quod præcursor Dñi conuertet corda patrum in filios, & filiorum ad patres. id est, quod restituet summum consensum in doctrina, expurgatis uarijs opinionibus & erroribus, in quos corda hominum perinde dissipata fuerant, ac si quisq; in uia suam iuisset, aut etiam grex sine pastore. Aliquoties pater in Græco textu noui Testamenti ponitur in nominatiuo casu, pro uocatiuo. ut Matt. 11 inquit Dominus: uel & uocatus, certe pater, quia ita placuit tibi. ubi pater uocandi casu accipiendum est. & *θεός μου*, Deus meus: Marc. 15. quo modo etiam à Paulo usurpatur Rom. 8, & Galat. 4. Sic & Marc. 10 legitur Iesus filius Dauid: pro, Iesu fili Dauid misere re mei. Fortassis autem hic est Hebræorum idiotismus qui suo illo nutuntur partim pro nominatiuo articulo, partim pro uocandi aduerbio. Sed & Atticos ita loqui obseruauimus. Sic enim Aristoph. in Ranis, & *παῖς ἀποδείξει ἀνὴρα*. Idem in Concionantibus, *φίλοι σὺν ἀνέμοισιν* 70

ἰωάννης. Sic Angelus ad Iosephum ait, Iosephus filius Dauid, ne timeas accipere Mariam uxorem tuam. pro, Iosephe fili Dauid. De loquutione Abba pater, supra in uoce ABBA dictum est.

PATRIA *πατρίδα*, uox Græca, reperitur Ephes. 3. Ex quo omnis patria in cœlis & in terra nominatur. ubi uetus ad uerbum uertit, paternitas: Hieronymus, parentela: Erasmus, cognatio: Beza, tota familia: Callio, cognatio. Omnino autè sensui ac reliquo contextui nihil aptius esset, quàm si intelligeres, omnis paternus fauor & beneficium. Vox ipsa perinde in adiectiuo Græcis significat, quicquid paternum est: ac Latinis patrius, a, um. Videtur ergo more Hebræo nomen adiectiuum pro substantiuo positum. Sensus ergo est, quod dicat Paulus, se ideo inuocare patrem Domini nostri Iesu Christi pro eis, quia omnis paternus fauor ac beneficentia ab eo solo profluat, quærendaq; sit, nõ ex ullo alio principio aut fonte. Huc omnino etiam Germanica uersio respexit, *Der der rechte vatter ist, qui est uerus & unicus pater*.

PATIENTIA in genere est uirtus, æquanimiter ferens molesta & aduersa, sed ea subdiuiditur, quod alia est ueluti actiua & diuina, alia passiuua & ueluti humana. Actiuam seu diuinam patientiã uoco eam, qua Deus ipse in suis actionib. erga nos miseros homines uti solet: quæq; ita nos cohibemus, ut uel non facile commoueamur: uel etiam si commouemur, iram tamen, aut certè effectus iræ, id est, uindictam aut conatum tollendi rem molestam, cohibeamus. Passiuua est solis hominibus usitata, qua moderatè tranquilloque animo molestias, calamitates, cruces ac dolores perferimus. Ita hæc patienter patitur, illa non temerè querens quam ex commotione lædit. Priorem uocat Hebr. *אֵימָתוֹת* Erech Apaim, quod Græci ad uerbum exprimere conantes, dixerunt *μακροθυμία*: quem Hebraismū & Latini exprimere sunt conati uoce *Longanimitas*. Hoc Græco uerbo utitur Matth. 18 seruus ille, debēs 10000 talent. erga herum subito uehementer cōtra ipsum commotum, uolentemq; statim iratum animum in eo uendendo exequi. inquit igitur ad herum: *μακροθυμῶν*, differ iram: quod bene cum Germanica, *Hab mit mir gedult*, phrasi seu etymo & sensu conuenit. Est autem ibi *θυμῶν*, quod iram significat, & quidem præcipitem, quam Galenus propriè *ἄγρυπνον* appellat. iræ acerbiter: nos præcipationem dicere possumus, quod Cicero ex candescantiam comodissimè interpretari uidetur: animã autem Horatius in illo uersiculo, *Ira furor breuis est, animum rege*. Vnde & Animosi Græcis dicuntur *θυμῶδες*, uel *θυμωδῆς*, atq; adeò *θυμῶν*. Est autem Galeno non parua differentia inter *ἄγρυπνον* καὶ *θυμῶδες*: quomodo etiam apud Latinos non tantum inter irę præcipientis, sed etiam inter acerbæ uehementisq; iracundię homines, & animosos differentia maxima est. Iram igitur qui differre & cohibere possunt, dicuntur *μακροθυμοί*, quos nõ nulli Longanimes uocant, uocabulo parũ Latino. Et *μακροθυμία* idem penè est, quod *πραΐτης*, lenitas & clemetia, quæ tamen à lenitudine aut animi desponsione & demissione, (quam Græci quoq; *ἀδυναμία* uocant) distinguitur. Hæc patientia aut lenitas sæpissimè Deo tribuitur. ut Exod. 34, Num. 14, & sæpissimè aliàs: eo quod non est præceptum in iram peccantibus nobis, nec ut Poeta inquit, *mox sua fulmina mittit*: quin etiam in ipsa ira ac pœna, ut Propheta inquit, recordatur misericordię suę, præsertim erga deprecantes culpam ac pœnã. De hac Dei paciētia dicit Paulus Rom. 9, quod in multa patientia terat uasa iræ: id est, impios. & Rom. 2, An diuitias benignitatis, patientiæ & longanimitatis eius contempnis? qua scilicet fert te, & differt pœnas toleranter, pœnitentiã tuã expectās. Sic I Pet. 3, Olim inobediētib. cū semel expectabat Dei paciētia in dieb. Nohæ. i. cum

cū Deus patienter expectabat hominū pœnitentiam. Hæc patientia aliquando etiā hominibus tribuitur, ut Proverb. 16. Melior est patiens uiro forti: & qui animo suo dominatur, expugnatore urbiū. Hanc uirtutē Paulus charitati tribuit 1 Cor. 13. Caritas est patiens, benigna. & 1 Thef. 5 iubet eā exerceri erga oēs. Et Ephes. 4 inquit, Cum patientia tolerantis uos inuicē in charitate. Palsiuā aut humanā patientiā uoco, cū toleranter, placidē ac trāquillo animo ferimus calamitates ac dolores quoscunq; & tristia omnia. Hæc patientia non conuenit p̄priē Deo, sed homini. Palsiuā autē uoco quia patienter patitur mala, nihil agens contra uerbū Dei, aut ullā honestatis partē. Hanc Græcus noui Testamenti textus plerūq; uocat *ὑπομονή*, aliquando dicit etiam *ὑποψέψω*. Quomodo aut uetus Testamentū & Hebræi hanc patientiā uocent, ignoro: nec etiā locū noui ubi describatur, quantūuis beatus Iob pro exēplo huius patientiæ propositus sit: nisi uelimus dicere uocari eam silentium. ut cum dicit Deus Isā. 30. In silentio & spe erit fortitudo uestra. i. si patienter ferendo crucem uestrā, in me sperare perrexeritis, uincetis. Sic etiam Psalm. 39. Obmutui silentio. tacui à bono, & dolor meus exacerbatus est. Sic & Isaiæ 53, hæc eadē uirtus in Christo crucifigendo per ouē silentē, cum tondetur, describitur: qui locus in Actis & à Petro citatur. Sic eadem Christi uirtus pingitur Isā. 42. Non clamabit, nec leuabit uocē suā, nec faciet audiri in platea uocē suam. Habent igitur & Hebræi & Græci diuersa uocabula, quib; hæc duas diuersissimas, aliquid tamen commune habentes patientias, nominant. Sed Latini, & eos sequenti Germani, in Sacris uno uocabulo *Patientia*, *Gedult*, exprimunt. Tribuunt uerò Latini uocē *Patientia* etiā corpori, atq; adeo brutis, & deniq; mortuis rebus: quā significationem considerasse ad huius Theologicæ p̄prietatis patientiæ noticiā non parū profuerit. Dicunt igitur illi, terrā patientē uomeris: i. quæ bene arari potest, aut fert arationem: mare navigationis patiens. i. nauigabile: laboris patiens, paruūq; assueta iuuentus. i. idonea ac prompta ad ferendos & patiendos labores. Horatius, *Pulueris ac folis patiens*: i. idoneus, promptus ac paratus ad toleranda illa mala aut incōmoda. Hinc igitur uenit ista p̄prietatis patientia, qui studio obediendi Deo & spe liberationis, ac sc̄elicis euentus perferunt toleranter placidūq; animo quiduis malorum & incōmodorum, præfertim ueritatis ac religionis causa accidentiū. Rom. 12. Spe gaudentes in afflictione patiētes, in oratione perseverantes: i. alacri, p̄p̄toq; animo tolerantis afflictiones. Iacob 1. Scientes quod probatio fidei uestre operetur patientiā, patientia uerò opus perfectum habeat. Idem fermē dicitur Rom. 5. Sensus autem est, quod fides nostra probetur, gignatur & excitetur in nobis diuinitus tolerantia crucis, seu assuefiat pius homo ad ferenda æquamiter propter Deum aduersa. Sic & Paulus dicit, Tribulatio efficit patientiam, patientia experientiam, experientia spem. Luc. 21. In patientia possidete animas uestras. i. in illis tot tribulationibus, quas in uos uēturas prædixi, magna ac pia patientia acquirite & conseruate animas uestras. Quæ patientia si carueritis, uicti tot calamitatibus tandem peccabitis impatientia, & peribitis. Significat causam instrumentalem, quam necessesse sit pios adhibere, si in illis tantis calamitatibus spirituales incolumitatem retinere uolunt. Sicut idem Euangelista alibi dicit, Lucrifacere animam, aut seruare animam suam. Aliquando hæc uox uidetur idem ualere quod perseverantia, tamen si eam quasi gignat. Sic enim dicit Paulus Rom. 8. Si enim quod non uidemus speramus, per patientiam expectamus. i. constanter perseverando in uera pietate. Luc. 8. Fructum afferunt in patientia. i. constanter perseverando in uera religione,

ac pietatis ardenti studio, non tantū ad tempus, ut qui uel cruce ac persecutione, uel cura terrenarum rerum ex uera pietate paulo post excidūt. Sic & Paulus Rō. 2 loquitur, & tum sensu, tum & phrasi cum hoc loco Lucæ conuenit, inquit: Quærentib; gloriā, & honorē, & incorruptibilitatē, per patientiā boni operis dabit Deus uitam æternam. Patientiam boni operis, uocat perseverationē in bene agendo. Iacob 5, est multo illustrius exemplū patientiæ pro perseverantia usurpatæ, ubi inquit: Patientes igitur estote fratres, usq; ad aduentum Dñi: ecce agricola expectat preciosum fructū terræ, &c. Patientes igitur estote & uos, & cōfirmate corda uestra, quoniā aduentus Domini appropinquat: ubi clarē patientia pro perseverantia accipitur. Rom. 15. Ut per patientiam & consolationem Scripturarū sp̄s habeamus. ubi siue tolerantia, siue perseverantiam interpretatus fueris, nō multū à uero sensu aberraueris: sicut & in mox sequenti loco, Deus autem patientiæ & consolationis largitor. Sic Hebr. 11 dicuntur ueteres pij per fidem & patientiā hæreditasse promissiones. ubi patientia manifestē pro perseverantia ponitur: quod tum ex sine præcedentis uersiculi apparet, ubi inquit, Ad plenam fiduciā fidei usq; ad finem: tum ex sequentibus. ubi in exemplo Abrahami ait, eum constanter expectando accepisse promissa bona. Hebræorum 10: Patientia uobis est opus, ut facientes uoluntatē Dei recipiatis promissionem, seu promissa bona. Adhuc enim modicum est, & qui differt ueniet. ubi ex sequenti promissione breui uenturi Dñi, præcedens adhortatio ad perseverantiam intelligitur. Heb. 12. Per patientiā curramus propositum nobis certamen: id est, constanter & infracto animo. Apoc. 13 & 14 legitur, Hic est patientia & fides sanctorum: indicans, eis esse necessariam fidei perseverantia, & in tantis malis tolerantiam. Deniq; aliquando hæc uox ponitur p̄ expectatione, aut ipsi quoq; expectatis bonis, ut planē spei æquiualeat. Psalm. 9. Patientia pauperum non peribit in æternum. Psalm. 62. A Deo est patientia mea. id est, ab eo expecto auxilium & beneficium. Tu es patientia mea Domine id est, te expecto solum. In quibus locis est in Hebræo *חַוְוָה* ticquah spes aut expectatio. uerū hoc posset uitio interpreti uerti. Cæterum in nouo quoq; Testamento aliquando patientia, tū uoce *ὑπομονή*, tum & *ὑποψέψω* expressa, significat spem aut expectationem. 2 Thef. 3. Dominus dirigat corda uestra in dilectionem Dei, & patientiam. id est, spem aut expectationē Christi. hoc est, ut certa firmaq; fide expectetis Christi opē & aduentum. Sic de Abrahamo legitur Hebr. 6, quod cum constanter expectasset bona toties à Deo promissa, sit ea consecutus. in Græco est *μακροθυμία*. Sic forte etiam illud Matthæi 18, non malē intelligeres aut interpretareris: Domine *μακροθυμῶ*, habe patientiam, aut esto patiens (ut Erasmus uertit) id est, expecta ad dies aut menses aliquot. Germanica ualde commodē & usitatē uertit, *Hab gedult mit mir*, nam ea locutio (ut & prius dixi) tum etymon exprimit, tum etiam expectationem significat: usitatissimeq; à creditorib; dicitur, *Hab gedult mit mir auff etliche tag oder zeit*. In hac eadem significatione rectē etiam multa alia dicta Scripturæ interpretari queas. Verbum *ὑπομονή*, omnia ista significata solet habere. Et de nomine *ὑπομονή* rectē Erasmus Hebr. 10 adnotat, inquit: Hæc dictio non simpliciter sonat patientiam, qua toleramus mala: sed patientem expectationem, cum spe præmij duramus, & nosmet rebus melioribus seruamus. Quod sanē rectius de patientia Christiana, quàm de philosophica aut Ethnica dicitur, quæ plerunq; nec præmij nec liberationis ullam spem habet, utpote non respiciens in Deum.

PAVCVM, *parum, pusillum*, sicut pusillum adhuc, pusillum, pariunt uarias obscuritates. ueniunt autē à uoce Hebræa

Hebræa מְעַט Mea, quæ licet aduerbium quantitatis sit, & propriè parum aut pusillum significare uideatur: tamen accipitur etiam adiectiuè pro paruus aut paucus, a, um, in utroque numero, per omnes casus. Includit aliquando etiam in se deficientem aliquam uocem uel rei, uel personæ, uel temporis, uel actionis: quos Hebraïsmos, qui in uersionibus intelligere uolent, aut ex contextu necessario iudicabunt, aut naturam illius Hebrææ uoculæ penitiùs cognoscere cogentur.

PAUOR & METVS. uide TIMOR & TERROR. 10

PAUPER, Hebraicè עָנִי ani, aliquando etiam עָנָו anau, quod magis mansuetum notat: sed non rarò hæc uocabula in Hebræo textu & Latina uersione confunduntur. Pauperem à mendico distinguunt, quòd pauper is sit, qui non quidem abundet, sed egeat potius: at interea suo aut prouentu aut industria, arte uel labore se alit: uerùm mendicum eum esse uolunt, qui ad eò nihil habeat, ut alienam opem supplex petere ac implorare cogatur. uerùm in Sacris literis plerunq; uno Pauperum uocabulo etiã mendici notant. Porrò uox *Pauperis* aliàs de spirituali, aliàs de corporali paupertate accipitur. Cum etiam corporalem paupertatem significat, non semper pecuniæ, uestis ac uictus carentiam indicat, sed etiam quasuis externas calamitates & afflictiones corporis complectitur: idq; ex ipsa natura sui originalis thematis. nam uerbum עָנִי afflictū oppressumq; esse propriè indicat. Matth. 19. Vende omnia quæ habes, & da pauperibus: hinc propriè de ipsa inopia pecuniæ aut uictus accipitur. Sic Exod. 22. Si mutuaueris pecuniam populo meo pauperi, qui est tecum, 30 ne premas eum scènore. id est, meis Israelitis non dabis ad scenus, sed gratis mutuabere. Porrò in Psalmis sæpissimè uox pauperis, pro quouis afflictio & ope aliqua egente ponitur: ut Dauid de sua paupertate Psa. 9 queritur, ac inter alia inquit: Dominus factus est refugium pauperi, Non obliuiscetur clamoris pauperum: Miserere mei, & uide afflictionem aut paupertatē meam de odientibus me: Non perpetuò obliuioni tradetur pauper: Spes pauperum non peribit in perpetuū. Innumera sunt planè exempla in Sacris literis huius 40 generalis & latè patentis, seu omnigenas afflictiones notantis significationis: sicut & Germani suum *Arm*, sæpe de quouis modo afflictio homine usurpant, sicut solent dicere, *Bin blinder mann, ein armer mann*. Hinc non pauca phrasæ oriuntur: ut, Apprehendere, aut potius roborare manum pauperis, Ezech. 16. pro, succurrere egenti cuiuscunque operis. Vnicus & pauper sum ego, Psa. 25. id est, desertus ac destitutus omni ope, & afflictus insuper. Exultatio eorum sicut ad deuorandū pauperem in abscondito, Habac. 3. id est sicut solent 50 ptiores, aut alij crudeles homines alacriter inuadere miseros, omniq; ope destitutos, qui sese tueri nequeunt. Pater eram pauperum, Iob 29. id est, paterno affectu & beneficentia afflictis succurrebam. Saluum facere pauperem: id est, liberare. Psa. 18. Populum pauperem saluum facies. id est liberabis miseros: & Psa. 107 Subleuat seu liberat pauperem ab inopia, aut afflictione. De paupertate aut tenuitate terræ reliquit in uinitores & agricolas: 2 Regum 25. pro, ex infima sorte hominum reliquit quosdam, qui colerent agros & uinea. 60 *Rapina pauperis* est in domibus uestris, Iaiæ 31. id est, id quod abripuistis afflictis. Paupertas eorum profunda exundauit in diuitias simplicitatis eorum: 2 Corin. 8 id est, largè donando ex sua tenuissima sorte, ostenderunt suam summam sinceritatem: quomodo paupercula mulier ex sua tenui sorte donando, plurimum omnes alios superans, donauit. Pauperem prohibere à desiderio, Iob 31. id est rem desideratam aut necessariam pauperi non concedere. *Pauperum filij*, pro pauperibus. Psa. 72. Iudicabit pauperes terræ, & seruabit filios pau-

perum. i. pauperes afflictos, oppressos. Sic ibidem, Animas pauperū seruabit: i. uitā afflictorum & periclitantium eripiet. sicut mox sequitur, A fraude & iniuria redimet animā eorum. Sic Isa. 14. Pascuntur primogeniti pauperum. i. egentes & afflicti. Sæpissimè in prophetis gubernatores & potentes iubentur iudicare ac iudicare pauperes. Per metaphorā uocantur pauperes etiã ij, qui uerè pauperes sunt, spiritualib. nempe bonis carentes, seu peccatores gratia ac fauore Dei destituti. Apoc. 3. Nam dicis, Diues sum, & ditatus sum, & nullius egeo, neque nosti te esse ærumnosum, & miserabilem, & pauperem. & cæcū & nudum. De hac quoque paupertate crebrò pij queruntur, præsertim in Psalmis: de hac etiã est conscriptus Psa. 102, cuius titulus est, Oratio pauperis cum anxio esset animo, & effunderet corā Deo precationē suā. Verùm de hac spirituali paupertate plura in sequentib. dicemus. *Pauper* etiam alioqui ignobilem ac uilē, seu infimæ fortis hominem notat, 1 Sam. 2. Ipse erigit de puluere pauperem, & de stercore suscitatur egenum, ut eū collocet cū principib. populi sui. Sic Hier. cap. 5 dicit, Forsitan pauperes iunz & stulti, ignorantes uia Domini, & iudicium Dei sui, ibo ergo ad magnates uel optimates, & dicam eis, &c. Vbi uoce Pauperis, pro infima conditione hominum utitur: sicut ista duo plerunq; coniuncta sunt, nempe paupertas & ignobilitas. Zachar. 9 dicitur Christus uenire Sioni aut suæ Ecclesie iustus, seruator, pauper עָנִי, & equitans super asinam. Videtur omnino rectè illud עָנִי uersum esse à Ioan. & Matthæo, *uagus mansuetus*. Consolationis enim gratia ornatur illis epithetis Christus: & supra indicaui עָנִי ani & pauperem significare. Mansuetudo enim regis aut gubernatoris populo salutaris est. Porrò 2 Cor. 8. Christus dicitur pauper factus esse, uel (ut in Græco ad uerbū est) mendicasse, cum alioq; esset diues, ut nos illius paupertate ditesceremus. Hoc est, quod Philip. 2 dicitur, quòd cū esset in forma Dei, serui formā acceperit, semetipsum exinaniens & humilians, factusq; sit obediens usq; ad ignominiosissimā mortem crucis. Illa enim sui exinanitione seu iniusticia, culpæ ac pœnæ nostræ in sese imputatiua trāslatione, obedientia ac passione, pro nobis largissimè legi ac iusticiæ Dei satisfecit: qua persolutione obedientiæ nobis imputata, nos ditissimos effecit. Pauperes spiritu Christus Matt. 5 uidetur eos uocare, qui cōtriti sunt, & perterriti lege Dei, ita ut non admodū sint procul à desperatione, imò & planè de se suisq; iusticiis ac operib. desperent: sicut Psalmo 34 est, Propè est Dominus fractis corde, & contritos spiritu seruabit: in quibus locis *spiritus* significat ipsum hominis animum afflictū & contractum, & quasi deficientē: quod idem est, esse pusillanimum ob peccata. Lucas porrò, sine additione uocis *spiritu*, simpliciter inquit: Beati pauperes, quia uestrum est regnū Dei. De hisce pauperibus etiam dicit Isaias cap. 61, quòd Meschias eis euangelizabit: quod & Matt. cap. 11, & Lucas quarto repetunt. Hi pauperes dicuntur etiã ab Isaiā *Satiates*, & à diua Virgine *Esurientes*, cum inquit: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes: i. eos qui, ut supra ex Apocalypsi audiuius, putant se abundare iusticia & bonis operibus, ita ut et habeant opera supererogationis, quæ alijs uendere possint. Quia porrò Deus est unic⁹ fons omniū bonorū, & opitulator miserorū: ideo doctrina de eo, seu Sacræ literæ, multū de miseris afflictis & pauperib. differunt, uarijsq; eos nominib. appellant. Quare quandā harum uocū synonymiam adscribam. & earum discrimina leuiter attingam. Primum sit אֲבִיּוֹן *Abion*, ab auendo deductū, quod simpliciter pauperē significat. עָנִי *Ani*, quod magis dolentē & afflictum: & *Helba*, quod oppressum & uim passum propriè significat. Præter hæc sunt דָּאֵךְ *Dach*, quod Psa. 8 ponitur,

ponitur, Et factus est Dominus refugium Dach: hoc est, pauperi. דַּל Dal, & רַשׁ Rafsch, & מִשְׁכֵּן Mischen: quorum omnium differentias dare, forte non est opus, nec huius loci. Hebræi autem pulchre id possunt, obseruata etymologia. Dach, à contritione & confractio: Dal, ab attenuatione & exiccatione: Ani, ab afflictione & dolore cordis: Ebion, à uolendo seu desiderando, ut cui desit quod cupit: Mischen, ab apothecis & promptuarijs, seu tabernaculis, quod sine eis sit: Rasch, à pereundo, & ad miseriam redigendo: Helechia, quod Hieron. ab Hel, quod robur significat, robustum facit: potius autem ab obambulatio seu oberrando, quod sedib, careat, deducas.

PAX, Latinis proprie, sicut & alijs linguis, communiter tantum istam externam tranquillam hominum, siue multorum siue paucorum cohabitationem significat. Memorabile autem ualde est, quod Hebræis uox pacis שְׁלוֹמִים Schalom, ab integritate uenit: quia res, loca ac homines seruet in suo statu. Contra autem bellum מלחמה Milchama, à comestione, quia omnia absumat aut consumat ac perdat. Sed in Sacris literis habet præterea quaedam grauiora, & minus alijs linguis usitatas notiones. Primum significat pacem cum Deo, cum & Deus nobis ex se uero iudice & hoste sit benignus ac placatus pater, Romanorum quinto, & Coloss. 1. Etnos uicissim tranquillo amicoque erga eum animo sumus, non timentes ac odio habentes eum, ut crudelem nostrum carnificem, sed spiritu Abba pater clamantes, ac denique non amplius sentientes conscientiam accusantem, & cor trepidans, non etiam pristinam potentiam ac tyrannidem Satanæ & ueteris Adami in nobis præpotentis. Quæ pax nobis post iustificationem contingit, dicente Paulo: Iustificati fide pacem habemus. Sic accipitur in Hymno angelorum, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus. Per Christum enim & Deo sua gloria, & homini uera pax cordis, ac cum Deo, restituitur. Sic opinor intelligendum esse etiam dictum Pauli, Sensus carnis mors est, sensus autem spiritus uita & pax. Secundò, est etiam alia spiritualis pax, qua freti Deo, eique obediens, crucem eius patienter ferentes, ac in ipso acquiescentes, non metum adeo incommoda mundi, dicentes: Si Deus pro nobis, quis contra nos? aut, Quid faciet mihi homo? Nec alijs irati aut infensi sumus, nec denique uarijs cupiditatibus & affectibus ita concutimur, rapimur, torquemur, & excarnificamur, ut antea: sed tranquillo animo ueluti in sinu Dei benignissimi patris requiescimus & dormimus, scientes illum nobis largitum esse filium suum, & cum illo omnia largiturum esse. Quæsiuit hanc animi *σδιαν*, aut *σδιουια* Philosophia sedulo, sed non reperit: nisi quòd multi in quandam cæcam & carnalem securitatem, & ueluti omni sensu carentem stupiditatem degenerarunt, cuiusmodi fuit Catonis aut aliorum contemptus mortis. De hac pace inquit Paulus Philip. 4. Et pax Dei quæ superat omnem sensum, custodiet corda uestra. Psalm. 4. In pace cubabo & dormiam, quoniam tu solus in securitate collocabis me. Ioan. 14. Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis: nõ quomodo mundus dat, ego do uobis. ne ergo turbetur aut trepidet cor uestrum. ubi hanc & priorem pacem rectè intellexeris. Harum utramque pacem optat Paulus & Christus, alijque Apostoli in suis salutationibus pijs. De utraque etiam Paulus dicit, quòd regnum cælorum sit pax: Rom. 14. item fructus Spiritus. Vtraque porrò impijs caret, sicut Isaias cap. 48 & 57 inquit: Non est pax impijs, dicit Dominus. Habemus uerò hanc utramque, præsertim posteriorem pacem cum hoc discrimine, quòd Christus Iohan. 16 ponit, In me pacem, in mundo tribulationem habebitis. Non enim desinit nos mundus, Satan, caro, lex & propria etiam conscientia mul-

tipliciter infestare: sed in isto contra nos excitato bello, confugientes ad patrem cælestem, & sub Christi umbraculum, promptum remedium ac refrigerium reperimus, statuentes ipsum esse maiorem omnibus hisce & nostro proprio corde. Tertiò, significat sæpe uox hæc Hebræis omnia uitæ bona, commoda, & tota felicitatem, posita præcipua specie aut parte pro toto genere: quandoquidem pax est optima rerum, quas homini nosse datum est. Sic accipitur, cum communiter salutantes se inuicem dixerunt, Pax tibi: item cum quæsierunt de alicuius pace, ut Ioseph Genes. 44 quærit de pace sui patris. & Moyses ac Ietro mutuo quærent de pace, Exod. 18. id est, uterque de alterius incolumitate. Sic & Elisæus dicit ad Sunamitidem, 2. Regum 4: Num pax tibi, uiro & filio? Quartò uicina huic est illa significatio, cum pro securitate aut absentia omnis periculi accipitur. ut cum Hierem. 6. 8. & Ezech. 13 clamant Pseudoprophete ad populum, Pax pax, ubi tamen non erat pax. Sic 1. Thess. 5. Cum dixerint, pax & securitas: tum repentinum eis imminet exitium. Sic enim solent tum homines securi sibi met palpere, tum & pseudoprophete eis persuadere, Deum illis esse propitium, nullamque eius iram aut pœnas illis pro foribus esse, aut imminere. Quintò, accipitur & pro societate aut fœdere, ut Iud. 4. Pax erat inter Iabin regem & Heber. Sic Psalm. 41. *Vir pacis meæ*: pro coniuncto & amico, ac quasi confœderato. Sic Dominus de Iuda queritur, quod is cui fidebat, & qui eius panem comedebat, sustulerit contra eum calcaneum suum. Sic *uiri pacis*, pro amicis & coniunctis ponitur. Hierem. 20 & 28. Omnes uiri pacis meæ obseruant, an nutem aut claudicet. Sextò, accipitur interdum hæc uox de pacis & incolumitatis imprecatione: ut Mat. 10. Luc. 10. Pax uestra manebit super eos: id est, uestra pia imprecatio cedet eis in bonum. Ibidem, *filii pacis*: pro homine digno incolumitate, accipitur, & qui simul amat piam pacem. Pax & ueritas sæpe coniunguntur: ut 2. Reg. 20 Isaiæ 39. Significat autem hæc phrasis firmam, solidam, & non simulatam pacem: sicut plerumque in mundo etiam, cum pax externa est, tamè ob maliciam ac fraudes hominum bellum metuitur, & simul uarijs imposturis ac læsionibus homines belligerantur, ac in se inuicem grassantur. Coniungitur & cum iusticia, quia pax nec carnalis nec spiritualis iusticia carere potest. In spiritualibus pax est filia ueræ iusticiæ. In carnalibus fit sæpe ut sit communis quædam pax, aut potius species pacis, sed interea, omni genere fraudis ac iniuriarum sese inuicem ciues diuexent, lacerent ac perdant. Cum igitur pax & iusticia sese inuicem amplectantur & osculentur, ut Psalm. octuagesimo quinto loquitur: tunc est optimus rerum status. Pax & paces, sæpe pro pacificis ponitur, abstractum pro concreto, & eius subiecto: ut Psalm. 120. Ego pax: id est, pacificus. Et Psalm. quinquagesimo quinto: Qui mittit manum suam in paces: id est, in pacificos, atque adeo amicos ac confœderatos. Psalm. sexagesimo nono: Quæ ad paces in laqueum. id est, quæ eis esse debebant pacifera aut salutaria sint eis perniciofa. *Pacifici beati* & terræ possessuri dicuntur, Matthæi quinto: id est, qui & ipsi erga alios sunt pacato animo, & inter alios pacem efficiunt, non delectantur odijs, non serunt rixas ac inimicitias inter homines. In salutationibus usi sunt hac uoce, Pax: uel offerendæ pacis, uel indicandæ, uel denique imprecandæ gratia: sicut & hodie Turcæ ea utuntur in salutando & resalutando. Sic enim referunt, qui eos audierunt, salutantem dicere. Salem alech, id est, pax tibi: & uicissim resalutantem, Velech salem, Et tibi pax. Sic Achimaz denuncians aut euangelizans Dauidi uictoriã, 2. Sam. 18. inquit, Pax: subaudi, tibi rex, aut sit pax. Et Ezræ 5, præfecti initio epistolæ Dario precantur pacem integram, Angelus etiam Danieli perterritus, capite 10

denunciat pacem. Sic Amasai cum suis commilitonibus dicit Dauidi, Pax pax tibi, & pax adiutoribus tuis, quoniam Deus est auxilium tuum. Conuenientes quoque, sese mutuò de pace (ut paulo antè dictum est) interrogare solebant: id est, de mutua incolumitate. Ad hunc morem salutandi & annunciandi pacem alluditur Isaiæ quinquagesimosecundo, & apud Paulum Romanorum 10, Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Montes afferent pacem populo, & colles iusticiam, Psalmo 72. id est, omnia erunt plena pace & tranquillitate, omniq; felicitate. Intelligit autem copiam spiritualis pacis ac iusticiæ, nempe per Meschiam, diuinitus donandæ. Ego pax: Psalmo 120. Ego pax: & cum loquor, ipsi ad bellum, id est, ego pacem propono, aut pacificus sum. Et alibi, Ego oratio, id est, ego orans. Sic Prouerb. 3. Omnes semitæ eius pax id est, pacificæ, aut ducunt ad pacem, sunt salutaria, aut sunt ipsissima pax. Sic Iob 5, Et scies quòd pax tabernaculum tuum, pro, in summa tranquillitate ac prosperitate eris tu, omniaq; tua. Sic Psal. 147, Qui ponit terminum tuum pacem, id est, omnes regiones locaq; tua dicit pace. *Castigatio pacis*, id est, castigatio pacifera, aut salutifera. Isaiæ 53, Castigatio pacis nostræ super eum, & uulneribus eius sanati sumus: id est, plenissima persolutio pœnarum à toto mundo per legem ob peccata exactarum, ab ipso præstita ac deperita, fuit causa nostræ pacis, peperit nobis pacem. Non enim necesse fuit amplius id nos persoluere, quòd ipse semel persoluit. Veritatem ac iudiciũ pacis iudicate in portis uestris: id est, iudicium paciferum. Zachariæ 8. id est, iudicate ita, ut pax uobis mutuò inde proueniat, non oppressio. Impetrationes pacis, aut exorationes pacis reuelabo eis: Hierem. 33. id est, annuntiabo eis esse impetratam pacem, quã & largiar illis. *Multitudo pacis*, Psal. 37. Afflicti aut mansueti possidebunt terram, & deliciabuntur aut oblectabuntur in multitudine pacis. id est, fruuntur magno rerum successu, & rebus secundis. *Pactum pacis*, id est, pactum de pace, aut firmum ac ratum. Num. 25. Do eis pactum meum pacis, & pactum sacerdotij perpetuũ. id est, certam ac ratam promissionem de diuturno sacerdotio. *Semen pacis*, Zachariæ 8, Semen pacis erit, uitis proferet fructum suum, & terra dabit germen suum. id est, semēs uberes pacificè colligetis. *Terra pacis*: pro, in qua tibi pax conceditur, ubi putas te tutum ac tranquillum esse. Hieremiæ duodecimo: In terra pacis tu fidebas: id est, putabas te tibi inter tuos tutum esse, cum esses in summo periculo. Videre uisionem pacis. Ezech. 13, Et uident ei uisionem pacis: id est, nunciant ei nomine Dei res secundas. *Multa pax*, id est, summa ac largissima fœlicitas. Psal. 119. Multa pax diligentibus nomē tuum, & nō est eis scandalum aut casus: ubi multa pax prosperum omnium rerum statum notat: *Scandalum uerò*, omnia aduersa. *Loqui cum aliquo in pace*: Genes. 37, Non potuerunt fratres Ioseph loqui ei in pace, aut ad pacem: id est, præ odio non potuerunt amanter cū eo colloqui. *In pace ire*, Iud. decimo octauo. *In pace transire*, Isaiæ 41. *In pace abire*, 1. Sam. 29. *Ascendere in pace*, 1. Sam. 25. *Dimittere aliquem in pace*, Genes. 26. id est, abire incolumem ac saluum. Sic *apponere pacem*, Prouerbiorum 3. id est, prosperum rerum successum. *Esse in pace*, Iob 9. pro, frui pace. *Pacem habere*, Hierem. 12. Pacem habent omnes in præuaricantes. Sic *habere in pace*, Threnorum primo. *Clamare ad ciuitatem opugnata, pacem*: Deutero. 20. id est, clara uoce offerre ei pacem, pacificas condiciones. Et uicissim ciuitas dicitur ibidem *respondere pacem*. id est, polliceri obedientiam, & suscipere condiciones pacis. *Congregaberis ad sepulchra in pace* 2. Par. 34. id est, rebus tuis quietis ac prosperis existentibus in summa tranquillitate mo-

rièris, hec uidebis aut patieris calamitates, quæ mox consequentur. Sic 1. Reg. 2, Non deduces caniciè eius in pace ad sepulchrum. id est, non patieris eum quietè ac tranquillè uiuere usq; ad naturalem mortem. *Ordinare pacem*, Isaiæ 26, Domine tu ordinabis pacem nobis. id est, largieris, donabis uerã pacem: sicut præcelsa fit, fidem esse cogitationem firmã, aut subnixam fultãque, quod Deus custodiet pacè. *Discedere à pace*: Threnorũ 3, Discessit à pace anima mea, oblitus sum boni, id est, priuauit me Deus pace, tranquillitate, & omnibus bonis. *Fiat pax & ueritas*: id est, uera ac firma solidaq; pax. Isaiæ trigessimono: Tantum fiat pax in diebus meis. id est, sint saltem omnia tranquilla ac pacata dum ego uiuo. *Loqui pacem ad aliquem de aliquo*: id est, promouere eius tranquillitatem. Psalmo trigesimo quinto, Non pacem loquuntur, & contra afflictos aut humiles terræ uerba fraudulenta cogitant. Psalmo octuagesimo quinto: Dominus loquitur pacem ad populũ suũ, id est, largietur ei tranquillitatem & felicitatem. Psal. 122, Propter fratres meos & proximos meos, loquar nunc pacem de te. id est, tibi precabor, & alioqui promouebo pacem. *Loqui pacem cum aliquo*, & malum esse in corde: Psalmo 28. id est, blando sermone amicitiam simulare, sed in corde hostilia cogitare. *Loqui pacem omni semini suo*, Esther 10: pro, amanter alloqui suos populares aut gentiles. *Non nosse pacem*, aliàs significat esse alienum à pace, cupidum bellandi ac lædendi. Romanorum 3, Isaiæ 59, Viam pacis non nouerunt: id est, nihil est apud eos fidei humanitatis, aut sinceritatis. Aliàs non frui aut potiri pace. Ibidè: Vias suas peruerterunt omnes, qui ambulant per eas ignorant pacem: id est, diuinitus tribulantur & puniuntur. *Quære de pace*, loquutionem supra exposui. Ierem. 15, Quis discedet ad petendum de pace tua? id est, quis ad te declinabit, ut quærat, quomodo se res tuæ habeant? quis tibi condolebit? quis te consolabitur? *Quære pacem alicuius*, est promouere eius pacem ac res secundas. Hierem. 29, Quærite pacè ciuitatis, & orate pro ea (Babylone) quia in pace eius erit pax uestra. Sic Deut. 23 iubet Deus Israelitas perpetuò esse hostes Amalekitarum, iniquiens: Non quæres pacem eorum, & bonum eorum cunctis diebus tuis in seculum. id est, promouebis ullũ eorum bonum aut commodum. Eadem locutio est & Esdra 9, Rogare quæ pacis sunt, missa legatione: Luc. 14. id est, suppliciter petere condiciones pacis. *Reddere aliquid cum pace*, Iud. 11. id est, sponte, sine bello ac armis, adempta restituere. *Redimere in pace animam*: Psal. 55. Redemit in pace animam meam à bello, quod erat aduersus me. pro, eripuit me ab imminente pugna, largitusq; mihi est tranquillitatem. Luc. 19, Si scires hodie quæ ad pacem tibi. id est, si scires quæ ad tuã tranquillitatem & fœlicitatē profint, fortè ea amplectereris: nempe, accipere uerum Meschiam, & eum placare. Apostolus est. *Reperire aut inuenire pacem*, est consequi eam. Cant. 8, Tunc fui in oculis eius ut reperiens pacem. *Respondere pacem*, Gen. 41, Dominus respondebit pacem Pharaonis. id est, Deus exposito somnio Pharaonis, respondebit salutaria consilia toti huic regno & regi. *Reuertere in pace*, est incolumè reuertere Genes. 28, Ios. 10, Iud. 8. 1. Reg. 22, & 2. Par. 19 Præcipit Achab Micham prophetam in carcere detineri, donec redeat in pace. Sed propheta negat eum reuerfurum in pace: id est, incolumem. *Salutare de uel eum pace, aut in pace*: 1. Samuel. 17. 1. Paralipom. 18, est pacem precari obuio, & quære de bono eius statu. Vide pacem fratrum tuorum, Genes. 37. id est, cognosce quomodo ualeant. Idem est etiam uisitatio in pace. 1. Sam. 17. *Pax ossibus*: Psal. 38. Non est pax ossibus meis. id est, nulla tranquillitas est membris meis ob morbũ, quo me afflixisti ob peccata mea. *Vide de pace aliquorum*, id est, cernere eorum secundas & flores

florentes res. Psalm. 37. Cum uiderem pacem impiorū. Sic pax à timore, Iob 21. In domibus eorum est pax à timore. id est, summa securitas ac tranquillitas. *Ponere sanguines belli in pace*: 1. Reg. 2. Ioab interfecit duos duces hostiliter tempore ac loco pacifico. *Pacifica bestia agri*, Iob 5. id est, non lædette. *Ingressus pacificus*. id est, pacem afferens aut indicans: 1. Sam. 16, & 1. Reg. 2. Viri pacifici nobiscum. Genes. 34. id est, pacificè nobiscum, aut inter nos uiuentes. *Pascua pacifica*. Ierem. 25. Succisa sunt pascua pacifica. id est, bello & à feris uastata sunt loca antea tranquillissima, & pastoribus ac pecoribus aptissima & refertissima. *Hostia pacifica* sæpe nominantur in Exodo & Leuitico. significant autem eas quæ pro gratiarum actione offerebantur, crebroq; cū per solutione uoti coniunguntur: sicut etiam Prouerborum septimo fit. *Via pacis*, suprâ expositum est. Sed tamen quia Lucæ primo est, Meschiam ideo apparuisse, ut dirigat pedes: ideo sciendum est, ibi uiam pacis significare non tantum doctrinam ducentem ad illam summâ ac æternâ pacem: sed etiâ ipsam uerâ fidem, conuersionem, iustificationem ac renouationem, per quam nos ducit Meschias ad summam illam ac æternâ pacem aut felicitatem. Denique quia regnum cœlorum dicitur esse iusticia, pax & gaudiū in Spiritu sancto, aut per Spiritum sanctum: & Romanor. quinto habetur, quod iustificati fide pacem habeamus: utile fuerit illud dictū fieri aliquanto notius. Adscribam igitur cuiusdā semi-grâmaticam, & à nostro instituto non alienâ annotationem super eum locum. Pacem Hebræis dici res prosperas & secundas, notum est. Notum etiâ est, hoc uocabulo declarari concordiam. Ad has significationes accedit etiam tertia, quoties uidelicet *ἀνθυμιαν*. id est, animi tranquillitatem & serenitatem declarat, quâ nonnulli ex philosophis pro summo bono habuerunt: sed perperam definitam, ut mox dicemus. Potest autem hæc tertia significatio sub secunda etiam comprehendī. Pacem enim ac concordiam habent homines aut cum Deo, aut alij inter alios, aut denique cum seipsis. Quidam igitur primam illam concordia speciem hic putant significari, ut sit hæc sententia: Nos fide iustificati, iam reconciliatos esse cum Deo per Christū, qui inimicitiarum causas sustulit. Quæ doctrina uerissima quidem est sed non satis appositè traditur hoc loco. neque enim Apostolus propriè hic agit de mediatoris Christi opere, sed à fidei effectis argumentatur. Quidâ igitur hanc pacem cum Deo in ita aliter explicant: nempe ut qui semel reconciliati sunt Deo, pacem istam colant, uitantes scilicet peccata, & iusticiâ colentes: quæ & ipsa interpretatio, quamuis piâ sententiâ gignat, tamen est *ἀπαρδιόπου*. Alij ergo de secundo genere pacis hæc accipiunt, & legunt *ἡμεῖς* habeamus: quasi nos fide iustificatos Paulus ad mutuam pacem colendam hortetur. quæ etiâ interpretatio ad scopum Apostoli non pertinet. Superest tertia concordia speciem, quâ quispiam animi tranquillitate fruitur: quæ rursus accurata distinctione indiget. Triplex enim est in homine dissidium, nempe & perturbationum animi aduersus rationem (cuius mali neque quæ sit origo, neque quod sit remedium, intelligere potuit philosophia) & carnis. id est, totius hominis *ψυχῆς* aduersus nouū hominē, quæ Scriptura Spiritum uocat: quod dissidium cum sit filij Dei peculiare (cæteri enim nihil aliud sunt quam caro) minimè mirum est, philosophos hoc certamēne suspicari quidem unquam potuisse. Inimicitiarum terrores conscientia, iudicij diuini sensu percussæ, quos poetæ sub Nemesis & Furiarum specie representarunt. Huic triplici certamini pax triplex opponitur. & quod ad primâ quidem attinet, qui fide sunt iustificati, quum sint quoque peccato mortificati, aliquē huius pacis gustū habeāt necesse est: sed cum carnis lu-

cta super sit, non est quod hanc pacem sese habituros sperent, quandiu hic uersantur. De secunda idem statuendum est, tum aduersus Pelagium, qui quanta sit hominis labes, cognoscere non potuit: tum aduersus Origenem, Celestinum, Anabaptistas, Libertinos, & eiusmodi omnes fanaticos, qui iustificatos constituunt *ἀναμαρτύτους*. Superest uera illa pax mundo incognita, de qua hic agit Apostolus: id est, incredibilis illa & constantissima mūdi recreatio, qua fit ut de beneuolētia Dei securus homo, superatis conscientia terroribus, clamet cum Daide, Dominus illuminatio mea, & salus mea, à quo timebo: & In te Domine speraui, ergo non confundar in æternum. Hanc uerò pacem mundus quidē somniat, sed apprehendere nullo modo potest. Nam aut prorsus est *ἀπρόγυμνος*, id est, stupidus, & omnis doloris expertus: aut pro Deo sibi idolum fabricat, ipsius misericordiam à summa iusticia separans: uel iræ Dei opponens uana hominum commenta, sese denique suis insomnijs pascens. Vna uerò fides quæ uerbo ipsius Dei nixa, Christum ueram iusticiâ apprehendit, hanc pacem affert. Quid uerò fidem, quid iusticiâ appellet Paulus, suo loco exposuimus. *Filius pacis*, ut & suprâ exposui, Matth. 10, & Luc. 10, dicitur, qui & amat piam pacem, ac tranquillitatem, eamque promouet, & dignus illa à Deo esse censetur. Ibidem est, Pax uestra quiescet super eum, aut reuertetur pax uestra. ubi pax Apostolorū uocatur illa pia imprecatio pacis, quæ sit profutura dignis, ab indignis autem sit is fructus piæ precectionis ad ipsosmet Apostolos reuersurus. Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum uerbum tuum in pace. id est, iam permittes ut tranquillo animo & in uiso Messia acquiescens moriar, ac ad illam ueram æternamque pacem migrem. Christus inquit Ioan. 14. Pacem meâ relinquo uobis, pacem meâ do uobis. id est, primū quidem spiritualem pacem, deinde etiâ externum quoddam patrocinium, defensionem ac tranquillitatem, quæ tamen non ex mundi aut potentum gratia, sed ex solo Deo proficiscatur. De eadem pace etiâ postea Cap. 16 inquit: Hæc locutus sum uobis, ut in me pacem habeatis, in mundo pressuram habebitis. id est, mundus uos persequetur, sed uos habebitis à me pacem multipliciter: nempe fauorem à Deo, tranquillitatem animi seu bonam conscientiam ob iustificationem ac reconciliationem: habebitis deinde & eâ pacem, ut uos Spiritus S. regat ac cōsoletur, ne uobis satan, aut caro aut uetus Adâ ita imperitet, sicut antea, ne uel peccatū regnet in corpore uestro. Habebitis & consolationē ex mea doctrina, quam uobis iam proposui in spiritualibus & corporalibus afflictionibus ac perturbationibus: & denique pater cœlestis non patietur capillum de capite uestro decidere, mandans angelis, ut uos custodiant, & in manibus portent in omnibus uijs uestris. *Deus pacis* dicitur, non dissensionis: Rom. 15. 16. 1. Cor. 14. & 2. Cor. 13. ubi *dilectionis* quoque Deus nominatur. Sen sus autem est, Deus autor & probator pacis. 1. Cor. 7. dicitur Deus nos uocasse in pace: id est, ad studium temporariae pacis, & ad consequendâ etiam æternam tranquillitatem. Rom. 14. Quæ pacis sunt sectemur: id est, neminem lædamus, omnibus profimus, queramus denique temporariam & æternam pacem. Christus dicitur pax nostra, quia utraque unum fecit. & maceriam septi dissoluit, Ephes. 2. id est, conciliauit gentiles cum Iudæis, abrogata ceremoniali lege. Mox ibidem notatum de hac externa duorum populorum inter se inuicem pace agit, sed etiâ de pace cum Deo. Locus est perspicuus. Ibid. 6. Calceatis pedibus in præparatione Euangelij pacis. *Euangelium pacis* uocat, quia & annunciat & affert ueram ac æternam pacem. Vult autē nos præparari, instrui, ac ueluti armari Euangelio ad spirituale cursum, sicut uiatores se calceis præparant: &

præterea nos præparari ad annunciandum Euangeliū pacis. Hac ratione quoque ipse Christus uocatur *rex pacis*. Hebr. 7. id est, causa & author pacis, quod ille multipliciter præstat. *Fructus iustitiæ* in pace seminatur, facientibus pacem, Iac. 3. ubi *facere pacem* est ea agere, quæ ad temporariā & æternā pacem præsent, neminem lædendo, & cum omnibus pacificè agendo. Id dum agitur, pij simul etiam iustè agunt, & sibimet uberrimum fructū aut præmium iustitiæ comparant.

PAXILLVS. uide supra in PALVS.

PECCATVM. Vocant Latini peccatum, quicquid contra officium normamq; recti ac honesti fit: & propriè actuale quid significat, siue quid malè fiat, siue malè negligatur. Sed in Sacris literis hæc uox latius patet, & plures habet non nihil obscuras, aut certè ignotas significationes ac locutiones. In genere autem uidetur rectè I. Ioann. 3. descriptum esse, quod sit, quicquid est à lege Dei alienum: siue sit ipsius naturæ distortio, deformitas aut prauitas siue quicunq; peruersi motus animi, siue conatus, aut deniq; actiones. Nam lex non tantum prauas actiones internas ac externas prohibet, & rectas mandat: sed etiā uult ipsum cor totumq; hominem rectum esse, ac diuinæ imagini correspondere: sicut toties Scriptura prauitatem, peruersitatem, lapidositatem & incircumcisionem cordis accusat, spirituale cor flagitat: & sanctos perfectosq; nos esse, sicut pater cælestis est, seueriter præcipit. Peccati uocabulo in genere multum utitur Scriptura, eiq; æterni exitij causam adscribit, affirmans peccati stipendiu esse mortem: Rom. 6. Obseruandum autem est, idem prorsus illi significare hanc uocem, quod alioqui non tantum philosophi ac docti, sed etiam indocti uocant *iniusticiam*, nempe uniuersalem iniusticiam. Contrarium ergo uerum ac propriū Peccati est, iusticia uniuersalis aut integra. Idem etiam ualent mala aut praua opera, quod peccatum: & contra Bona & recta opera, idem quod iusticia. Sanctitas quoque & pietas æquivalent iusticiæ, & sunt contraria peccato: sicut contra impietas & iniquitas congruunt cum peccato. Hæc obseruatio ad multa prodest, quum alioqui sit obuia. Sic enim melius intelligemus, cur peccatis mors, & remissioni peccatorum uita tribuatur: sicut & in communi uita & olim à doctis disputatum est, iusticiam esse causam felicitatis, aut beatæ uitæ: iniusticiam autem contra infelicitatis, aut beatæ uitæ: iniusticiam autem contra infelicitatis. Peccatum quoque idem est quod inobedientia legis: & contra, uera & perfecta obedientia est impletio legis, ac iusticia ipsa. Peccare igitur uidetur significare, simpliciter à recto deuiare, etiam in alijs rebus, non tantum ubi lex Dei aut norma obedientiæ erga Deum negligitur, uiolaturq; ut Iud. 20. dicuntur Benjaminitæ fuisse optimi fundibularij, ita ut non peccarent: id est, à scopo aberrarent. inquit enim textus: Qui omnes funda iaciebant lapidem ad capillum, nec peccabant. Sic Iob 5 legitur: Inuises tabernaculum tuum, & non peccabis: id est, non aberrabis à tuo tabernaculo: facile id reperies, quantumuis in solitudine aut locis ignotis fixeris. id est, in omnib. tuis operibus rectè scopum attinges. Iob 33. natura huius uerbi aliquot synonymis declaratur: Peccaui, rectum curuauit, & æquum non mihi: scilicet, fuit propositum aut in meo conatu. Ab hac externa corporaliū aberratione à rectè agendo, uidetur uerbum hoc per metaphoram traductum ad spiritualem discessionem à recta linea legis Dei, aut quorumcunq; superiorum, uel etiam æqualium, quibus aliqui legibus obstricti tenentur. I. Regum decimo quarto. Irritauerunt Iudæi Deum præ patribus suis, in omnibus peccatis quibus peccauerunt. Zoph. 1. Quia Domino peccauerunt. Psalmo decimo quinto. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Huius signi-

ficationis innumera planè sunt exempla. Sic & contra homines aliquis peccare dicitur: ut Genes. quadagesimo. Peccauerunt pincerna & pistior regis. I. Samuel. decimonono. Ne peccet rex in seruum suum Dauidè, quia non peccauit tibi, & opera eius sunt tibi ualde salutaria. Et mox: Quare peccabis in sanguinem innocentem, ad interficiendum Dauidem sine causa? Verum ob infinitam copiam, omitemus citationem explorum huius significationis. Significat quoque crebro uerbum *peccauit*, in prima coniugatione non actionem, sed qualitatem inhaerentem, seu sortem ac conditionem hominis, seu esse peccatorem, esse reum: sicut solent uerba Hebræa sæpissimè tantum existentiam rei, non actionem aut passionem, alium uel motū indicare. Genes. quadagesimo tertio. Dixit Iuda ad Israelem patrem suum, Mitte puerum Benjamin, & ego fideiubeo de eo, ex mea manu require eum: Si non reduxero eum ad te, & coram te stitero eum, & peccabo tibi omnibus diebus. id est, sim tibi reus ac obligatus, habeatq; à te pro scelerato omni tempore, perpetuò mihi sis infensus, aduersus ac molestus, ut extremè nephario, ac in te iniurio. Sic idem uerbum, ac in eodem sensu, repetit Iuda erga Iosephum: Quoniã seruus tuus sponsione facta accepit puerum à patre suo, promittendo, quòd si non reduxero eum ad te, & peccabo patri meo omnibus diebus. Exod. quinto. Non datur nobis stramen, & urgemur ad explendum numerum lateru: & ecce serui tui sunt cæsi, & populus tuus peccabit. id est, sceleratus, noxius ac reus iudicatur, habeturq; & ideo duriter affligitur. I. Reg. 1. Et erit, cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis, & erimus ego & filius tuus Salomon peccatores. id est, habebimur pro sceleratis, reis ac nefarijs, & ideo etiam mox uel in tetros carceres, uel ad extremum supplicium cruciatuq; abripiemur. Sic Romanorum quinto. In Adamo omnes peccauerunt. id est, scelerati ac Dei hostes facti sunt. Quæ quasi habitualis significatio uerbi & nominis *Peccati* diligenter obseruanda est, ut sciamus, Scripturam in arguendis peccatis, non solas prauas actiones aut rectorum omissiones accusare: sed etiam ipsam prauam naturam aut indolem hominis, quam à patre suo diabolo in ruina primi hominis hausit. Quare semper in hac & uicinis uocibus unà cum actione etiam ipsam malam naturam, eiusque (ut ita dicam) foetorem coram Deo & tristem reatum coniungamus, ac simul expendamus. Cum Dauid confitetur & queritur Psalmo quinquagesimo primo: se in peccatis conceptum ac natum, non loquitur de actualibus peccatis: nec matrem, sed semetipsum accusat. Confitetur igitur se natum esse in multiplici immundicie, foeditate, reatu & crimine: seu turpem ac malū, Deo aduersum, exosum ac reum. Sic cum Iudæi dicunt ad cæcum natum, ac à Christo sanatum, Ioan. 9. Tu natus es in peccatis & uis nos docere? non illi quidem propriè in originale omnium hominum peccatum respiciunt: sed tamen uolunt dicere, eum ita inde ex utero distortæ ac peruersæ naturæ esse, ac ita quasi monstruosum ac sceleratum formatum esse, ut non sine causa eum ipsa mater natura cæcitate signauerit, quo omnibus testaretur hunc hominem peruersissimi ingenij ac indolis esse, eoq; ab omnibus ueluti portentum quoddam, detestandum & fugiendum esse. Significat igitur Psalmo quinquagesimo primo, uox *Peccati*, non prauas actiones, sed innatas aut ingenitas pessimæ indolis distortionem aut malicias. Sic Ieremiæ decimo septimo dicitur peccatum Iudæ esse scriptum aut sculptum stylo ferreo, & ungula adamantina in tabella cordis eorum. ubi non actuale peccatum notat, sed innatam ac ingenitam maliciã ac procliuatam ad idololatrias: sicut & Paulus inter carnis opera recenset & idololatriam, Gal. 5. *Peccatum* in sin-

in singulari numero, præsertim cum articulo ἡ ἀμαρτία, Paulo plerumque illum summum regem aut caput peccati, nempe originalem corruptionem significat: in plurali autem ἀμαρτίας, fructus aut effectus eius, id est actualia peccata. Romanorum quinto: Sicut per unum hominem peccatum in mundum introijt, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors peruasit, in quo omnes peccarunt: non actionem, sed ipsum habituale, aut potius innatum & essenziale malum significat, quod nempe per Adamum omnes facti sint corrupti Satanæque imaginem circumferant, eoque sint aduersarij Deo, ei infensi & exosi, eiq; rei ac ab eo damnati, ut supra productis exemplis de hoc uerbo ac nomine dixi. Aliquando tamen etiam plurali numero Originale peccatum notat, ut supra de Psalmo quinquagesimo primo dixi. Omnes peccauerunt, & carent gloria Dei: Romanorum tertio, significat omnes esse peccatores ac reos, carere iusticia, ac omni gloriatione coram Deo de iusticia ac uita: sicut mox sequitur, Vbi gloriatione? Ad ostensionem iusticiæ suæ, propter remissionem præcedentium peccatorum: Romanorum 3. id est, exhiberi iusticiam Dei aut obedientiam ac passionis Christi, & imputari credentibus in hunc finem ac usum, ut peccata condonentur. Peccatum sæpè, ut supra dixi, in genere ipsam totam huius pestis molem aut massam, seu totam iniusticiam denotat. Sic Romanorum tertio dicuntur omnes sub peccato esse, & per legem esse cognitionem peccati. & Romanorum quarto, cui Dominus non imputauit peccatum. Eadem fermè significatione Romanorum quinto dicitur peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mors. Sic & cum Iohann. 9. Christus dicit, Peccatum uestrum manet uobis: totam iniusticiam complectitur. Et Iohann. 16. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato: id est, de tota mole peccati, quod manet uobis, & nõ est per fidem ablatum: non tantum de una specie, seu de sola incredulitate loquitur, ut ex dictis (Peccatum uestrum manet uobis, &c. Si non credideritis, in peccatis uestris moriemini) patet. Alioqui plerique intelligunt de unico incredulitatis peccato. Sic Isaiæ trigesimo quinto, Fecit Dominus in eo concurrere omnium nostrum peccata: peccatum itidem omne in uniuersum notatur. Huc & referantur appellationes, seu æquipollentes uoces, quæ omni in uniuersum peccato competunt. cuiusmodi sunt in Veteri testamento, Delicta. Iob decimo tertio, Scelera mea & delicta mea ostende mihi. Leuit. 5. Adducat pro delicto suo domino. Item Leuit. 6. Iniquitas & Iniquitates: Exod. 34, qui aufers iniquitatem, Deuteronomij quinquagesimo quarto, Non feret iniquitatem uestram, & peccata uestra. Iob 13, Quantas habeo iniquitates & peccata, &c. Isaiæ quinto, Væ qui trahitis iniquitatem in funibus uanitatis, &c. Esa. quadragesimo secundo, Præbisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me. Isaiæ quinquagesimo, In iniquitatibus uestris uenditi estis, &c. Osee duodecimo, Nec inuenietur in cunctis laboribus meis uel iniquitas, uel peccatum. Psalmo quinquagesimo primo, Ecce in iniquitatibus conceptus sum. Psalmo 85, Remisisti iniquitatem plebis tuæ. Psalmo 32, Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Impietas & Impietates: Iob trigesimo quarto, Absit à Deo ut faciat impietatem. Peruersitas, Scelus, & Scelera. Præuicatio, & Præuicaciones: Leuit. uigesimo sexto, Pro præuicatione sua. Item Iosue 22. Ezech. 14, cum terra præuicetur præuicatione. Isaiæ uigesimo quarto, Præuicatores præuicati sunt, præuicatione præuicatores præuicati sunt. Psalmo 101, Facientes præuicationes odini. Transgressio, Malicia: Genes. 6, Vidit Deus quod multa malicia hominis esset. Genes. decimotertio, Viri Sodomitæ erant mali. Ieremias 1, Et

loquar iudicia mea cum eis, super omnem maliciam eorum qui dereliquerunt me. Ionæ primo, Ascendit malicia eorum ad conspectum eorum. Malum: Iudic. 3, Fecerunt filij Israel malum in oculis Domini. Iudic. 4, Addiderunt filij Israel facere malum in conspectu Domini. Item Iudic. 6 & 10, 2. Reg. 12. Quare contempsisti uerbum meum, ut faceres malum in conspectu meo? 3. Reg. 14. Et fecit Iudas malum coram Domino. 3. Reg. 22, Fecit Ochosias malum in conspectu Domini. Item 3. Reg. 17 & 4. Reg. 3. Fecit malum coram Domino. 4. Reg. 13, Fecit malum Ioachatz coram Domino. Et 2. Paralip. 29. Proverbiorum quarto, Deflecte à malo. Isaiæ sexagesimo quinto, Faciebatis malum in oculis meis. Item cap. 66. Ierem. 7 & 52, Fecit malum in oculis Domini. Abominationes: Leuit. 18, Omnis anima quæ fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi sui. Ieremias decimotertio. Super colles in agro uidi abominationes tuas. Ier. 16, Abominationibus suis impleuerunt hæreditatem meam. Ezech. 7, Et ponam contra te omnes abominationes tuas. Et cap. 33, Fecistis abominationes. Auersio, & Auersiones: Ierem. 2, Auersiones tuæ increpabunt te. Ezech. 9, Ciuitas repleta est auersione. Piaculum, Sanguis: id est, reatus, non tantum cædes, ut aliqui existimant, sed in genere omnia peccata morte digna uocantur: ut Psalmo uigesimo sexto, Non concludas cum peccatoribus animam meam, & cum uiris sanguinum uitam meam. Item Osee quarto, & alijs sæpè. Verbum pro peccato, aut absolute: ut 2. Reg. 11, Et displicuit uerbum hoc quod fecerat Dauid coram Domino. 4. Reg. 17 Fecerunt filij Israel uerba pessima irritantes Dominum, Psalmo sexagesimo quinto, Verba delictorum (id est, res iniquæ) præualuerunt contra nos. Psalmo 101, Non ponam ante oculos meos uerbum Belial: id est, rem iniustam. Fornicatio: Leuit. 20, Conenserunt ei ut fornicarentur cum Moloch. Psalmo 73, Qui fornicantur à te. Via mala: Ierem. 25, Reuertimini unusquisque à uia sua mala. 3. Reg. 16, Tu ambulasti in uia Ieroboã. Sic 3. Reg. 22. Benedicere, per antiphrasin pro peccare. Iob 1, Ne forte (ait Iob) peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Desideria cordis: Psalm 81, Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in aduentionibus suis. Aduentiones: Psalm 81, Ambulare ex aduerso Deo: Leuit. 26, Quod non placet Domino: 3. Regum 11, Fecitque Salomon quod non placuerat coram Domino. Stultum quid contra Deum ageret: Iob primo, In omnibus his non peccauit Iob, neque stultum quid contra Deum locutus est. Cæterum in Nouo testamento æquipollent τὴν ἀμαρτίαν uocabulo (quod peccatum significat, & in Apostolorum scriptis omnium usitatissimum & frequentissimum est) ἀδικία iniusticia, qua uoce utuntur Apostoli Act. 8, In felle enim amaritudinis, & colligatione iniusticiæ uideo te esse. 1. Iohann. 1, Fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniusticia. 2. Pet. 2, Recipientes mercedem iniusticiæ. Rom. 1, Reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniusticiam hominũ, qui ueritatem in iniusticia detinent. Romanorum 3, Si iniusticia nostra Dei iusticiam cõmendat, quid dicemus? Rom. 6, Neque præbete membra uestra arma iniusticiæ peccato. A uerba, hoc est, quiddam illegitimum, quod pugnat cum lege. Tit. 2, Christus dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni illegalitate. 1. Iohann. 3, Peccatum est iniquitas. παράβασις, transgressio: Roman. 5, Qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adam. Gal. 3, Lex propter transgressiones posita est. 1. Timoth. 2, Mulier obnoxia facta est transgressioni. ἀμαρτία: Rom. 3, Propter remissionem præcedentium delictorum, ἀμαρτιώνων: quæ uox apud solum Paulum reperitur. Aut παράνομια: Rom. 4, Traditus est propter

pter peccata *παραπτώματα* nostra. Romanorū 5. Sed non ut delictum, *παραπτώματα*, ita & gratia: ubi Paulus non tantum peccatum Adæ, sed etiam posterorum eius, *παραπτώματα* appellat. Inquit enim paulo post: Gratia uero ex multis peccatis, *ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων*, ad iustificationem. Idem Ephes 2, Et uos eratis mortui *τοὺς παραπτώμασι καὶ τῆς ἁμαρτίας*, in delictis & peccatis, in quibus aliquando ambulastis. Hæc uox Paulo est usitatissima, alijs non item: & præcipue actualia peccata significat. Etymon eius sonat prætercadere, cum scilicet ultra rectam iusticie lineam cadimus. *ὑπέρβη*, quod ad uerbum sonat *uictum* esse. peccata enim nostra sunt, succumbere satanæ, aut uinci ab eo: 1. Corinthiorum sexto, Omnino delictum seu defectus in uobis est, quod lites habetis inter uos inuicem. & Rom. 11. Si lapsus illorum (*παραπτώματα*) sunt diuitiæ mundi, & (*ὑπέρβη*) diminutio illorum seu detrimentum diuitiæ gentium. Interdum etiam appellationes speciales peccatorum generaliter usurpantur pro peccato: quales sunt, *κακία*, malicia, 1. Pet. 2, Deponite omnem maliciam. Idem Nō 20 quasi uelamen habentes maliciæ libertatem. 1. Corinthiorum decimo quarto, Sed malicia paruuli estote. Ephes. 4, Omnis amaritudo, &c. tollatur à uobis, cum omni malicia. Iac. 1, Abicientes omnem immundiciam, & abundantiam maliciæ. *πυρπία*. Rom. 1. Pleni malicia & uersutia. 1. Corinthiorum 5, Non in fermento *κακίᾳ καὶ πυρπία*. *ἐπιθυμία*, concupiscentia. 1. Ioan. 2, Omne quod est in mundo, ueluti concupiscentia carnis. 1. Pet. 2, Concupiscentiæ, quæ militant contra animam. 2. Pet. 1, Si refugeritis à corruptione, quæ est in mundo per concupiscentiam. Et Paulus ad Tit. 2, Ut abnegata impietate, & mundanis concupiscentijs, sobriè & iustè & piè uiuamus. Rom. 7, Peccatum non agnouissem, nisi per legem: concupiscentiam etiam non noueram, scilicet esse peccatum, nisi lex dixisset Non concupisces. & Iacob 2 & 5. *incredulitas*, nam quod Paulus Gal 3, dicit, Cōclusit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide daretur: idem Rom. 11 his uerbis effert. Conclufit Deus omnes sub incredulitatem, ut omnium misereretur. Peccata quoq; dicuntur *Debita*, & reuera sunt: 40 idq; duplici ratione. Primum enim peccata sunt, debite obedientiæ neglectio, aut non persolutio. Debet enim rationalis creatura creatori suo Deo perpetuam & perfectissimam obedientiam. Hoc suum debitum, tributum, aut censum deberet rationalis creatura omni momento integerrimè præstare: si non facit, retinet quasi alienum quoddam inuito domino, contra omne ius ac fas, eodq; illi moles debiti ueluti scœnoris cuiusdam uehemētissimè cumulatur. Talis uero, ut dixi, debite obedientiæ nō persolutio, sunt ppriè nostra peccata. Secundo peccata nostra uocantur *Debita*, quia etiā debet Deo 50 persolutione pœnæ p tot admissis culpis: quā persolutione dū differimus, cumulamus nobis debitum, & (sicut Paulus loquitur) iram, in die iræ. Sunt igitur peccata nostra uerè debita quædam, idque (uti ostensum est) duplici ratione. Hæc igitur debita nobis condonari ac remitti, in oratione Dominica supplices petimus. Fit autem ista debiti abolitio, si nos quidem respicias, per meram condonationem: si uero mediatorem, fit per eius compensationem aut persolutionem, obediendo 60 ac patiendo legi iusticiæ que Dei depensam, & nobis à Deo per fidem imputatam: de qua re in Libello de Iusticia plenius disserui. Hactenus uocis Peccati naturam ac uim generatim exposui. quia autem uariæ species & partes peccati uulgò commemorantur: earum quoque appellationes, ne imperitiorebus sint ignotæ, percurram. PRIMVM igitur Peccatum primi hominis aut parentis est ille lapsus: quod non tantum de uetito pommo comedit, sed etiam sciens ac uolens à se uero mandato sui creatoris discessit: plusque Satanæ, ingentia 70

bona ex peccato promittenti, quam Deo ipsi exitium mortemque comminanti, credidit: qua ratione à Deo sese auellens, Satanæ eius hosti semet associauit. Quem lapsum mox aut pœna sequuta est, totius naturæ hominis ex imagine Dei in Satanæ laruam transmutatio: ueluti si ex optimo auro aut argento scoria, & ex optimo uino aqua aut uappa, aut ex dulci massa foetidissimum fermentum factum fuisset. quibus similitudinibus in declaranda hac horrenda metamorphosi Spiritus sanctus in Scripturis utitur. Porro peccatum originale est tū hæreditas illius ipsius primi malefacti, seu reatus ipsius: tum & illa horrenda imago aut larua Satanæ, in quâ diximus Adamū ex imagine Dei tristissima metamorphosi immutatum: ut iam non Deum creatorem ac patrem suum, sed Satanam repræsentet, præ se ferat, referat, aut exprimat: quæ in nos in ipsa statim conceptione ac procreatione ex patre nostro transit. Similes enim ille sibi procreat: sicut Genes. quinto describitur, quod ad imaginem & similitudinem suam liberōs Adam genuerit, non ad Dei similitudinem aut imaginem, ad quam initio formatus fuerat. Hæc uero extrema sceditas & tristissima distortio, nunquam ueluti Euripus quidam, caret suis pessimis æstibus etiam antequam incogitationes aut actiones externas, uel etiam internas erumpat. Nam & caret omni uera cognitione, timore, amore ac fiducia Dei: & contra, prauè de Deo sentit, eumque ac eius uoluntatem religionemque pro summa stulticia habet, atque adeo uehementissimè odit: idololatrias, res terrenas, omniaque iniusta ac praua ferriō amat & magnificat, &c. Hosce igitur perpetuos æstus, exhalationes, fumos ac foetores corruptionis nostræ uocat Scriptura *Concupiscentiam*. Aliud enim est caro, aliud quod ea concupiscit contra Spiritum. Hanc pestem nec corruptionem ipsam propriè, nec etiam actualia peccata rectè dixeris: sed est quidam eius perpetuus æstus, aut agitatio. Huc & referantur appellationes peccati Originalis, quibus utitur Scriptura. Ro. 7, appellatur *Peccatum*, & *Lex membrorum*, & *Concupiscentia*: alibi, *carentia iusticiæ originalis*, deprauatio naturæ, signum tum malum, fomes, languor naturæ, lex carnis, &c. Appellatur & *Peccatum militans*, quia quantumuis iam in sanctis nonnihil mortificatum sit ac debilitatum: tamen adhuc potenter ac furenter militat contra nouum hominem, summo studio eius pia uota conatusque impediens, ne ea piè sancteque faciat ac præstet, quæ cupit & studet: quinetiam non raro captiuum rapit nouum hominem, ac in peccata tristesque lapsus protrudit: sicut Paulus Romanorum septimo de seipso miserabiliter queritur. Appellatur & *Peccatum tenaciter inherens*, quod etiam in sanctis pertinacissimè hæreat: quod Paulus Hebr. 12 deponere iubet. Deponunt autem, qui constanter originali illi pesti resistunt, ne per suos pessimos fructus in membris regnet: & in super hydram illam omni studio, fide, inuocatione, & alijs pietatis exercitijs sedulo mortificant ac debilitat, capita ueluti eius uerbi Dei gladio amputando, & igne Spiritus sancti adurendo. Ex hoc incendio aut feruore prauitatis humanæ sequuntur *Actualia peccata*, tum interna prauorum motuum, affectuum, & cogitationum, siue eis indulgeamus, siue resistamus: tum externa falsi aut alioqui peruersi sermonis, prauorum conatuuum, & denique operum quibus uel bona facienda, utpote à lege mandata, negligimus, uel contraria facimus. De hoc peccato actuali loquuntur sequentia Scripturæ testimonia. Genes. quadragesimo, Accidit ut peccaret duo eunuchi. Genes. quadragesimo primo, Cognosco peccatum meum. Exod. 9. Pharaon adiecit adhuc peccare. Exod. 10. Remitte quæso peccatum meum (altem hac uice). Exod. 30, Et deprecabitur Aaron super cornua altaris semel per annum in sanguine quod oblatum est pro

pro peccato. Exod. 32, Peccatis peccatum maximum. Exod. 34, Offerat pro peccato suo. Leuit. 16, Offeret iu uencam pro peccato suo. Num. 5, Peccatum hominis. Num. 12, Ne imponas nobis peccatum hoc, quod stultè commissimus. Num. 32, Peccatum uestrum apprehendet uos. Deuteronom. 24, Vnusquisque pro peccato suo interficiatur. 2. Regum 12, Dominus transtulit peccatum tuum. 4. Reg. 3, Ioram mansit in peccatis Ieroboam. 2. Paral. 28, Non introducetis huc captiuos, ne peccemus Domino. Quare uultis adijcere super peccata nostra, & uetera camulare delicta? Grande quippe peccatum est, & ira furoris Domini imminet super Israel. Esaiæ tertio Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt. Esaiæ trigesimo, Addunt peccatum peccato Zach. 14, Hoc peccatum omnium gentium. Variæ quoque appellationes peccati actualis in Scriptura occurrunt: ut sunt, *Opera mala*: 1. Ioan. 3, *Opera Cain mala erant*. *Opera infrugifera tenebrarum*. Ephel. 5. Roman. 13, *Inquinamenta mundi, Corruptiones, quæ sunt in mûdo*, 2. Pet. 2. *Carnales concupiscentiæ*, 1. Pet. 2. *Opera carnis*, Gal. quin 20, &c. Per excellentiam quoque Peccare & Peccatum de atroci aliquo scelere, aut alioqui singulari prauo facto dicitur: ut Mat. 18, Quoties peccabit in me frater meus & remittam ei? Luc. 15, Pater peccaui in cœlum, & coram te. Ioann. 9, Quis peccaui, hic aut parentes eius? Respondit Iesus: Neque hic, neque parentes eius. Sic Iudas desperans ait: Peccaui, tradens iustum sanguinè. Sic accipi potest & illud Pauli Act. 25, Neque in Cæsarem peccaui: quò modo & Daniel loquitur. Sic & illud Pauli: Si nupseris, non peccasti: scilicet, in eo facto nihil mali fecisti. Sic 1. Pet. 2: Si peccantes & cæsi patienter fertis, id est, singularia aliqua scelera patranses, Eodem modo de uno primo angelorum lapsu dicitur 2. Pet. 2. Si Deus angelis peccantibus non pepercit. 1. Timoth. quinto, Peccantes coram omnibus argue: id est, aliqua tetra facinora admittentes. Hinc & eodem modo Peccator *uax' & gylw*, pro scelerato accipitur. Sic Genes. decimo octauo, Sodomitæ dicuntur fuisse peccatores Et 1. Sam. 15 Amalechitæ. De talibus peccatoribus sæpissimè, ac plerunque sanè Psalmi loquuntur: ut Psal. 1, In uia peccatorum non stetit. Item, Peccatores non consistent in cœtu iustorum. Psalmo 3, Dentes peccatorum contriuiisti. Psalmo 18, Ne trades me cum peccatoribus. Psalmo 37, Adhuc pusillum & non erit peccator. Psalmo 50, Peccatori autem dixit Deus, quare tu as famis legem meam? Psalmo 73, Pacem peccatorum uidi. Denique plerunque in Psalmis & prophetis hoc sensu uox Peccatoris accipitur. Sic & in Nouo testamento: ut Matth. 9 & 11 Christus dicitur accubuisse cū publicanis & peccatoribus: id est, cum hominibus flagitiosæ uitæ. Matth. 26 & Mar. 14 dicitur Christus tradit in manus peccatorum. Luc. 6, Nam & peccatores eos, à quibus diliguntur, diligunt. Et ibidem, Siquidem & peccatores hoc faciunt: id est, nequam & scelerati homines. Luc. 7, Et ecce mulier in ciuitate, quæ erat peccatrix, Quo in loco, ne quis putaret mulierem illam adhuc fuisse peccatricem, Erasimus pro imperfecto plusquam præteritum tempus conuertit. Sed & à textu (in quo est tempus imperfectum) & à genuino sensu discessit. Voluit enim notare Lucas, qualis esset mulieris conditio, & quid de ea homines uulgò sentirent. Erat ergo communi hominum iudicio peccatrix: hoc est, sceleratæ & probrosæ uitæ. Sic Ioan. 9 Pharisei dicunt, Christum esse peccatorem: id est, hominem sceleratum ac impium, utpote qui uiolet sabbatum & legem. Contrà uerò cæcus natus negat eum esse peccatorem: quia deus peccatores non exaudiat, id est, sceleratos ac impios, dataque opera peccantes. Sic accipiendum uidetur peccatoris uocabulum & in illo Romanorum quiato, Cum adhuc peccatores essemus. Christi

stus pro nobis mortuus est: id est, cum toti uitiosi ac in peccatis submersi essemus. Sic Galat. secundo, Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores, id est profani, perdit, & à Deo alienati. Sic 1. Timoth. 1, Sciens quod iusto nō sit lex posita, sed iniustis & impijs, peccatoribus, homicidis, &c. Sic Iac. 4, Appropinquate Deo, mundate manus peccatores. 1. Pet. 4, Si iustus uix seruatur, impius & peccator ubi apparebunt? Hactenus de peccato actuali in genere: nunc & species explicabimus. Est autem multiplex distinctio. I. Est peccatum omissionis, & commissionis. Omissionis peccatū est, cum id omittimus facere, quod Deus præcepit. Thomas subdistinguit hoc modo: Vnum est, quando quis omittit bonum facere: aliud, omittendo mala, & aduersa tolerando. Commissionis peccatum est cum id patramus quod Deus seueriter prohibuit. II. Est in æternum prauorum motuum, affectuum & cogitationū: & Externum, sermonis, prauorum conatum, & denique operum. III. Est peccatum *Tabula prima & secunda*. IV. Est occultum & notum seu manifestum. Psalmo decimonono, Delicta quis intelligit: ab occultis meis munda me, &c. Nominantur & eadem peccata *precedentia & subsequencia*. 1. Timoth. quinto, Quorundam hominum peccata antè manifesta sunt, præcedentia ad iudicium: quosdam uerò & subsequuntur. Dicuntur autem præeuntia, quia maturè patefunt: ut Simonis Magi, antè manuum impositionem. Subsequencia sunt quæ serò, & plerunque post mortem innotescunt: ut Iudæ, Saulis, & aliorum, qui diu uisi sunt uiri boni, oculos que Ecclesiæ fefellerunt, ueluti zizania in medio tritici, quales illi quoque sunt, qui in extrema die dicent, Domine domine non ne in nomine tuo prædicauimus? V. Est *pro ære scos* seu uoluntarium, quod ipsum est & contra conscientiam: & ignorantia. Voluntarium est, quod scienter & ex proposito perpetratur: de quo sunt sequentia testimonia Scripturæ. Num. 15, Anima quæ per superbiam aliquid commiserit, &c. delebitur. Ioan. 5 & 8 inquit Christus: Vade, & noli amplius peccare. Rom. 6, Peccabimus ne, quia sub gratia non sub lege sumus? id est, spontè ac uolentes peccatis indulgebimus? Hebr. 10, Voluntariè peccantibus nobis post acceptam cognitionem ueritatis. Tit. 3, Peccat suo iudicio damnatus, id est, sciens ac uolens peccat. Sic accipiendum est de uoluntarijs & contra conscientiam patratris peccatis, quod est 1. Ioan. 3, Quisquis manet in Christo non peccat: quisquis peccat, nō uidet eum, nec nouit eum. Et mox: Qui committit peccatum, ex diabolo est, quia diabolus à principio peccat. Quisquis natus est ex Deo, non peccat, quoniam semen ipsius manet in eo, nec potest peccare, &c. Vbi obseruandum est, quod Ioannes ibi peccare, aut peccatum facere, exponit per *Non facere iusticiam*: & contrà *Non peccare, per facere iusticiam*. Hæc significatio diligenter obseruanda est, ne quis intelligens de peccatis piorum per imbecillitatem admisissis, desperandi occasionem accipiat. Ignorantia peccata sunt que per imbecillitatem admittuntur: quale est quod Genes. 20 Abimelech Saram accersit. Leu. 4, Anima que peccauerit per ignorantiam. 1. Reg. 8, Salomon negat ullum esse hominem qui non peccet. 1. Reg. 14, Ionathas non audiens cū adiuraret pater eius populū, extēdit summitatē uirgæ, quā habebat in manu, & itinxit in fauū mellis, & conuertit manū suā ad os suū, & illuminati sunt oculi eius. Nú. 35, Peccata uoluntaria & nō uoluntaria tū i sacrificiis, tū etiā in asylys discernuntur. Act. 3, Fratres scio quod ignorantiā fecistis, sicut & principes uestri. Act. 13, Qui habitabat Hierosolymis, & principes eorū cū ignorarēt illū, & uoces Prophetarū, &c. cōdenato eo i pleuerūt, &c. 1. Tim. 1, Sed misericordiā adeptus sū, quod ignorās fecerā, p incredulitatē. De hoc peccato loquitur & 1. Io. 1, Si dixerimus nos nō peccasse, mēdacē facimus eū. VI. Est pec-

catum *dominans*, seu *regnans*: & *Non dominans*. Peccatum regnans est, innata originalisue corruptio, non mortificata per Spiritum sanctum cui non reluctamur ope Dei, sed potius membra nostra præbemus instrumenta ad omnem iniusticiam, prauaque opera. de quo genere Christus Iohan. octauo. Qui peccat, seruus est peccati. Dominatur autem uel securitate, ut Amos sexto, Bibentes uinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritionem Ioseph. Vel excusatione, ut Esa. 2. Peccatum suum quasi Sodoma peccauerunt, nec absconderunt. Vel aliàs malicia: Osee 4. Populus tuus sicut ij qui contradicunt. Appellatur idem hoc peccatum. Psal. 119, *contumax* peccatum. Item, *maximum peccatum*, quia nimirum accedit securitas uel defensio. VII. Est peccatum *Mortale*, & *Veniale*. Peccatum mortale est, omne peccatum in non creditibus, siue sit originale, siue actuale: siue subitum, siue perseveranter factum: siue à sciente, siue ab inscio patratum. Sed in pijs, sola peccata contra conscientiam & contra Spiritum sanctum mortalia sunt. Dicuntur autem *Mortalia*, quia æternum exitium certò afferunt patranti ea, nisi illum mox eorum pœniteat, & fide eorù remissionem consequatur. Peccata *Venialia* uocantur *Papistæ* quosdam minores lapsus ut ociosum sermonem, profulum risum, nimium somnum, largiorem sumptionem cibi aut potus, citra ebrietatem tamen. Nos autem uocamus Peccata Venialia, omnia piorum peccata, præter ea quæ sunt contra conscientiam ac Spiritum sanctum. Appellatur autem *Venialia*, quia non protinus eos ex uita ac gratia Dei in iram & damnationem æternam transferunt, nec eos Spiritu sancto priuant, sed perpetuo teguntur ac remittuntur petentibus eorum ueniam ac condonationem. Talia sunt, remanens in sanctis corruptio, cui illi repugnant: subitæ commotiones, subiti lapsus, & alia multa omissionis, negligentia, & multa etiam per ignorantiam admissa, innumera etiam quotidiana humane imbecillitatis delicta. VIII. Et peccatum *Remissibile*, & *Irremissibile*. Irremissibilia, quæ Christus blasphemiam in Spiritum sanctum uocat: quæque Ioannes dicit esse ad mortem & uetat pro talibus fieri preces, sunt omnis perseverans oppugnatione agnitæ ueritatis, & omnis finalis impœnitentia. Dicitur autem hoc genus peccati ideo peccatum in Spiritum sanctum, quia huius personæ proprium officium est illustrare, prædicare, & propagare ueritatem: ad hoc munus hæc persona cœlitus à patre & filio missa est, eaque se in docendi ac ministerij opere maxime patefacit. Blasphemantes igitur agnitam ueritatem, huic sese opponunt. Alia porò omnia peccata *Remissibilia* esse dicuntur, inter quæ numerari solet Peccatum contra conscientiam: id est, cum scientes & uolentes, perseveranter, non subito motu aliquid prauè agimus contra Dei præscriptum, aut mandatum: quod genus in Sanctis negatur esse: sicut Ioannes ait, natos ex Deo non peccare, sed semetipsos à talibus lapsibus custodire. Talia peccata contra conscientiam sunt etiam, neglectio precum, item permittere regnare ueterem Adam, & omnino non sedulo conari obedire Deo. Hæc peccata si admittantur à sanctis, ut à Dauide adulterium & homicidium, excutiunt ueram fidem, ac Spiritum sanctum, hominemque ex filio Dei filium gehennæ & diaboli faciunt. Dicuntur autem contra conscientiam, quia conscientia reclamante & accusante patrantur. IX. Est peccatum *Manens* & *Remissum*. Peccatum manens uocat Christus Ioan. 9, omne peccatum, nõ remissum: de quo etiam præcedenti capite inculcans repetit, In peccatis uestris moriemini. Ideo autem dicit, Peccatum uestrum manet: quia nec morbum agnoscere, nec medicum expetere uolebant. non auferente ergo agno Dei peccata illorù, remanebant eis, extremumque exitium


illis accerfebant. X. Ratione obiecti est Peccatum in seu contra Deum: in Spiritum sanctum: in cœlum: in homines: contra conscientiam: & in proprium corpus. Peccatum in Deum aliqui intelligunt de peccatis primi præcepti, aut certè primæ tabulæ: Sed Dauid id uidetur Psalmo 51, etiam de suo adulterio & cæde exponere, inquit: Tibi soli peccaui, & malum corâ te feci. quasi diceret: Tibi ipsi peccaui nam uox *Solus* aliquâdo idè significat Hebræis, ac ipsemet: sicut & in lingua Illyricâ, & alijs quibusdâ uulgaribus: ut cum dicitur, Quod mihi imperas fac solus: pro, fac ipsemet, tutemet. Seu fortè hoc ideo Dauid dicit, quia eius peccatû fuit causa multiplicium scandalorum, & dedit multis occasionem blasphemandi nomen Domini. Quod autem uelit hic dicere Dauid, se cõtra ipsummet Deum peccasse, liquet tum ex synonymo: Malum coram te feci (quod est idem ac contra te) tum etiam ex confessione ipsius Dauidis 2. Sam. duodecimo. ubi non simpliciter dicit, Peccaui: sed ait, Peccaui Domino. tametsi & Lutheri expositio ualde mihi probetur, Tibi tantum sum peccatum: quæ cum Paulo Romanorum tertio, totam naturam arguente, citato hoc ipso dicto, conuenit longè melius. Porò de peccato in Deum loquitur Eli. 1. Samuel. 2. ad filios suos, inquit: Absit filij mei: non enim bona est fama, quam ego audio, quod præuaricari facitis populum Domini. Si peccauerit homo in hominem, arbitri poterunt esse iudices: si autem quis peccauerit in Deum, quis erit arbiter, aut conciliator? Vbi Eli ideo uocat illud peccatum contra Deum, quia religionem eius prophanabat, & in contemptum apud Israelitas adducebat. De Peccato in Spiritum sanctum dictum est supra distinctè octaua. Peccata clamantia in cœlum, seu ad Dominum, quatuor esse dicit Thomas, qui super Iacobum sic inquit: Notandum, quod quatuor sunt peccata, quæ præ sui enormitate dicuntur clamare ad Dominum: scilicet. I. Homicidium. Genes. 4. Ecce uox fratris tui Abel clamat ad me de terra. II. Peccatum contra naturam. Genes. 18, Clamor Sodomorum uenit ad me. descendam & uidebo, utrum clamorem qui uenit ad me, opere compleuerint. III. Oppressio iustorum. Exod. 3, Clamor filiorum Israel uenit ad me, uidi que afflictionem qua ab Ægyptiis affliguntur. IV. Pauperum defraudatio. Iac. 5, Ecce merces operatorum uestrorum qui messuerunt regiones uestras, &c. clamat, & clamor eorum in aures Domini Zabaoth introiuit. De Peccato in homines, est 1. Reg. 2. Si peccauerit uir in uirum, placari ei poterit Deus: si autem in Deum peccauerit uir, quis orabit pro eo? De Peccato contra conscientiam dictum est supra distinctio quinta, & septima. De Peccato in proprium corpus, inquit Paulus. 1. Corinthiorum sexto. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: sed qui scortatur, in proprium corpus peccat. Appellatur igitur Scriptura peccatum in proprium corpus, scortationem: quod ideo fieri opinor, quod cum etiam legitima ac moderata Venus uehementer corpus lædat, necessariò extremè perdit ac euertit ualeitudinem illa continua conuersatio cum spurcissimis mulieribus, ubi non tantum ille salacissimæ bestia, sed etiam Satan ipse modis omnibus ac sine intermissione suum illud miserum mancipium inflammant, sollicitant & exagitant, continuatis simul etiam helluationibus totoque illo furore per dies ac noctes: ita ut sanguinem, medullas, ac cerebrum ei exurgant, euerso profus uentriculo. Hinc est quod tales plerunque tandem & afflictissimæ ualeitudinis, & semideliri fiunt. Sicut Scriptura dicit, Scortationem auferre mentem: & Latini, effœminare corpus & animum. Accedit huc etiam, quod Deus scortatores grauissimis & sceleratissimis morbis punit. Quidam uolunt scortationem ideo dici peccatum in proprium corpus: quia,

quia, ut Paulus eo ipso in loco testatur, Corpora nostra ex Christi membris scorti membra facit: quia coniungens se scorto, unum corpus cum eo fiat: quæ sententia non inconcinna est. Quidam & de ebriositate differunt, quod sit peccatum in proprium corpus, quia tum deformet, tum lædat ac destruat proprium corpus. XI. Est *Peccatum nostrum*, seu proprium: & *Alienum*, i. ad Timotheum quinto. Manus ne cui citò imposueris, ne communices peccatis alienis. Epist. 2. Iohann. Quisquis enim Aue dixerit illi, communicat operibus eius malis. Apocalyp. decimo octavo, Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum eius.

¶ Hactenus de multiplici Actualis peccati diuisione. Cæterum & partes quædam eius commemorantur. In peccato Originali inesse dicuntur, i. *Materiale*, seu *Fundamentum*: & *Formale*, seu *Terminus*. *Materiale* dicunt ipsam prauam indolem, seu naturam hominis peruersam, seu imaginem diaboli. *Formale* uero, reatum, & offensionem Dei inde progredientem. Hoc igitur posterius nempe *Formale* seu reatum, in Baptismo tollit: illud uero prius debilitari tantum aut attenuari, dicunt. Ac de reatu quidem rectè id dicitur respectu prioris seu præteriti temporis, quod uidelicet remissa sit omnis prior offensus ac ira. At de futuro tempore certa tantum promissio accipitur, quod quoties fide ad thronum gratiæ accesserimus, ui & efficacia inuiti cum Deo fœderis, in baptismo peccatum omne remittatur. Subinde enim pestis illa nobis ingentia, nouam nobis conciliat ac contrahit offensionem, reatum, ac iram Dei, etiam sine actualibus peccatis: quare & perpetua remissione opus habet. De futuro igitur tempore reatus peccati originalis, non actu, sed potentia tantum aut iure tollitur in baptismo. Cæterum *Formale* peccati Originalis, aliud *essentiale*, accidentale aliud constituunt: quorum illud est ipsa deformitas, seu *ataxia*: hoc uero, de quo modò diximus, reatus. Porro in peccato actuali quatuor inesse dicuntur. I. Ipsa praua actio, quæ semel peracta, tandem euanescit. II. Ipsa facti seu actionis iniquitas, quæ in conspectu Dei firmiter permanet, diligenterque obseruatur, & ipsam etiam conscientiam indefinenter arguit & accusat. III. Reatus ex illa iniquitate progrediens: quod scilicet Deus, lex, propriaque conscientia talem dignum pœna esse constituit ac decernit. cui reatui connexa est ira Dei, aut iusta commotio contra peccatorem. IV. Ipsa pœna. Operæ precium autem est obseruasse, ubi & quando has partes notet Scriptura. De culpa itaque simul ac reatu hæc testimonia loquuntur. Genesis tertio. Sanguis fratris tui Abel clamauit ad me de terra. Exodi trigesimo secundo. Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum? Deuteronomij uigesimo quarto: Ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in pecca-

tum. Psalmus quinquagesimo primo. Libera me de sanguinibus. Et, Tu remisisti iniquitatem peccati mei. De reatu tantum hæc dicta loquuntur: Genesis uigesimo, Induxisti super me & regnum meum peccatum grande. Genesis quadragesimo tertio, Nisi reduxero & reddidero tibi, ero peccati reus omni tempore. Sic Deuteronomij nono, nitulus uocatur peccatum, quia per illum peccarunt: Peccatum, inquit, uestrum quod perpetrastis, nempe uitulum, tuli. 3. Regum primo, Eritque cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego & filius meus Salomon peccatores. Et duodecimo capite. Et factum est uerbum hoc in peccatum. Hinc & uictimæ expiatoriæ, quia peccata populi in eas transcribi dicebantur, *Peccata* uocantur, Exodi uigesimo nono. Leuit. quarto, & sexto. Num. octauo, & sæpe aliàs. Osee quarto, Peccata populi mei comedunt: id est, hostias pro peccato. Usurpat autem Scriptura duo uocabula in hoc usu, nempe חַטָּאת *chattah*, & עֲוֹן *ascham*: in quorum etymo aut ratione appellationis diligenter obseruandum est, ideo illas hostias sic uocari, quia in ipsas peccata populi reatusque, ira ac pœnæ Dei suo quodam modo per imputationem transferebatur: non quia uerbum *חַטָּאת* expiare significat. Usurpat hoc nomen etiam Paulus de Christo 2. Corinthiorum quinto, inquit: Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum pro nobis, aut nostro loco, ut nos fieremus iusticia Dei in ipso, aut per ipsum. ubi non rectè exponunt posterius Peccatum per uocem hostiæ pro peccato: quod ipsa antithesis, Non nouit peccatum, indicat. Sensus enim est, quod non existentem re ipsa peccatorem aut iniustum, Deus per imputationem fecerit peccatorem aut iniustum, reum, Deo exosum, & ab ipso puniendum nostro loco, ut uicissim eius iusticia in nos per imputationem transferretur. Respexit autem in hoc loco Paulus ad 53. Isaia quod licet Christus fuerit innocentissimus, & nos grauissimè peccauerimus: tamen Deus omnium nostrum peccata pœnasque in eum concurrere fecerit, ut quasi uno impetu in eum irruerint. Vnde liquidò apparet, eum ideo dici peccatum, quia nostris peccatis oneratus est. Sic & Galat. 3. Christus dicitur factus pro nobis maledictum aut execratio: quod idem est ac peccatum, aut res detestanda. Ob eandem peccatorum ab hominibus ad uictimas translationem, etiam Latina lingua ambiguum significationem quibusdam religionis uocabulis tribuit, ut est *sacrum* & *piaculum*: ut iam pro re sancta, ac Deo accepta offerendaque, iam pro detestanda, utpote peccatis nostris onerata, accipiatur. ¶ Hactenus species & partes peccati uarias enumeramus, earumque appellationes breuiter explicuimus: maioris autem perspicuitatis, simul & memoriaræ gratia, in Tabella totam rem subiiciemus.

PECCA



¶ Nunc & locutiones quasdam peccati colligemus, & explicabimus. Peccatum pro falsa religione omni- que malo, aut eius fonte ponitur interdum: ut Hebræ- orum duodecimo, Aduersus peccatum certantes, non- dum usque ad sanguinem restitistis. id est, aduersus fal- sam religionem. eiusque ministros, tyrannos ac sedu- ctiores. Ponitur enim hic peccatum pro ipso peccati regno: sicut contra dicitur, Certa pro iusticia usque ad mortem. Et, Qui sitiunt iusticiam. Peccatum iud- cium mortis. id est, morte dignum, morte plectendum. Deuteronomij uigesimoprimo, Cum erit in homine peccatum, iudicium mortis, interficiatur. Educatio aut propagatio hominum peccatorum. id est, proge- nies, posteritas. Numer. trigesimo secundo Et ecce sur- rexistis pro patribus uestris, quasi incrementum homi- num peccatorum, ut adderetis adhuc super furorem Domini contra Israel. Corpus peccati destrui, Romano- rum sexto, significat ipsum ueterem Adamum. aut to- tum hominem peccato obnoxium, passione ac reno-

uatione Christi mortificari. Sic Romanorum septimo aut liberari à corpore mortis huius: id est, ex hoc uete- ri Adamo meram culpam ac pœnam circumferente. Caro peccati. id est peccatrix, aut peccatrici similis, nem- pe homo: Romanorum octauo, Deus misit filium su- um in similitudine carnis peccati, id est, fecit eum ho- minem similem nobis peccatoribus: cum tamen licet uerè homo fuerit, nobisque per omnia similis. in hoc tamen dissimilis extitit, quòd non fuerit peccator ut nos. Ibidem: Et de peccato damnauit peccatum in carne. id est, Deus per carnem aut passionem fi- lij sui deuicit, aut expugnauit, aut reum peregit re- gnum peccati. Nam aliquem de peccato damnare, est eum uincere, superare, reum peragere, perdere: sum- pta loquutione à foro, ubi qui de peccato damna- tur, aut reus peragitur, mox pœnis exitioque addi- citur. Sic uerbum אשח אשח & Heeschim, quod ad uerbum sonat peccare, aut facere peccare: sæ- pe exitium extremamque calamitatem denotat.

Minister peccati: Gal. 2. Numquid Christus peccati minister est: pro, Si Christus suos non liberat à peccatis, ergo non est destructor peccati, sed potius author & causa peccati, sicut lex tantum auget peccatum. Sic 2. Thes. sal. 2. Antichristus uocatur homo peccati. id est, non tantum peccans pro se, aut per se: sed etiam author ac promotor peccatorum, qui alios quoque faciat peccare. *Passiones peccatorum.* Rom. 7. Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum uigebat in membris nostris. id est, cupiditates, & ueluti æstus ac motus animi in seclera tendentes, seu uita quedam illius ueteris Adami. *Lex peccati:* Rom. 7 & 8. Vide supra in uoce LEGIS. *Peccare in cœlum,* est uel ita ualde peccare, ut suum peccatum quasi usque in cœlum pertingat: uel contra Deum ipsum in cœlo habitantem peccare. Vtitur hac locutione perditus filius Luc. 15: Pater peccaui in cœlum, & coram te. Sed de hac locutione dictum est paulo antequam admodum & supra in uoce COELI. *Esse in peccatis.* 1. Cor. 5. Quod si Christus non surrexit, adhuc estis in peccatis. id est, nec iustificati, nec renouati estis: nec remissionem peccatorum, nec Spiritum sanctum accepistis. *Seruum esse uel peccati ad mortem,* uel obedientiam ad iusticiam, Rom. 6: ubi Peccatum, ipsum quasi regnum iniquitatis aut culpæ denotat, non solam originale maliciam, quæ tam proprie dicitur regnare in corpore nostro. *Sub peccatum uenditum esse,* Rom. 7, est innatam maliciam penitus subiectum, ac eius quasi potestati traditum esse. Sic de semet Paulus queritur. Sic & Helias Achabo obijcit, quod sit uenditus, ut faciat malum coram Domino: 1. Reg. 21. Locutio sumpta est à uenditione mancipiorum, quæ prorsus alieno arbitrio potestatiq; traduntur, ut suo domino pro eius libitu seruiant. *Nosse peccatum:* 2. Cor. 5. Christus non nouit peccatum. id est, uel innatum uel actuale habuit. *Facere peccatum.* 1. Iohann. 3. Omnis qui natus ex Deo est, peccatum non facit. Quo in loco Oecumenius distinguit inter peccare, & peccatum facere, inquit: Non peccare, negationem absolutam significat: non facere peccatum, non inesse ex dispositione & affectione rem ostendit. *Inducere super al quem peccatum,* est præbere occasionem peccandi: quod alioqui Scriptura dicit, facere peccare. ut, Ieroboam fecit peccare Israel: quod sæpe iteratur. Sic Abimelech rex Gerar dicit ad Abrahamum, & eius successorem Isaacum: Induxisti super nos & super regnum nostrum hoc peccatum grande. Vbi & culpam, & reatum, ac pœnam simul complectitur. Sic Exo. 32 dicit Moyses ad Aaronem, Quid fecit tibi populus hic, quod induxisti super eum peccatum grande? Alioqui peccare facere, est, alicui peccatum impingere aut tribuere. Esa. 29. Qui peccare faciunt hominem in uerbo, & ei qui eos arguit, laqueum tendunt. id est, calumniantur uel doctores. *Leuare super aliquem peccatum,* uidetur significare, infamare eum. Leuit. 19. Non habebis odio fratrem tuum in corde, sed arguendo argues illum, nec leuabis super eum peccatum. id est, iuxta Christi præceptum, argues eum inter te & ipsum, & non ales clamor odium, aut obtreptabis ei. *Peccatum habere, & non habere:* Ioan. 9. Si cæci essetis, peccatum non haberetis. id est, si cæcitate uestram agnosceretis, peccatum uobis condonaretur. Contrarium huic est ibidem, *Peccatum manere alicui.* Alias peccatum non habere, est, posse aliquo modo se excusare. ut Ioan. 15. Si non uenissem, & loquutus fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem non habent quod prætexant peccato suo. Ex antithesi apparet, peccatum non habere, esse, posse se aliquo modo excusare. Sic mox ibidem: Si non fecissem tanta opera, peccatum non haberent. id est, dicerent se non potuisse agnoscere Meschiam, ueramque uiam salutis, & agere pœnitentiam. *Aliquid esse alicui peccatum,* seu in peccatum. Deuteronomij uigesimotertio. Si uoueris Domino uotum, non differes reddere: alioqui requirit id

Deus de manu tua, & erit in te peccatum. id est, culpam & pœnam te onerabit uoti dilatio. Mox uero addit, omissionem uoti, seu non uouere, non fore alicui peccatum. Sic sequenti capite dicitur, alicui dilatam per solutionem mercedis, mercenario ad Deum clamante, fore illi peccatum. id est, cessuram illi in culpam, reatum ac pœnam apud Deum. 1. Regum decimotertio. Fuitque hæc res in peccatum domui Ieroboam, ut exterminaret & deleret eam de superficie terræ: id est, fuit illi causa exitij, aut pœnarum exitialium. Psalm. 109. Oratione eius sit illi in peccatum. id est, non placet aut conciliet illi Deum, sed potius in sensum reddat. *Cognoscere peccatum,* est, non tantum utcumque id agnoscere, sed etiam ab eo grauius accusari, & quasi urgeri ac premi. Num. trigessimoprimo. Ecce peccastis Domino, & cognoscite peccatum uestrum, quod inueniet uos. id est, quod erit uobis causa magnarum calamitatum. Sic Dauid inquit Psalmo quinquagesimoprimo, Quonia peccatum meum ego cognoui, & peccatum meum coram me est semper. id est, semper mihi molestum ac infestum ante oculos obuersatur. *Parcere peccatis,* aliquoties dicitur pro parcere ipsi homini peccanti. Num. decimoquarto, Parce peccato populi tui. Tale est illud Esaie 1. Quod peccata rubent, & contra alben cum condonantur. id est ipse peccator est immundus: & contra purus fit per condonationem, cum sanguine Christi lauatur. *Portare peccatum,* aliquando significat luere pœnas de peccato admissio. Leuit. uigesimosecundo. Ne portet peccatum propter illud. In Hebræo est uerbum נשא Nasa, quod etiam condonare peccatum significat. *Tollere peccatum,* est amouere, auferre, præstita compensatione, & iusticia. 1. Ioan. 3. Christus apparuit, ut peccata nostra tollerent. Ioan. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Sic Esaie quinquagesimotertio dicitur Messias peccata nostra tanquam onus quoddam portasse, & abstulisse. Ambiguitas autem est in uerbo נשא tollo, quod & leuare ac gestare, & prorsus amouere ac abolere significat. Sic igitur & Christus non tantum aboleuit peccata aut debita nostra, dum pro eis legi ac iusticiæ Dei satisfecit: sed etiam gestauit ea ueluti grauisimum quoddam onus in humeris ac corpore suo, dum pro eis pœnas in suo proprio corpore sustinuit ac luit. Porro Hebræum uerbum נשא Nasa, portare peccatum, sæpe simpliciter significat parcere alicui aut condonare, siue adsit nomen peccati, siue non. Sed de tota hac loquutione uide & infra in uerbo Porto & Tollo. *Projicere peccata alicuius in profundum maris,* dicitur Deus Micheæ 7. Item, *Post tergum projicere.* Esaie trigesimo octauo. Item, *Elongare à nobis sicut Occidens ab Oriente procul est,* Psalmo 103. *Delere sicut nubem peccata.* Esaie quadragesimo quarto. *Mundare à peccatis,* Psalmo 51. *Auerrere faciem ab alicuius peccatis,* ibidem. *Tegere alicuius peccata,* non imputare peccata, Psalmo 32, & 85. *Peccatorum alicuius non recordari,* Esaie 43. quibus omnibus loquutionibus magnitudo ac efficacia condonationis peccatorum declaratur: ut & in uerbo imputare ostendi. *Tegere peccatum alicuius,* est condonare, dare causam perueniendi ad condonationem, & conuincere. Sic & operire peccatum, Iac. 5. Qui auerterit peccatorem ab errore uia eius, seruat animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. pro, erit causa ut frater ab errore conuersus iustificetur & saluetur. 1. Pet. 4. Charitas operiet multitudinem peccatorum. id est, dissimulat & obregit multas offensas proximi, seu conuincet ad eas, aut etiam reducit fratrem ad pœnitentiam & remissionem peccatorum. *Auferre & transferre peccatum:* 2. Regum duodecimo. Dominus transtulit peccatum tuum. Micheæ 7. Quis Deus similis tui, qui auferis iniquitatem, & transferes peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? *Lauare à peccatis:* 1. Iohan. primo, & Apocalyp. primo, Christus lauit

Iauit nos sanguine suo à peccatis nostris. hoc est, Christus sua passione ac morte impetrauit nobis tum remissionem peccatorum, tum etiam renouationem: quibus tum per imputationem, tum & per inchoationem aut infusionem iusticiæ ac uirtutum mundamur. *Ponere super aliquem peccatum, est imputare ei.* Numer. 12 inquit Aaron ad Moysen: Obsecro Domine, ne ponas super nos peccatum, quod stultè egimus & peccauimus. id est, quæso condona nobis hanc noxam. Prouer. 13. Im pietas *subuertet peccatum.* id est, culpa perdet suam autorem, seu peccatorem. Rom. 5. *Peccatum regnauit in mundo usque ad legem: id est, etiam ante Moysen, originalis illa pestis & corruptio grassata est, & perdidit homines, atque adeò pusillos infantes, qui nondum propriè actualia peccata habuerunt.* Ibidem, *Peccatū regnauit in mundo per legem.* *Recedere à peccatis, est desinere peccare.* 2. Reg. 13. Non recesserunt à peccatis Ieroboam, id est, non desierunt patrare peccata, & colere idololatrias à Ieroboam institutas. *Mori peccato aliàs significat liberari à peccato, seu inhærente corruptione: præsertim in datiuo positum.* Rom. 6. Qui mortui sumus peccato, quomodo amplius uiuimus in eo? Aliàs significat ualedicere peccato: quæ significatio etiã simul in præcedenti exemplo continetur. & ibidè Paulus inquit: Cogitate uos mortuos esse peccato, & uiuere Deo. Aliàs significat mori aut perire ob peccata: Ezechiel. 2. Cum mortui essetis peccato. Vicina huic significatio est, quòd Rom. 6 Christus dicitur esse mortuus peccato. id est, ob peccatum. Rom. 7. Num lex est peccatum? id est, num lex est mala, & causa peccati? Absit, inquit: sed patefacit tantum, accusat ac damnat peccatum ac peccatorem & per accidens excitat prauas cupiditates. Ibidem peccatum sumpta occasione legis, genuit omnem cupiditatem: peccatum sine lege mortuum est: & peccatum lege ueniente reuixit. Vbi que significat ipsum peccatum originale: illud enim nisi arguatur & accusetur à lege, ignoratur, sicut id ab omnibus sapientibus est ignoratum: tum etiam non perinde nititur in uetitum, ac non furit contra Deum, eius mandatum ac uerbum, quod planè ignorat. Sed ueniente lege, tum agnoscitur, tum excarnificat conscientiam, tum denique furit ac impellit hominem. ut miserum mancipium suum, còtra Deum & eius legè. Quod ergo hic dicit, peccatum sine lege esse mortuum, & per legem reuiuiscere: & quod supra dixerat, peccatum sine lege non imputari: item Vbi non est lex, ibi nec peccatum: significat quèdam quasi soporem peccati: quòd scilicet lege non accusante, peccatum non cernatur. còscientiam nostram non excruciet, & denique Originalis aut innata malicia non ita perditè nitatur in uetitū, 50 grassetur ac furiat. Ibidem: Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operans mortem, ut per legem fiat peccatum excellenter peccatum, seu reum: id est, ut peccati magnitudo ac foeditas, eiusque pœna per legem agnoscat. 1. Corinth. 15 Stimulus mortis peccatū est, uirtus autem peccati lex. hoc est, mors est efficax ac potens contra nos ob peccatum. culpa enim facit pœnam efficacem: non enim carnifex, sed furtum suspendit. Porro peccatum ex lege prohibente & male dicente habet suam efficaciam. Ideo enim tetra & pestilens res est comedere de pomo, quia Deus id prohibuit: ideo peccata damnant, quia Deus dixit, Maledictus qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in lege, aut in ijs quæ ego præcepi, Hebr. 10. Sponte enim peccantibus nobis post acceptam cognitionè ueritatis, non amplius reliqua est hostia pro peccato. ubi *ultra peccare, significat non tantum scienter ac uolenter, idè: semel aut iterum peccare: sed ex professo ac studio peccatis uacare, idè: que perseveranter ac pertinaciter: quod mox hisce uerbis exponit: Quanto putatis acer-* 70

biore supplicio dignus censebitur is, qui filium Dei còculcari, & sanguinem, per quem fuerat sanctificatus, prophanum duxerit, & Spiritum gratiæ contumelia affecerit? Tali sanè Christi sacrificium propitiatorium abijcieti, alia propitiatio aut expiatio nò superest. Iac. 1. Cupiditas parit peccatum, quod gignit mortem. ubi peccatum actualia scelera significat.

PECULIUM כֶּסֶף significat in Sacris non quoduis genus possessionis aut opulentia, sed quòd specialiter carum ac eximiū nobis est, ferè idem sonat quòd Latinis proprium, seu proprietas. seu res peculiaris & propria, quæ rara est & cara: ut si quis habet singularem thesaurum præ aliis rebus charum, aut bullam ex collo super pectore pendentem, ut reges ac principes sua sigilla habent, & clinodia & signa, quæ symbola uocant. Postea etiam ad alia transfertur, quæ propria sunt, & omnium charissima. Ideo Chaldaei Paraphrastæ uocant כֶּסֶף. id est, charissima, & Gellius lib. 6. Cap. 5 dicit ueteribus dictum Proprium, propitium: sicut aurū & argentum purum putum, quod erat purgatissimum. Sic David dicit ad populum Israeliticum, 1. Par. 29. se multa præparasse ad ædificium templi, & tandem addit: Insuper pro mea ad domum Dei mei affectione est mihi singulare peculium auri & argenti, quod seorsim tribui pro domo Dei mei, ultra omnia quæ præparauit pro domo sanctuarij. Malach. 3. Et erunt mihi, dicit Dominus exercituum, in diem qua ego facio peculium, & miserabor eorum, sicut miseretur homo filij obedientis ubi in dicat Deus quomodo uelit pios sibi singulariter separare ab impiis, eosque beare. Sic Exod. 19 inquit Deus: Si audiendo audietis uocem meam, & fœdus meum seruaueritis, eritis mihi peculium præ omnibus, aut ex omnibus gentibus, cum alioqui mea sit omnis terra. Eodem modo & Deut. 7. 14. ac 26 affirmat Deus, se uelle accipere Israelitas in populum peculiarem. Idem & Psal. 135 repetitur: Dominus elegit sibi Iacobum, Israel in peculium suum. Vtitur & Paulus hac uoce Tit 2 inquit: Qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, studiosum bonorum operum. Item D. Petrus primæ secundo: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus in acquisitionem, ut uirtutes eius prædicetis. Habet Paulus uocabulum *περιουσία*. Petrus autem *περιουσία*: quæ uoces ut melius intelligantur, aliorum super ea loca annotationes adscribam. *περιουσία*, id est, peculiarem. Diuus Hieronymus in Commentarijs huius loci, negat se à quopiam secularium perito literarum potuisse discere, quid esset *περιουσία*: uerum ex Deuteronomio collegisse, unde Paulus hunc locum sumpsisse uidetur. Ut esset ei in populum acceptabilem ex omnibus populis. Rursum in Psalmo 24, Elegit sibi Dominus in possessionem sibi, quod dictum est, in possessionem: Septuaginta ac Theodotion transtulerunt *περιουσία*. Aquila & quinta editio, *περιουσία*, syllabæ commutatione facta, non sensus. Synmachus, pro eo quod est in Græco *περιουσία*, in Hebræo כֶּסֶף expressit *כֶּסֶף*, hoc est egregium, uel præcipuum: pro eo quod idem in alio uolumine, Latino sermone utens, peculiarem interpretatus est. Putat enim Hieronymus minimum interesse inter *περιουσία* & *επιουσία*. Alius porro sic annotat de hac uoce. *Peculiarem, περιουσία*: Hebr. כֶּסֶף segula, quasi charissimas & preciosissimas opes, *περιουσία* enim uocant Græci, quod cum super sit reconditur. ut Geta ille Terentianus peculium suū definit. quod unciatim uix de demenso suo, suū defraudās genium, comparfit miser. Eiusmodi uerò facultates maximè omnium proprias nobis putamus, & charissimas: adeò uix extremis necessitatibus quicquam ex illis desumatur. Hoc autem uocabulum finxerunt Græci interpretes, ut etiam

etiam *ἡμεῖς*, de quo diximus Matth. 6. b. ii. quod postea usurpare non dubitarunt disertissimi etiam Theologi, ut Chrysoſt. Nazianzenus, &c. Ad Ephesios i est similis locus, & idem Petri uerbum *περιποίησις*: Qui est arrhabo hæreditatis nostræ, in liberationem acquisitionis aut peculij, ad laudem gloriæ ipsius. id est, qui est pignus, quod perducemur in cœlestem hæreditatē, siemusq; singulare quoddam peculium Dei, ad gloriā ipsius. *περιποίησις* enim est, proprium facere, & ueluti suprā acquirere: quasi si acquiras aliquid ultra quotidianā necessitatē, ultra quā quotidie absumis, quod reponas tanquā singulariter dilectum, ut suprā de uoce *περιποίησις* dictum est. Est uerō uox hæc ingentis consolationis plenissima, quod Deus nos pro suis habet: & non tantum in aliarum suarum rerum numero computet aut reponat, sed ueluti in singulari quodā ac longē gratissimo thesauro, tanquam omnium gratissimas & preciosissimas opes.

PECUNIA, in Hebræo plerunq; קֶסֶף Kesep, argētum, à קָסַב desiderando. *Plena pecunia habere possessionē* alicuius loci, Gen. 23, est iusto precio uendere eam, nihil detrahendo aut donando amicitia gratia. Fructum terræ comedere absq; pecunia, Iob 31 Si fructum terræ meæ comedi absq; pecunia. id est non reddita mercede cultoribus. Argētum aut pecuniam nostram, id est, precium nostrum: Gen. 31, Nonne peregrinæ reputatę sumus ei, quandoquidem uendidit nos, & argentum nostrum comedit: id est, precium nostrum à marito nostro longo tempore seruiendo depensum, in suum cōmodum conuertit, perinde ac si ei seruas uendidisset, non filias nuptui dedisset.

PECVS, non habet per se aliquam obscuram significationem, nisi quod interdum per metaphoram significat ipsos pios, de qua significatione in uoce **OVIS** & **GREX** dictum est. Verum phrasæ quasdam aliquanto obscuriores gignit. quarum præcipuas percurram. *Pecus, aut rem pecuariam facere*, est uacare rei pecuarie. Ezechielis trigesimo octauo: Pecoris conculcatio, id est, depastio. Isaiæ septimo: Erunt agri in immisionē bouis, & conculcationem pecoris: id est, illuc propellentur pastum armenta & greges. Simile est illud Zophoniae secundo. Erit regio maritima in habitacula caulorum pastorum, & septa pecudum. *Pecoris uiri*, est idem quod pastores. Genesis quadragesimosexto: Illi autē homines pastores ouium. nam homines pecoris sunt. *Pecudes manus Dei*, aut pascua eius. Psalmo nonagesimo quinto: Nos populus pascuæ eius, & pecudes manus eius. Id est, quos ipse alit, fouet ac tuetur, sicut bonus pastor suum dilectum gregem. *Manus* ibi pro cura ac defensione ponitur. Sic Psal. 74. Ut quid fumat furor tuus contra pecudes pascuæ tuæ? id est, contra nos qui tui ac ueluti tuæ oues sumus? *Deducere populum* sicut pecudes per manum Moyſi, Psal. 77. id est, perinde populum tuum summa cura duxisti & fouisti, sicut solet bonus pastor suas oues molliter curare. *Pecus Bosra*, pro frequenti & copiosa re pecuarie. Mich. 2. Colligendo colligam residuum Israel, simul ponam illum ueluti pecus Bosra, tanquam gregem in medio caulæ suę. id est, sic spiritualem Israelem in unam Ecclesiam coadunabo, sicut in pascuis Bosra ciuitatis Idumæę greges coadunari, & diligēter regi ac curari solent. *Pecuaris piscinæ*, Ioan. 5. uariē hic locus exponitur, aut etiam obscuratur ab Interpretibus. Ego non taxabo, aut etiā corrigam singulorum expositiones aut uersiones: tantum meam sententiam adscribam. Puto uertendum esse locum hoc modo: Est autem Ierosolymis ad pecuariam piscinā. ea quæ Hebraicē cognominatur Bethesda, id est, hospitale, quinque porticus habens, in qua iacebat multitudo magna uariorum ægrotorum. Sentio autem, piscinam aut lacum uocatum esse ideo pecuariū

aut ouillum, quod oues in templo offerendæ ibi prius lauabantur, ubi fortē & alia sordida templi in effluente aqua lauerunt. Ad uel iuxta eam piscinam erat etiā ea domus, quæ Hebraicē uocari solet Bethesda, id est, hospitale, aut locus eleemosynæ: sic dicta, non solum quod ibi pauperes ægroti utunq; fouebantur, sed etiā quod ibi stipem aut eleemosynam ægrotis homines erogabant. Certē separanda est uox & res Bethesda, à piscina. quæ non potuit habere porticus: aut si fuisset porticus super aquam, nemo in eis iacere potuisset. Alia itaq; res aut locus fuit lacus ouinus, alia domus Bethesda in quinque porticus distributa, ubi ægrotorum turba iacuit, quæ haud dubie longē fuerunt, & ad piscinam respicientes, ut inde auram & refrigerium in illis æstuosis locis captarent, ut solent porticus in illis feruentibus locis strui. Nec est quod quenquam offendat articulus femininus, quasi non possit subintelligi nomen *οἴκη*, quod est masculini generis. respicit enim ille articulus ad nomen fœmininū Hebræum בַּיִת Baith aut Beth chesed, quod mox sequitur ibidem. Huc etiam facit, quod præpositio super *על* sæpe significat ad uel iuxta, sicut in præcedenti Capite habetur, Iesus sedebat super puteum: id est, ad uel iuxta. de qua significatione uide suprā.

PEIERARE, ut & Cicero Offic. 3. monet. significat, non statim initio falsum iurare: sed, quod initio iuramento promiseris, id postea non præstare de tali per iurio legitur Leuitici decimonono, & Matth. quinto: Non peierabis, sed reddes Domino iuramenta tua. Aliquando tamen accipitur idem uerbum peierandi, etiam de iuramento falso initio facto. Leuitici sexto: Anima inficiens in super peierauerit.

PENNA, & **ALA**, in Sacris aliquando idem est: in Hebræo sanè plerunq; est קָנָף canapf, ala, quod Vulgata crebrō transtulit pennam. Volare super pennas uenti, & ambulare super pennas uenti, & equitare in nubibus dicitur Deus, siue communi quadam uulgi ac imperitorum opinione, quod ibi audiuntur tonitrua eius: siue etiam ut indicetur (ut ita dicam) ubiquitas eius, quia nubes & uenti uelociter complent & percurrunt aerem. Sic Psalmo 18, & 2 Sam. 22 legitur: Equitauit super Cherub, & uolauit super pennas uenti. Et Psal. 104. Qui ponit nubes uehiculum suum, & deambulat super pennas uenti. Est sanè alioqui in omnibus linguis usitatum, ut cum cuperemus alicubi celeriter esse, optemus nobis alas contingere: sicut & Ouidius optat, quo posset Romam subito reuifere. Ponuntur ergo *Penna*, pro celerrimo motu. Sic & Dauid loquitur Psal. 54. Quis dabit mihi pennas columbæ, ut auolarem, & tuto quiescerem, procul aufugiendo morarer in deserto? Et Psal. 128. Si sumptero pennas aurore, & confederō in nouissimo mari, etiam ibi manus tua apprehendet me, &c. Vbi duplex figura est: altera à pennis sumpta: altera ab aurora, quæ subito ab oriente in occidentem transuolat, totumque nostrum horizontem suo splendore complet. Simili figura uidetur à Salomone dici Prover. 23, quod opes iniustæ sibi facient alas, & sicut aquila auolabunt: id est, subito à Deo auferentur. Iniustæ enim opes non sunt firmæ. Per aliam porrō metaphoram pennæ & alæ significant præsidium, idq; amicum, ac planè maternum: sumpta similitudine à gallinis, aut etiam alijs auibus. quæ suos pullos alis fouent contra iniuriam aeris, & etiam defendunt contra aduersarias aues. Plenam similitudinem Christus expressit Matt. 23, & Luc. 13. Ierusalem Ierusalem, quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina cōgregat pullos suos sub alas, & noluitis? Psal. 91 aliquāto breui⁹ metaphora hæc pponitur: Ipse liberabit te à laqueo uenatoris, & à peste noxia: sub ala sua proteget te, & sub pennis eius fiduciam habebis, profuto

scuto & clypeo erit ueritas eius. Sic & Malach. 4. Exorietur nobis timentibus nomen meum, sol iusticiæ, & sanitas in pennis eius. Vbi tamen pennæ magis ad solis radios alludere uidentur, quàm ad gallinæ: quòd si cut solares radij omnia uegetant ac uiuificant, sic & Christus suos fouebit. Non fuit qui moueret alam, aperiret rostrum, aut sibilaret: Isaias inquit. Similitudo aut metaphora est sumpta ab auibus, qua indicatur neminem restitisse Assyrio, omnia sibi subijcienti ac rapienti, &c. *Pennas renasci* pijs, ut aquilis, dicit Isaias cap. 40. i. Deo eos fouente ac subleuante, subinde fieri eos fortiores ac robustiores, & maiora opera patrare: contra impios. Plura de *Pennis & Ala*, uide supra in uoce *ALA*.

PENTECOSTES nominis fit mentio Act. 2. 20. 1 Cor. 16. & 1 Machab. 5. Sonat autem idè quod Quinquagesima: Hebræis dictum est Festum hebdomadarum. Celebrabatur uerò die quinquagesimo, ab altero die Sabbati, quo manipulus primitiarum oblatum erat: id est, septimana septima, ex mandato Dei Leuit. 23, Exod. 34, & Deut. 16. Erat autem festum, in quo memoria legis diuinæ promulgatæ in monte Sinai recolebat, die nimirum quinquagesimo à *Pesah* festo. Nam totidem ab egressu populi Israelitici, donec ad eum montem uenissent, dies intercesserant: unde & nomen accepit. Fiebant in hoc festo sacrificia quædam, ut est Leuit. 23, & Deuter. 16. Obseruatum autem esse magno studio, apparet ex historia Act. 2. Porro quia Deus promiserat Ier. 31. se in Nouo testamento legem suam non amplius in lapideis tabulis scripturum, sed per Spiritum sanctum cordi eorum illam inscripturum: ideo eadem die quinquagesima à sua passione, seu à spiritali Paschatis immolatione, ueraque ex infernali Aegypto liberatione, dat suis Apostolis Spiritum sanctum: ostendens etiam ipsa temporis conuenientia, Deum suam promissionem impleuisse, & pro mortua litera uitam Spiritus in nouo Testamento instituere. Vnde in memoriam utriusque ineffabilis beneficij, & ueluti utriusque testamenti, picturæ aut naturæ nomen, & festum ipsum retentum est. Testatur autem historia Act. 2. plurimos tum homines Hierosolymis fuisse. Apud Evangelistas nulla fit eius mentio. Paulus Act. 2 & 20, festinabat, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes ageret Hierosolymis. Item: Commorabor, inquit, Ephesi usque ad Pentecosten: 1 Cor. 16. Erasmus putat, in hoc Pauli loco non festum, sed alioqui quinquagesimam diem significari: quem Beza breuiter refutat. Vtriusque locum adscribam. sic igitur Erasmus super hunc locum: *Vsq; ad Pentecosten* *ἕως τῆς πεντηκοστῆς*, Et usque ad quinquagesimum: ut subaudias, diem. neque de festo loquitur, opinor: Et haud scio, an Pentecostes festum id temporis notum fuerit gentium auribus: præsertim cum Paulus in epistola ad Romanos, quâ constat post hanc esse scriptam, tollat omne discrimen dierum: & infirmos uocet, qui diem cum die conferunt. Certè nullus ueterum interpretum, quantum equidem memini, facit ullam festi mentionem. Thomas satis frigide se hinc explicat, adscribens: Fortè hæc epistola missa fuit in hyeme, seu in uere: & tunc post Pentecosten de bebat ire in Macedoniam, & morari ibi usque ad hyemem, & tunc ire Corinthum, & hyemare. Theophylactus, citra controuersiam interpretatur usque ad quinquagesimum diem, adscribens hoc esse argumentum insigniter amantis, quum temporis etiam modum præscripsisset. Haud dissentanea his scribit Chrysostomus tametsi non perinde liquet, an de Iudæorum festo die senserit, an de spacio moræ. Item Ambrosius interpretatur, ideo diutius manendum Ephesi, quòd illic multos haberet aduersarios. & fructus esset ingens. Neuter de festo uerbum facit. Quanquam in Actis cap. 20, quum ait, *ἕως ἡμέρας τῆς πεντηκοστῆς*, uidetur aliquod festum

Iudæis significare. Etiam si Beda in Glossa ordinaria putat, Paschæ & Pentecostes festum etiam Apostolorum temporibus fuisse celebratum ritu Christiano. Hoc commentum opinor ab illis repertum, ne Paulus crederetur obseruare dies festos Iudæorum, quos docuerat esse negligendos. Apud priscos illos magna contentio fuit de tempore ritumque celebrandi Paschæ festum: quòd si ab hoc die numerentur quinquaginta, erit eadem controuersia de Pentecostes die, de quo tamè nulla fuit controuersia. Verùm hac in re suo quisque iudicio fruatur, incolumi charitate. Porro Beza sic contrahit scribit: Erasmus putat ita subaudiendum *ἕως ἡμέρας*, ut simpliciter significetur quinquaginta dies, non autem festum Pentecostes. quòd, inquit, haud satis scio an id temporis gentium auribus notum fuerit: quum in epistola ad Romanos Apostolus tollat dierum discrimen. At ego superuacaneum esse puto quærere, an huiusmodi festa in initio fuerint obseruata, ut hoc daretur Iudæorum infirmitati. Sed ut obseruata non fuerint: non tamen consequitur, hoc non fuisse usitatum in Ecclesijs, ut præsertim ij qui ex circumcisione crediderant, ab his festis interualla temporum numerarent. Sic Act. 20. dicitur Apostolus soluisse Philippis post dies azymorum: quos tamen quis idcirco dixerit fuisse ab Ecclesijs obseruatos? Sic etiam Act. 27 significatur inclinatio autumnii per diem ieiunij, siue propitiationis festum. Itaque illa interpretatio nulla ratione nititur.

PER præpositio habet multa significata, suasque obsecritates tum ratione Latinæ linguæ, tum & ratione Græcæ ac Hebrææ. Per igitur uisatissimè significat quasi mediū quoddam loci, temporis, personæ: ut, per locum aliquem ire, aut transire: per totam diem ociari, aut laborare: per aliquem mittere literas, aut aliquid efficere. Sic dicimur per Christum patrem accedere. id est, ipso nos ad patrem ueluti manu ducente. Aliquando significat ueluti opera alicuius aliquid consequi: sic per Filium redempti sumus. Aliquando ueluti mediū instrumentum notat: ut per legem est cognitio peccati. Per fidem iustificamur, aut Christi meritum apprehendimus. Plerunque exprimit Græcum *διὰ*: de quo scribunt Grammatici, quòd cum accusatio significet causam finalem, sitque uertendum propter: cum genitiuo autem propriè medium, eoque declarandum præpositione **PER**. Hebræorum 2, Omnia sunt propter Christum, & per Christum. Aliquando tamen etiam cum accusatio significat **PER**: ut Iohan. 6, Sicut misit me uis uens ille pater, & ego uiuio *διὰ τὸν πατέρα*. propter patrem: sic qui comedit me, uiuet propter me, *δι' ἐμῆς*. Putant in eo dicto aliqui multo clariorem sensum fore, si dicatur tum Christus secundum humanitatem, de qua ibi propriè agitur, uiuere **PER** patrem, eam sustentantem: tum & omnes credentes **PER** Christum, nempe eum edendo. Sic quoque illud Rom. 3, Ad ostendendam iusticiam suam propter remissionem peccatorum: uolunt aliqui uertendum potius esse **PER**, quia ibi *διὰ* cum accusatio sit constructum. Disceptat de hac re etiã Osiander cum Vulgari uersione. Verùm tum in loco Iohannis rectè uerteris propter, quod non rarius causam efficientem quam finale indicat, sicut apud Virgiliū Dido inquit

Te propter gentes Libya, Nomadumque tyranni

Odere. Sensus ergo nihilominus esset, Deum esse causam efficientem uitæ humanitatis Christi: & illam porro, quatenus pro nobis passa est, nostræ spiritualis uitæ. Sic Rom. 3, iusticia Dei exhibetur propter remissionem peccatorum: id est, in hunc usum, finem aut effectum nobis iusticia aut meritum Christi exhibetur, ut aboleantur nostra peccata: & inter alia ille impurissimus gentilismus, quo tunc totus mundus erat conspurcatus. Mirum uerò est, Osiandrum *διὰ*, propter, ratum ad causam efficietem: aliū uerò quæpiã itidè doctū, ad finalem

finalem referre uoluisse. Sed utriusque significationis ha-
 bes illustre exemplum in fine Rom. 4. Qui traditus est pro-
 pter peccata nostra, & resurrexit propter iustificatio-
 nem nostri. ubi prius Propter significat causam efficien-
 tem, posterius uero finalem. q. d. Peccata nostra per im-
 putationem in Christum cumulata, aut (ut Isaias ait) irru-
 entia, cum tam tristi supplicio affecerunt: sed soluta illa
 abundantissima poena culpa, praestitaque; ea ratione ius-
 ticia obedientiae legi ac Deo iudici, reliquum fuit ut sur-
 geret, quod applicando nobis illam suam partem iustitiam, nos
 iustificaret. Considerata igitur in hoc dicto ista dupli-
 ci acceptione praepositionis *Διὰ*, Per aut Propter, expre-
 ssisque; duabus diuersis causis mortis & resurrectionis Chri-
 sti, perspicuus fit sensus eius. **PER** & Ex aliquando idem
 ualent: ut est uidere in dicto Pauli Roman. 3, Unus est
 Deus, qui iustificabit circumcisionem ex fide, & praepu-
 tium per fidem. ubi idem profusus est *Ex fide*, & *Per fi-*
dem iustificari. Disputauit prolixè & accuratè de hac
 aequiualentia istarum duarum praepositionum, Basili-
 us in libro de spiritu sancto contra Aetianos: qui praepo-
 sitionem *Ex quo* soli patri, *Per quem* soli filio, in quo autem
 soli Spiritui sancto tribuere uoluerunt, citantes dictum
 Pauli primae Corin. octauo: Nobis est unus ille Deus
 pater, ex quo omnia, & nos in ipso: & unus Dominus
IESVS Christus, per quem omnia, & nos per eum.
 Cui sophismati illam indignitatem calumniae adhibue-
 runt, quasi **PER** solum instrumentum denotet. Quare
 Basilius contra multa dicta citat, ubi Per etiam summum
 gradum efficaciam obtinet, & etiam ipsi patri tribuitur.
 sicut est illud Romanorum undecimo: Quoniam ex ip-
 so, per ipsum, & in ipsum sunt omnia. Quod de ipso
 patre necessario accipi debet. Docet etiam, praepo-
 sitiones istas non semper sic distinguere causas rerum,
 aut ipsas uoculas accipi in Sacris literis, sicut in pro-
 phanis, & apud philosophos. Tametsi etiam apud La-
 tinis innumeris uicibus **PER**, primariam efficientem
 que causam indicat: ut, Per aliquem aliquid opus esse
 effectum, per aliquem stare, per me nulla est mora, per
 me tibi licet. Sic Terentius dicit, **PER** seruulum falli
 senem: id est, à serualo. Rom. 6, Christus suscitatus est
 per gloriam patris. id est, à gloriosa potentia & ope pa-
 tris. Sic etiam per Christum omnia esse facta, causam
 efficientem notat, non instrumentalem. Sic & illud,
 Per me reges regnant. ¶ De loco Rom. 3, Iustificamur
 gratis eius gratia, per redemptionem quae est in Chri-
 sto **IESVS**: disputatum est inter Monhemium & Colo-
 nienfes, an causam efficientem ibi, aut ipsam materia-
 lem (ut ille uoluit) significet. Verè sanè & commodè
 dixit Monhemius, redemptionem Christi esse ueluti
 materiam quandam nostrae iustificationis: quam etià
 clarius, ne dicam crassius, & ueluti palpabilius expo-
 nit Spiritus sanctus, dum dicit, nos sanguine Christi la-
 uari. Vbi indicatur, sanguinem, passionem aut redem-
 ptionem Christi, quatenus nobis applicatur, perinde
 esse materiam qua mundamur, ac est aqua ea ipsa mate-
 ria lotionis: aut ut alibi perinde (ut ita dicam) mate-
 rialiter loquitur Scriptura Christum induere, uulnere
 eius sanari, aut carne sanguineque; eius satiari & uiuifica-
 ri. Et quidem illam materiam iustificationis ipse Pau-
 lus urget ibi statim, dum dicit, Ipsummet Christum esse
 nostram propitiationem apud patrem, quatenus fi-
 de eius sanguinem apprehendimus. Quod uerissimè
 aptissimeque dici, inde apparet, quod cum iniusticia
 nostra sit propriè ingens quoddam debitum, nosque
 censeamur ut captiui, nulla alia potest esse materia
 abolitionis nostri debiti, & liberationis ex carcere, quam
 aliena persolutio pro nobis facta: quae est passio, redem-
 ptio aut sanguis Christi. Comprobat igitur tota Scri-
 ptura, & ipsemet Paulus eo ipso loco, Monhemij sen-
 tentiam: & denique maximè usitata significatio praepo-

sitionis **PER**, quae rarius causam efficientem notat.
 Formalis uero causa iustificationis, est modus applica-
 di illam materiam passionis, redemptionis aut sangui-
 nis Christi, seu etià eius persolutionis, ad nostrum debi-
 tum aut iniustitiam: qui modus est ipsa imputatio. Vo-
 lunt uero ipsi eam praepositionem ibi significare cau-
 sam efficientem, sicut & Osiander cõten dit: ut eo qua-
 si precio sit nobis iustificatio emptæ, quae (ipsorum o-
 pinione) est qualitatum mutatio. Verùm Scriptura
 uult, sanguinem Christi esse ipsam materiam lotionis,
 aut dealbationis seu albedinis. nam eo nos nostrasque;
 uestes super niuè dealbamus. persolutio iusticiae Chri-
 sti est ea ipsa materia, qua iniusticia peccati aut debiti
 nostri aboletur, aut etiam tegitur. Sed de hac re in Li-
 bello de Iusticia, & in uocabulo *Iusticiae*, ac *Imputationis*,
 prolixius egi. Vide uero etiam *Redemptio*. *Διὰ*, Per, ali-
 quando significat idem quod **IN**. ut Romanorum 4:
 Ut sit pater omnium credentium per praeputium: id est,
 in praeputio. Sic & Latini plurimum suo Per abutun-
 tur. ut, Per ocium, per diem aliquid agere: pro, in ocio,
 in die. Per bellum aut pacem, id est, in bello aut pace.
 Per tempus aduenis, Plautus in Menæchmo. Sic, per
 uinum, per ebrietatem, exortum est dissidium: id est,
 in uino, in ebrietate, inter potandum. Sic & Graeci di-
 cunt *διὰ τὴν πῶλον*, *διὰ τὴν βίαν*, *διὰ τὴν αἰώνιον*, per diem, per uitam, per
 seculum: pro, in. Homerus dixit *ἀμβροσίῳ δὴν νόστῳ*, per
 ambrosiam noctem: id est, noctu, aut in nocte. Sic Gal.
 4. Scitis quod per infirmitatem carnis uobis euange-
 lizauimus primum. id est, in magna imbecillitate. Roma-
 norum secundo: Naturalis circumcisio damnabit te
 per literam & circumcisionem transgressorem legis.
 id est, existentem auditorem Scripturae, & circumci-
 sum. Haec significatio diligenter obseruanda est, pro-
 pter quaedam obscura loca: ut est ille locus primae Co-
 rinthiorum tertio, Ipse autem seruabitur sic tanquam
 per ignem. Vbi dum Papiſtae illud **PER**, ueluti de me-
 dio quodam salutis accipiunt, somniant inde suum
 Purgatorium, quod animae per eum purgentur ac ser-
 uentur: cum proprè sit sensus, quod sic seruabuntur ta-
 les periculosorum, aut etiam inutilium dogmatum au-
 tores, tanquam si ingenti Dei misericordia ex medio
 incendio essent rapti: nempe adhibita ex singulari Dei
 clementia, maxima condonatione aut remissione pec-
 catorum. Quasi diceret: Talis doctor est unà cum il-
 lis suis stipulis, in medio terribilis incendij, & illa qui-
 dem iudicio Dei damnata peribunt: sed ipse ægrè ac
 uix seruabitur, ueluti singulari ac raro beneficio Dei
 inde ereptus. Hanc significationem ac sensum loci
 comprobant etiam illae duae particulae **SIC** & **TAN-**
QUAM, quae idem ualent ac uix & ægrè, magnaque
 difficultate seruabitur: ut solent, quae ex periculosissi-
 mo incendio difficillimè & periculosissimè eripiun-
 tur. Sic & locus primae Pet. tertio est obscurus: In ara-
 ca paucæ, hoc est octo animæ sunt seruatae per aquam.
 hoc est, in aqua, aut in diluuiio, seu ex aqua ac diluuiio.
 Sic Latini aliquando dicunt, Per medium ignem: pro,
 ex ipsomet incendio, aut per medias aquas seu fluctus.
 Sic posset exponi etiam illud primae Timothei secun-
 do: Seruabitur & mulier per liberorum procreatio-
 nem, si manserit in fide. id est, in procreatione. uel pro-
 creando liberos, seu in coniugio. Sic & secundae Co-
 rinthiorum quinto. Oportet omnes comparere ante
 tribunal Christi, ut omnes recipiant quae per corpus.
 id est, quae in corpore, seu hac uita, egerunt. **INTER**,
 uidetur ualere secundae Timothei secundo, Quae audi-
 sti à me per multos testes: id est, **IN** aut inter multos,
 coram quibus tibi quasi solenniter, & ueluti cum qua-
 dam protestatione, commendauimus depositum uerae do-
 ctrinae, optima fide custodiendum & propagandum.
 C V M, secundae Corinthiorum secundo: Scripsi uobis

PER multas lachrymas. id est, cum multis lachrymis, aut inter lachrymandum. Vicinum est hoc exemplum præcedenti significationi. Sic mox sequenti capite, Si id quod aboletur, fuit per gloriam: id est, in uel cum gloria, aut gloriosum. **POST**, non raro denotat: uerum adeò nota Græcæ uocis significatione, ut Latinæ uersiones eum Græcismum non retinuerint. Marci secundo, Et rursus per dies intrauit in Capernaum. Marci 14, Et per tres dies reedificabo illud. id est, post tres dies. Act. 24, Per plures annos: pro, post plures annos. Gal. secundo, Postea per 14 annos rursus ascendi Ierosolymam. id est, deinde post 14 annos. Secunda Theof. secundo, Rogamus uos **PER** aduentum Iesu Christi. ubi omnes uertunt illud Græcum *ἐν* præpositione **PER**: cum potius in sua natiua significatione intelligendum ac uertendum esset **DE**, sicut solus Luth. in Vulgari conuertit. Indicat enim ibi Apostolus materiam aut argumentum, de qua re Theffalonicenses orare aut monere uelit: nempe, de extremo iudicio, ne id putent prorsus instare, eo que temerè tumultuentur. Quare alij uerfores uel mutilum obscurumque efficiunt textum, uel etiam de suo supplere coguntur.

PERA, sacculus coriaceus, de collo aut cingulo pendens, in quo uiatores ac pastores similesque aliquid cibi gestare solent. Dominus ablegans Apostolos suos, Matthæi decimo, prohibet peræ, baculi, ac similitum rerum sumptionem: non tam hæc ipsa ad uerbum interdicens, quam prohibens eos nimium sollicitos esse de uictu, seque commeatu onerare: cum uellet eos expeditos esse, & citò illud curriculum prædicationis absoluere, ac ad se redire. Contra Luc. uigesimosecundo, sub passionem suam, iubet eos & peram accipere, & gladios emere: itidem non hæc ad uerbum mandans, sed per allegoriam eos monens, instare durissimum certamen & graua pericula, ac difficultates, ad quas perferendas se spiritualibus armis ac instrumentis præparare debeant, ac præsertim animum suum uerbo Dei & firma fide ad hæc difficultates perferendas instruant. De quo genere sermonis in Generalibus Regulis dixi, quòd ponant alia pro alijs, seu coniuncta pro se inuicem: ut cum orare iubemur, ne fiat fuga nostra hyeme aut sabbatho, periculosa persecutio indicatur: cum leones paleas comesturi, & cum bobus uicturi tempore Meschiæ, aut gladij ac cuspidis in falces ac uomeres commutandi prædicantur, summa spiritualisque pax regni Meschiæ prænunciatur.

PERCVTERE, aliàs debellare, aliàs occidere Hebræis significat. Iosue septimo: Tria milia uirorum ascendant, & percutiant Hai. id est, expugnent ciuitatē & interficiant ciues eius. Secundo Sam. decimoquinto. Ne percutiat ciuitatem gladio. id est, omnes incolas. Genesis trigesimo sexto: Qui percussit Madian in campo Moab. id est, cecidit. Iosue decimo tertio: Siò, quem percussit Moses. pro, expugnauit, debellauit. primo Samuelis trigesimo: Et percusserunt Ziglag, & combusserunt eam igni. id est, expugnarunt & euerterunt. Secundo Samuelis septimo: Percussit Moab, & mensus est eos funiculo. id est, pro suo arbitrio trucidauit & spoliauit. Percussit Philistæos à turre custodum usque ad ciuitatem munitam: secundo Regum decimo septimo. pro, expugnauit tam parua oppidula, quam magnas urbes. Percutiam pastorem, & dispergentur oues: Zach. decimo tertio. Matthæi 26. pro, interficiam. *Percutere in omni termino.* secundo Reg. 10. Percussitque eos Azael in omni termino Israelis. id est, passim in omnibus finibus ac partibus eos cecidit & subiugauit. *Percutere fœdus.* Latina phrasus est, quia uictima in faciando fœdere feritur. Hebræi dicunt, excindere כרת carath. *Percutere hostem suum retrorsum:* Psalmo septuagesimo octauo. Percussit hostes suos

tergum, aut in tergo, in opprobrium perpetuum tradidit eos. id est, in fugam conuersos ignominiosis uulneribus in tergo sauciauit eos. pro, effecit ut Israelitæ idolatre hostibus terga uerterent. Nunquid iuxta plagam percutiētis eum, percussit eum, aut iuxta occisionem occisorum eius occisus est? Isaiæ uigesimo septimo. id est, non perinde eum Deus castigauit duriter, sicut olim eum hostes Pharaò & Sennacherib castigauerant: uel potius, non perinde Deus suum populum afflixit, sicut persecutores eius, quos funditus euerit? *Dare percussos coram aliquo* Deuteromij 28, Dabit hostes tuos percussos coram te. id est, dabit tibi insignem uictoriam de hostibus tuis, efficiet ut sint cæsi à te. Sic primo Samuelis quarto: Percussusque est Israel coram Philistim. id est, à Philistæis cæsus est. Percutere percutiendo, Iudicum uigesimo, & 1 Reg. uigesimo. id est: ualde percutere. De reduplicationis uerbi dictum est in Regulis Generalibus. Sic & Latini dicunt, Occisione occidere: pro, penitus delere exercitum. *Percutere in anima,* est penitus trucidare aut interficere. anima enim uitam significat. Genesis trigesimo septimo dicunt fratres de Ioseph, Ne percutiamus eum anima. pro, ne occidamus eum, sed potius uendamus. Eadem locutio est & Ieremiæ quadragesimo. *Percutere lingua:* Ieremiæ decimo octauo, Venite & percutiamus eum lingua. id est, deferamus eum ad iudicem, occidamus eum accusando. *Percutere manum,* spondere significat: Prouerborum sexto, ut supra in uoce Manus dixi. Sic Germanicè, *Etwas in die hand schlagen:* fortè à gestu manum alterius sua dextera percutientum, quo promissiones confirmari solent. *Percutere percussione non recedente:* id est, plaga perpetua. Percutientem populos in percussione non recedente: Isaiæ decimo quarto. *Percutere aliquem in terram* est ita percutere, ut concidat exanimis, interficere. 2 Samuelis secundo: Ut quid percutiam te in terra? id est, cur præbebis causam, ut te interficiam? *Percutere pedus,* aut tundere, dolentium ac poenitentium gestus est, Luca decimo octauo & uigesimo tertio. Vnde adhuc cæremoniola apud Papistas est, ut pedus ac faciem tribus digitis in templo tundant. Quæ etiam apud ethnicos, teste Iuuenale, in usu fuit. *Percutiat me iustus misericordia,* & castiget me: Psalmo centesimo quadragesimo primo. id est, iusti castigatio, etiam seuerior, erit mihi beneficium ac salutaris. Sed contra, impij summa beneficentia erit mihi perniciofa: eo que malo à iusto duriter, quam ab impio amantissimè tractari. *Percussione tollam à te desiderium oculorum tuorum,* Ezechiel. 24. id est, repentina morte, non præcedente morbo, sed diuina plaga tibi adimam uxorem. *Cor percussit aliquem:* id est, conscientia eum grauitè accusat. secundo Samuelis 24: Et percussit cor Dauidem, postquam numerauit populum. Sic etiam in præcedente libro, Capite uigesimo quarto, dicitur cor percussisse Dauidem, quòd abscederit simbriam uestis Saulis. Sic & Paulus primæ Corinthiorum octauo inquit, Percutientes conscientias eorum: de tetriscadalis loquens. *Percutere in maxillam,* est ignominiose affligere: sic enim imbelles contemptim in faciem colaphis cæduntur. Nisi quis uelit exponere, quòd robur impiorum fregit: & quòd sit allusio ad feras, quarum uis in maxillis ac dentibus consistit. Sicut mox sequitur: *Dentes impiorum contriuiisti.* Sic & **CHRISTVS** de qua uis contumelia dicit: Si quis te percussit in dexteram maxillam, obuerte ei & sinistram. *Percutere pugno,* Isaiæ quadragesimo octauo, est itidem aliquem ignominiose tractare ac cedere. Sic & Christo, ac Paulo etiam, in iudicio colaphos infringebant. In Apocalypsi Capite octauo, Percutere tertiam partem solis: id est, obcurare. & undecimo Cap. percutere terram omni plaga: id est, uastare uarijs plagis. *Percussor* uocatur

vocatur Exodi duodecimo, ille angelus, quē Deus destinauerat ad interficiendos primogenitos Ægypti, Hebr. מַשְׁחִית Maschit, quem negat Deus se permitturum intrare in domos sanguine paschalis agni tinctas. Hunc percussorem uocat Paulus I Corin. 10, ἐκθροοντήν, exterminatorem.

PERD O, Hebraicē נָשַׁח schachat, alij uerterūt corumpo: quare & de multis huius uocis Hebraicis supra in uoce *Corumpo* dixi. *Perdere ad terram*, est idē quod percutere ad terram, ut prius dixi: Iudicum uigesimo: 10 Perdiderunt de Israel ad terram uiginti milia. pro, occidendo prostrauerunt. *Perdere ad consumptionem*, secundo Paralip. duodecimo, Non ad perdendum ad consumptionem: pro, non disperdat profusus. Etiam illud usque ad perditionem, Numerorum uigesimo quarto. id est, etiam illud peribit. *Perdere multum bonum*, Eccles. nono: At peccator unus perdit bonum multum. id est, multa mala ac incommoda attrahit sibi ac alijs. *Perditiōne perdere*, Nehem. primo. id est, ualde peccare: subintelligunt uiam Domini. inquit enim, Perdendo perdidimus, aut corrumpendo corrupimus tibi, & non custodiimus præcepta, iudicia ac ceteroniam, quas præcepisti. Sic Iud. secundo: Reuertebantur, & perdebat aut corruppebant (scilicet uias Domini) magis quam patres eorum. id est, post semel actam pœnitentiam relabebantur subinde ad tetriores idololatrias. *Vas perditum*: Psalmo trigessimoprmo, pro re quæ iam quasi extrarum naturâ est. Obluioni, inquit, traditus sum, sicut uas mortuus ex corde (id est, utero matris) & sicut uas perditū: nempe, cuius iam nulla cura habebatur. 30 *Prosperitas perdit*. Prouerbiorum primo: Prosperitas stultorum perdet eos. id est, res secundæ stultis ac impijs sunt exitio. *Perdere ex aliquo loco aliquid*, Ieremiæ uigesimo quinto: Perdam quæ ex eis uocem gaudij. id est, auferam eis omne gaudium, & occasionem gaudendi, seu res secundas. *Oues perditæ* fuerunt populus meus, pastores earum fecerunt eas errare: Ieremiæ 50. pro, perinde errat incertus, & perit populus meus. *Perdere corpus in gehenna*: id est, qui potest totum hominem æterno supplicio inferni addicere. Ibidem: Qui inuenierit animam suam, perdet eam. id est, qui eam conatus fuerit in hac uita offendendo Deum, & placando homines, seruare: is eam perpetuo exitio inuoluet: contra, qui propitio Deo in hoc mundo perdidit uitam suâ, is in æterna uita saluus & incolumis erit. *Perdere*, pro pati perire. Ioan. sexto: Hæc est uoluntas patris qui misit me, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo. pro, nihil patiar perire. *Aliquem cibo suo perdere*. Romanorum decimoquarto: Ne perdas illum cibo tuo, pro quo Christus est mortuus. id est, Ne dederis ei occasio- 50 nem scandali & interitus, abutendo Christiana libertate in cibis sumendis. *Dies perditionis*. id est, dies aut tempus quo Deus aliquos perdit ac castigat. Iob uigesimo primo: In diem perditionis seruantur mali, & ad diem indignationum producentur. Ieremiæ decimo octauo: A tergo, & non facie inspiciam eos in die perditionis eorum. secundæ Petri tertio: Cælum & terra seruantur in diem iudicij & perditionis impiorum. id est, ad extremam diem iudicij & pœnæ, quando omnia igne exurentur. Eadem locutio est & Abdiæ secundo. 60 *Ignis usque ad perditionem comedit*, Iob trigessimoprmo. id est, donec omnia absumat. *Perditio aliquando* ponitur pro ipsa morte, aut potius pro inferno. Iob uigesimosexto: Nudus est infernus coram eo, & non est tegmen perditioni. Et mox uigesimo octauo: Perditio & mors dixerunt, Auribus nostris audiuius famam sapientiæ. Psalmo octuagesimo octauo: Nunquid narrabitur in sepulchro benignitas tua, in perditione aut inferno ueritas tua? Prouerbiorum uigesimoseptimo: Infernus & perditio non saturantur, sic

nec oculi hominis. Sic Prouerbiorum decimoquinto. Infernus & perditio coram Domino sunt, quanto magis corda hominum? Hinc est quod & rex locustarum & angelus inferni, Apocalypsis nono, uocatur Hebraicē אַבְדֹן Abadon, & Græcē ἀπολλών, id est, perdens aut perditor, sicut supra diximus de angelo percussore, Exodi duodecimo, unde fortè hæc locutio sumpta est. *Filius perditionis* uocatur à Christo Iudas, Ioan. decimo septimo: quia sit iam exitio debitus, ac ob suū scelus destinatus. sic Latini *seruum pœnæ* dicunt, de damnatis ad supplicium. Porro secundæ Thes. secundo multo significantius Antichristus nominatur homo peccati, & *filius perditionis*, nempe quod sit author ac promotor peccati, & æterni exitij infinitarum animarum: sicut ipse proprium Ius dicit, quod infinitas animas cateruatim ad infernum secum trahat, æterno supplicio puniendas, distinc. quadragesima. *Perditio* omnino crebrò pro summo exitio pœnæque ponitur, aliàs spirituali, aliàs corporali. Osee decimotertio: Perditio tua ex te est Israel, tantum in me auxilium tuum. ubi perditio spiritualia & corporalia mala complectitur. Sic Dominus dicit Matt. septimo, Lata est uia quæ ducit in perditionem. Et Act. octauo, Petrus ad Simonem magum: Pecunia tua sit tecum in perditionem. pro, malè pereas unà cum tua pecunia, sicut & deberis æterno exitio. Primæ Timothei sexto: Cupiditates immergunt hominem in interitum & exitium. Secundæ Petri tertio: Perditio eorum non dormitat, pro, uicina est, accelerat. Hebræorum decimo: Nos non sumus subtractionis ad exitium, sed fidei ad animæ salutem. id est, non deficimus à Christianismo, uerâque salute, ut ea ratione nobis æternū exitium accersamus. Secundæ aut hæreses perditionis: secundæ Petri secundo. pro, sectæ pestilētes, ac perniciosæ hominibus, &c.

PEREGRINVS, in Sacris literis significat non tantum eum, qui extra suam patriam uiuit: sed etiam plerunque aliquid triste ac ærumnosum in se includit. Solent enim peregrini plerunque miseri ac ærumnosi esse, utpote qui in illis locis agant & uiuant, ubi nec cognatos aut amicos multos habent, nec patrimonium aliquod à maioribus acquisitum, nec denique magnifunt. Quod tanto magis accidebat peregrinantibus apud Iudæos, quia nec soli hereditatem eis habere aut emere licebat, utpote quod tantum Israelitis erat diuisum: nec nati erant ex Abrahamo, ut de diuinis promissionibus gloriari potuerint: denique erant etiam plerunque à uera religione & Deo alieni, quo magis tum contemnebantur, tum & odio habebantur: tamen si & in alijs gētibus peregrini non admodum accepti, honorati aut fœlices sunt. Ob peregrinorum igitur miseriam Deus eos sæpe connumerat uiduis, pupillis ac orphanis, & alijs omni opē præsidioque humano destitutis, eorumque se patronum ac defensorem esse profitetur, & illos Israelitis uehementer commendat, ne eos affligant, sed potius iuuent & subleuent, quandoquidem & ipsi olim peregrini fuerint. Talem tristis status conditionem etiam Deus Abrahamo de posteris ipsius indicat, inquit Genesis decimo quinto: Sciendo scias, quod peregrinum erit sementuum in terra non sua, & seruient illis, ac affligentur ab eis. Pij quoque dicuntur triplici ratione peregrini esse. Primo, quia hic non habent permanentem ciuitatem, sed futuram ac cœlestem quærunt. existentes enim in hoc corpore, peregrinantur à Domino (secundæ Corinthiorum quinto) & ab illa cœlesti Ierusalem, cuius sunt ciues ac domestici sanctorum, imò & filij Dei. Secundo dicuntur peregrini, quia hæc terra ac mundus non ipsorum proprius est, sed utuntur eo aliquandiu ex beneficio Dei. Sic dicit Deus Leuitici uigesimo quinto: Mea est terra, uos enim estis peregrini &

aduentus apud me, quasi ipse solus sit uerus possessor ac Dominus soli totius, nobis que particulam aliquam sui agri eloquet colendam, utendam ac fruendam pro certis annis que retribuit. Quare prohibet ibi DEVS, ne uendant terram in perpetuam possessionem cuiquam, cum ea illorum non sit. Tertia ratione peregrini & aduentus Dei dicimur: quia perinde ex sola eius ope pendere, ac ab eo omnia necessaria petere & mendicare cogimur sicut peregrini primum in regionem alienam uenientes, cum nihil proprium habeant, omnia petere a domesticis illorum locorum coguntur. Psalmo trigesimo nono: Ad lachrymas meas ne taceas DEVS, quia peregrinus & inquilinus ego sum apud te, sicut & omnes patres mei quasi d. quod perinde ad te confugi, tibi famulor, & a te omnia bona expectare & expectare cogor: sicut miser peregrinus ad aliquem opulentum ciuem aut indigenam confugiens, omnia ab eo solo expectat, totusque inde pendet. Sic & primo Paralipomen. uigesimo nono dicit David se suosque subditos omnia illa munera, quae ad strueturam templi obtulerant, non aliunde quam ex ipsa met benigna Domini manu accepisse. & addit inquit: Quoniam peregrini nos sumus apud te, & inquilini, sunt & omnes patres nostri. Sicut umbra dies nostri super terram, & non est expectatio. *Peregrinari* aliquoties simpliciter, habitare aut uersari significat. Psalmo decimo quinto: Domine quis peregrinabitur in tabernaculo tuo, & habitabit in monte sancto tuo? Alludit tamen simul ad illas prius indicatas rationes, quibus dicimur esse peregrini domini, quia peregrini habitabant apud aliquem indigenam. *Peregrinabitur lupus apud agnum*, Isaię undecimo: pro, cohabitabit, uersabitur cum eo amice. Sic Ieremieę quadragesimo nono: Non habitabit ibi uir, nec peregrinabitur in ea filius hominis. Genesis uigesimo. Abraham peregrinatus est in Gerar. id est, ibi uixit. Iacob quoque. Genesis trigesimo secundo, peregrinatus dicitur esse cum Laban, id est, cum eo moratus, aut habitasse. Denique Psalmo sexagesimo primo dicitur: Peregrinabor in tentorio tuo per multa secula. id est, uiam in Ecclesia, ac cura protectioneque tua in hac uita: in altera uero, in aeterna gloria. Exodi duodecimo: Cum peregrinabitur apud te peregrinus. id est habitabit, uersabitur. Idem ualet peregrinari in medio alicuius populi, Iosue uigesimo, & alias. *Peregrinari ubi potest*: id est, peregrare uiuere. secundo Regum octauo dixit Helisaeus ad mulierem, cuius filium excitauerat Peregrineris ubicunque poteris peregrinari, quia Dominus uocauit famem. id est, abi & uiue aliquando alibi extra Iudaeam, ubicunque tibi se aliqua tolerabilis conditio aut occasio uiuendi offeret, quia DEVS puniet hanc regionem tristi fame ac caritate. *Terra peregrinationis* alicuius: pro, in qua peregrare uersatus est. Exodi sexto: Terra peregrinationis eorum. in qua peregrinati sunt. *Domus peregrinationis*. Cantus fuerunt mihi statuta tua in domo peregrinationum mearum, Psalmo centesimo decimo nono. pro, dum huc atque illuc ut peregrinus fugitarem persecutionem inimicorum meorum. Hinc fit, ut peregrinatio pro ipsa uita, seu uita longitudine ponatur, ut Genesis quadragesimo septimo, Iacob Pharaoni quaerenti quamdiu uixisset? respondet inquit: Dies annorum peregrinationum mearum centum & triginta, pauci quidem, sed mali fuerunt dies uita meae, nec attigerunt dies uita annorum patrum meorum, in diebus peregrinationum suarum. id est, uita passim peregrinando acta. Peregrinus sum filius matris meae, Psalmo sexagesimo nono. id est, non agnoscunt me pro suo fratre. De peregrinis saepe praecipitur. praesertim in posterioribus libris Moysi. ubi illi intelligendi sunt, qui iam cum lu-

daes ut profelyti cohabitabant, non solum negociandi gratia eò ad paucos dies uenerant. Confitentes quod hospites & peregrini sunt in terra, Heb. undecimo. pro, non possidentes eam, non habentes hic certam possessionem aut patriam, sed futuram quaerentes. Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & haec ignoras? id est, qui haec ignoras quae omnes sciunt exteri & indigenae. Et, ibi ponitur pro qui: nisi quis malit exponere, Tu ne solus ex omnibus qui agunt Hierosolymae, quasi extra te ipsum & haec loca mente ac sensibus uersaris, ut nihil audias, nihil scias eorum quae hic aguntur? Sicut Cicero simili forma sermonis in Oratione pro Milone inquit, An uero iudices, uos soli ignoratis, uos hospites in hac urbe uersamini, uestra peregrinatur aures, neque in hoc peruagato sermone ciuitatis uersantur? Quasi diceret: Si haec solus ignoras, quae omnes norunt: tum tu profecto praesens absens es: praesens quidem corpore, absens uero mente & omnibus sensibus, nihil penitus audiens, attendens aut cogitans eorum quae hic aguntur, ueluti si totus prorsus in alio mundo esses. Verbum *uersari*, ad uerbum quidem uidetur *peregrinari* sonare, & sic uulgata uersio hoc uerbum non sine obscuritate uertit i Petri quarto: In quo peregrinantur, non concurrentibus uobis in eandem luxuriae confusionem, blasphemantes. id est, mirantur, & tanquam re noua ac peregrina offenduntur, quod non amplius perinde turpiter uiuatis, sicut ipsi uiuunt, & uos olim cum eis tanquam uestris amicis ac sodalibus uiscitastis. Sic mox ait: Charissimi, ne peregrinemini in seruire, qui ad temptationem uobis fit, quasi peregrini uobis aliquid accidat. Exponit ipsemet, quid indicet uoce Peregrinari: nempe ita uehementer aliqua re offendi, ut noua ac peregrina. *Peregrinus* aliquando hostem significat, sicut Latina uox *Hostis* olim tantum peregrinum significauit. Isaię undecimo: Terram uestram peregrini comedunt ac consumunt: id est, hostes. Crebro in hac significatione uox haec usurpatur: sed plerunque uertunt. *Alieni*. Aliae enim gentes alijs plerunque infensae sunt. **PERBO**, habet etiam suas quasdam obscuras notiones. Primum enim crebro significat deessen, non adesse, euanescere, non succedere ut, Spes hypocritae peribit. Iob 8. id est, non continget ei res sperata, irrita erit spes eius. Psalmo 9, Patientia aut expectatio impiorum non peribit. id est, continget eis res sperata, non frustra sperabunt, non erit irrita aut euanescent eorum spes. Eadem locutio est & Proverbiorum decimo & 24, Ezech. 19 & 37. & saepissimè alijs. Sic Psalmo 112, Desiderium peccatorum peribit. Vicina huic significatio est, cum dicitur *Perire fuga ab aliquo*: quod ualde crebrum est. Iob undecimo: Psalmo 147, Effugium peribit ab eis. Perierat effugium a me: id est, fuga erat irrita, nulla erat occasio aut facultas effugiendi mala. Sic Amos 2, Peribit fuga a uelocitate. Ieremie 25, Peribit fuga a pastoribus. *Perire* aliquando idem quod perire, interfici, extremo exitio obrui. Osee decimo quarto: In gladio pereant paruuli eorum. id est, perdantur, interficiantur. Nahum tertio: Peribis gladio. tamen ibi in Hebro sit, Excindet te gladius. Sic Lucae duodecimo dicitur Zacharias filius Barachiae perisse inter templum & altare: id est, interfectus. Sic i Cor. 10, multi Israelitae dicuntur perisse a serpentibus, aut exterminatore: pro, interfecti esse. Sic Christus quoque Matthaei uigesimo sexto inquit: Omnis qui gladium accepit. gladio peribit. id est, perdetur. Et Lucae decimo tertio: Non oportere prophetam perire extra Ierusalem. id est, interfici. Psalmo sexagesimo octauo: Pereant peccatores a facie Domini. & Psalmo 80, Ab increpatione tua peribit. Genesis decimo nono: Fuge, ne & tu pereas in scelere ciuitatis. id est, ne perdaris aut puniaris

puniaris ob ingentia scelera Sodomitarum. Prouer. 21: Testis mendax peribit. id est, diuinitus punietur. Sic Dan. 2 iubentur perire sapientes: id est, interfici. Ionæ 2, Ne pereamus in anima uiri: id est, ne à Deo perdamur ob submersum aut interfectum Ionam. 2. Pet. 2: In corruptione sua peribunt. id est, ob corruptionem suam damnabuntur. Iter impiorum peribit: Psal. 1. id est, ipsimet, uita & actiones aut conatus eorum perdentur. Iusti quoque dicuntur perire de terra nemine eam rem expendente, Isaia 57: & Mich. 7. id est, tolli, deficere ex hac uita. Sicut Psal. 12 orat: Serua Domine, quoniam defecit pius, & imminuti sunt fideles à filiis hominū. Sic Hieremias capite septimo: Perijt fides & ablata est de terra. Sic etiam pro euanescente aut deficere ponitur, cum dicitur perijisse panis aut cibus. Ioel. 1. Alimenta perierunt de domo. *Perire etiam cor regis & principum dicitur: id est, animositas ac prudētia, Hierem. 4. perire lex à sacerdote, Hieremias 18. & Ezech. 7. id est, sacerdotes non posse uerum sensum legis monstrare ac docere. Sic dicitur, Perire sapientiam à sapientibus, Isaia 29. Item consilium, Hierem. 49. An non est amplius sapientia in Themam, perijt consilium ab intelligentibus, annihilata est sapientia eorum: Peribit rex de Gaza, Zacharia nono: id est, deficiet. Operemini cibum non pereuntem. Iohan. 6. id est, perpetuo durantem, & nutritem: cuiusmodi sunt spiritualia Domini beneficia. nam hic panis ad breue tempus durat aut nutrit, cito perit ac inutilis fit.*

PERFECTVS תמים Thamim, aliquando שלם Schalem, sæpe idem est quod integer, incorruptus, il-
 læsus, non mancus aut mutilatus. Quare in uoce inte-
 ger aliquid de huius uocabuli Hebraismis dixi: sed &
 hic aliquanto plenius & clarius erunt proponenda. Il-
 lud autem ante omnia utile fuerit obseruasse, duplicem
 esse perfectionem: aliam (ut ita dicam) diuinam, aliam
 humanam. Diuinam uoco, illam summam perfectio-
 nem, quam Deus requirit in lege sua, aut qua etiā ipse-
 met eiusq; opera perfecta sunt, quam etiam legalē per-
 fectionem uocare possis. Talem perfectionem Deus
 in sua seuera legis prædicatione flagitat ab hominibus.
 Alia est perfectio inferioris cuiusdā gradus, quæ in ho-
 mines, præsertim renatos, cadere queat, quam passim
 Scriptura à nouo homine exigit: quā Deus ex dispen-
 satione Euangelica in hominibus tolerat. Tali fermē
 ratione etiam Cicero in Amicitia sapiētes perfectosq;
 definiuit. Verūm age recensamus iam significationes
 huius uocis. Primūm igitur significat aliquam rem,
 præsertim corpoream, integram, non corruptam, man-
 cam aut mutilam. Sic de uite Ezech. cap. 15 dicit, quod
 quandoquidem, cum adhuc thamim integra aut tota
 est, illæsaq; manet, non sit idonea ad ullum opus inde
 fabricandum: nedum sit idonea futura, si magna ex par-
 te exuratur. Loquitur autem allegoricē de Iudæis. Di-
 cit ergo, uitam ante adustionem esse thamim. id est, in-
 tegram, illæsam, non mutilam, fractam aut adustam.
 Sic sæpe in descriptione uictimæ ponitur hæc uox, qua
 præcipitur, ut sit agnus integer, non mutilus, mancus
 aut claudus. ut Exod. 12 de agno paschali præcipitur
 hæc uerbis: Sit uobis agnus thamim, integer, mascu-
 lus, anniculus. de ouib. aut capris. Hæc significatio ob-
 seruanda est ideo diligenter, quia cum sæpe in aliqui-
 bus dictis Scripturæ pios describentibus metaphori-
 cē usurpetur, non est intelligenda de summa quadam
 perfectione, quæ non tantum omnes partes, sed & om-
 nium partium summos gradus habeat: quo modo qui
 eam exponunt, perfectionem quadam legalem, atq;
 adeo desperationem excitantem flagitant, illaq; gra-
 tiæ & quasi Euangelica consolationisq; dicta peruer-
 tunt. ut Psal. 15: Domine quis peregrinabitur in taber-
 naculo tuo, & quis habitabit in mote sancto tuo? Qui

ambulat perfectus, aut integrè, & facit iusticiam, ac lo-
 quitur ueritatem in corde suo. Sic Gen. 6: Noe fuit uir
 iustus & perfectus & cap. 17: Ambula coram me, & sis
 perfectus, Thamim. ubi si intelligas summam quandā
 absolutionem aut perfectionem, ut plerique talia loca
 uertunt, nimirum desperationis dicta erunt. Nullus e-
 nim usquam gentium ita prorsus absolutus ac perfe-
 ctus, seu (ut Septuaginta sæpe uerterunt) ἀμωμος, ir-
 reprehensibilis reperietur. Atq; ita fient ista longè sua-
 uissima, & salutaris consolationis plenissima dicta, nō
 tantum legalia, sed desperationis laquei. Qua ratione
 aduersarij ea peruerterunt. Cuius generis & illud fuit,
 quod uoluerunt suos sanctos ita perfectos fingere, ut
 qui prorsus omni peccato caruerint. quam perfectio-
 nem cum alij homines uiderunt sibi prorsus impossi-
 bilem esse, coacti sunt desperare. Sicut uerò in supra
 indicatis corporalium rerum exemplis hæc uox nullo
 modo potest intelligi de perfecta quadam absolutione
 uitæ aut agni, in quo nihil prorsus reprehendi queat:
 ita nec in hisce ac alijs metaphoricis. quasi uel Abrahamā,
 uel alij peregrinantes in tabernaculo aut Ecclesia Do-
 mini, omni prorsus næuo careant, sintq; in summæ cu-
 iusdam perfectionis statu. Sic Iob quoque statim in ini-
 tio sui libri describitur fuisse perfectus & rectus. id est,
 sincerè colens Deum ac iusticiam, non hypocrita aut
 simulator. Sic Psaltes 19 Psal. orat, se custodiri ab in-
 solentia ac superbia: addens, Tunc ero perfectus, & in-
 nocens à præuaricatione multa. id est, sincerè ac inte-
 grè pius ero, si tu me non patieris in hæc aut illa tetra
 uitia incidere. Sic idem Dauid inquit Psal. 18, Fui Tha-
 mim integer cum Deo, & caui mihi ab iniquitate mea.
 Et mox cum pio pius aut benignus te præstabis, &
 cum uiro integro integrum te præstabis: cum puro pu-
 rum, at cum peruerso peruersum te exhibebis. ubi in-
 teger est idem qd' pius, & peruerso contrarius. ait enim,
 Deum talem se præstare, cuiusmodi sunt homines cum
 quibus agit, aut erga quos aliquid agit: bonis ac sincere
 bonum se præstat, peruersis uerò austerum & aduer-
 sum. Sic sæpe aliquis dicitur esse corde perfecto cum
 Deo, aut erga Deum: ut de Asa scribitur 1 Reg. 15, quod
 licet excelsa non amouerit, tamen cor eius fuerit תמים
 Salem integrum, sincerum ac perfectum cum Domi-
 no. ubi necessariò tantum integrum aut sincerum, non
 autem perfectissimum aut prorsus irreprehensibilem
 hominem notat. Fuit enim certè ille reprehensibilis in
 eo, quod (ut clarè indicatur) non omnia idola amoue-
 rit. Cōtrā de Salomone legitur, quod in senio eius mu-
 lieres peregrinæ inclinauerint cor eius post deos alie-
 nos, nec fuerit cor eius amplius perfectum aut sincerū
 cum Domino, sicut cor Dauidis patris ipsius. Vbi non
 id dicitur, quod nō fuerit absolutissimus, aut perfectis-
 simus, sicut Dauid, qui quidem etiam fuit peccator: sed
 quod cor Salomonis, ut adiunctum est, planè fuerit in-
 sincerum, & à uero Deo ad idola inclinatum. Cum cor
 Dauid dicitur perfectum fuisse cum Domino, manife-
 stè apparet, non de extrema quadam perfectione acci-
 piendum esse (fuit enim & ipse peccator, grauitèq; ali-
 quoties Deum offendit) sed tantum de summa sincere-
 tate, aut integritate eius erga Deū, qua sincerè ac pla-
 nè ex animo coluit Deum. 2. Par 16 dicuntur discurre-
 re oculi Domini per uniuersam terrā, ad corroboran-
 dos eos qui sunt perfecti cum corde eius. Sic Iosaphat
 præcipit iudicibus, ut iudicēt in timore Dei, in uerita-
 te & corde perfecto. id est, timendo Deum, omnia uerè
 ac sincerè agant & iudicent. In perfectione cordis ali-
 quid facere est aliquid sincero animo, & nō malo cōsi-
 lio facere. Sic Abimelech rex Gerar, orās se excusat er-
 ga Deū, inquiēs: הנהוּ bethō, in sinceritate cordis mei,
 & puritate manū mearū feci hoc, i. uolui sincerè mihi
 eam in uxorem adiungere, nō cogitās de adulterio, aut
 de ullo

de ullo illicito facto, ut qui ignorauit eam iam alteri maritatem esse: Gen. 20. In hac sinceritatis aut integritatis significatione usurpatur hæc uox etiam à Paulo ad Coloss. 3: Charitas est uinculum perfectionis. id est, cōpages integritatis. Mutua enim dilectio prohibet, ne facile collegæ, ciues, aut membra eiusdem Ecclesiæ à se inuicem disiliant, sed coniuncta inter se maneant. Contrà, ubi non est mutuus amor, sed potius odium, ibi perfacile, leuiq; occasione à se inuicem disiliunt, & exoritur schisma in cœtu aut collegio. Ipsa quoq; uox *εὐδοκία* uinculum, facile indicat agi de colligatione partium, ne à sese mutuo recedant. At aduersarij ex Vulgata uersione, Charitas est uinculum perfectionis, uolunt charitati summum iustificationis gradum uendicare: cum & rei ueritas, & ipsæ uoces, præsertim metaphora Vinculi, ei interpretationi manifestè contradicat. Vertendum igitur fuisset, Charitas est uinculum aut compages integritatis: id est, seruat aut connectit pios in uera unitate, ut sint unum in Christo sententijs ac animis. Ad declarationem huius Hebraismi, candidatis Hebrææ linguæ profuerit & illud obseruasse, quòd qui nunc Hebræas Grammaticas Latinè scribunt, uerba primi ordinis, quæ ab Hebræis שמרן Schelemim dicuntur, uocant perfecta, cum potius Integra uocare deberēt, ut quibus inter flectendum nulla prorsus radicalis litera decedat aut depereat, sicut alijs quæ horum respectu quasi manca aut mutila inter coniungendum fiant, eoq; Defectiua uocentur. Cum uoce *Perfectionis* sæpe ueritas aut fidelitas coniungitur, quæ itidem integritatem ac sinceritatē notat. Sic Ezechias orat 2. Reg. 20, & Isaiæ 38: Obsecro Domine, recordare quòd ambulauerim coram te in ueritate & corde perfecto, & fecerim quod rectum est in oculis tuis. id est, sincero animo egi, & promoui ueram religionem, & quæcunq; tibi grata esse cognoui, etiamsi meis lapsibus ac peccatis nequaquam caruerim. Sic supra citauimus locum 2. Paralip. 19. *odio perfecto* odi illos, Psal. 139. id est, uero ac serio odio odi hostes Dei: seu, ut alij uertunt, consummato. est enim uox רכילת rachlith ab alio themate, nempe à רכל. *Dies perfecta*, Prouerb. 4: pro, integra, plena, ac lucida. *Transmigrationio perfecta*, Hierem. 13: & *Captiuitas perfecta*, cum omnes in captiuitatem abducuntur, non tantum particula aliqua populi. *Vir perfectus*: pro, maturæ iam ætatis, & iustæ staturæ. Ephes. 4 ait Paulus, Christum ad hoc dedisse nobis suos ministros ac doctores, ut illorum institutione crescamus, donec perueniamus omnes ad unitatem fidei & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, & ad mensuram staturæ plenitudinis Christi. Sic igitur passim in Nouo testamento piorum perfectio plerunq; integritatem, maturitatem, & quasi iustam usitatamq; staturam piorum significat. Sic Paulus 1. Corinth. 2 dicit, se sapientiam loqui inter perfectos. id est, qui in spiritali perfectu non amplius sint infantes. Eodem modo & Hebræorum quinto dicit, infantibus in Christianismo dari lac, sed perfectis solidum cibum: ubi perfectio iustam staturam, & quasi legitimam ætatem aut maturitatem Christiani hominis denotat, non summam quandam & omnibus modis laudatissimam perfectionem. Sic 1. Corinth. 14 opponit perfectionē pueritiæ, & iubet nos malicia quidem pueros, intelligentia uerò perfectos esse: id est, in malè agendo rudes ac non idoneos esse, sed in uera piq; intelligentia uirilem prudentiam habere. Sic & Iacobus iubet nos perfectos & integros esse, ita ut in nullo deficiamus. ubi posteriores uoces satis indicant, quid per præcedens perfectum notet: nempe integrum, seu in nullo deficiens. Aliquando tamen *perfectus* absolutam quandam ac omnibus modis irreprehensibilem præstantiā notat. Deuter. 32. Dei perfecta sunt opera. & Philip. 3,

Paulus primū negat se adhuc plenè Christo conformatum, metam apprehendisse, aut perfectum esse, sed omni studio ad eam metam tendere. Paulo post addit: Quicumque sumus perfecti, sic sentiamus. ubi perfectionem primū uocat illam summam absolutionem, qua in altera uita Christo sua quadam ratione aut proportionem similes erimus, ut 1. Iohan. 3 habetur. De qua perfectione alterius uitæ, etiam Paulus 1. Corinth. 13 agit, inquit: Cum autem uenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est abolebitur. Posterius uerò dictum Pauli Philip. 3, loquitur de perfectione pij hominis, quæ in hac uita aliquibus, atque adeo etiam multis contingit, quæ est quædam uirilis maturitas, intelligentia ac constantia in rebus diuinis, Christianaq; religione & uita: cum Satanæ, carni & mundo renunciamus, Christo nos addiximus, ab eo omnem perfectionem quærentes ac expectantes, & cum illis prioribus dominis belligerantes. Ita sunt pij in hac uita perfecti inferiori gradu, & contrà imperfecti illo superiori. De ista summa perfectione intelligendum etiā est, quod Christus dicit Matth. 5: Sitis perfecti, sicut pater uester cœlestis perfectus est. Et alibi in Scriptura sæpe Deus inculcat: Sancti estote, sicut & ego sanctus sum. id est, contendite omni studio ad illam summam perfectionem ac sanctitatem. Sic uox *perfectus* aliquoties in Epistola ad Hebræos usurpatur. Hebr. 2: Sic oportuit ducem salutis nostræ per afflictiones perfectum fieri. id est, superato peccato totius humani generis in se recepto, iustum fieri, aut iusticiam obedientiæ & passionis p nobis præstare. Sic quoq; Hebr. 5 dicitur: Quamuis filius esset, tamen didicit ex ijs quæ passus est, obedientiam: & perfectus factus, extitit causa salutis æternæ omnibus auscultantibus ipsi. ubi itidem de illa perfectione præstitæ plenissimæ iusticiæ ac obedientiæ pro toto humano genere agitur. Hebr. 7, sermo iuramenti post legem facti cōstituit sacerdotem filium Dei in æternū perfectum. id est, cuius perfectio aut acquisita iusticia perpetuò ualeat ac prodest credentibus, plenissimeq; eos iustificat. Nec tantum ipse Christus dicitur sua illa iusticiæ, obedientiæ ac passionis præstatione perfectus factus esse, sed etiā nos credentes perfectos effecisse. Nam Hebr. 10 legitur, Vnica oblatione perfectos fecit in perpetuum, eos qui sanctificantur. id est, iustificauit eos, cum Deo reconciliauit, ac uita æterna donauit plenè, & deniq; etiam renouare aut mutare inceptit. Quod uocabulum perfectionis, ac uerbum *τελειόω*, prorsus malè quidam per *consecro* cōuertit: quasi de initiatione sacrorum, & non de perfectione iusticiæ ibi agatur. Contrà lex dicitur nihil potuisse perfectum aut consummatum efficere Hebr. 7. Nihil enim perfectit lex, &c. Et, Si enim per Leuiticum sacerdotium fuisset perfectio aut cōsummatio, quid amplius erat opus alium exoriri sacerdotem? Hoc idem exponit uberius Hebr. 9 & 10, inquit: quòd lex & eius uictimæ non potuerint uerè auferre peccata, aut remissionem peccatorum, iustificationemq; hominibus consequi. Inquit enim nono capite: Sacrificia offeruntur, quæ non possunt cultorem secundum conscientiam perfectum facere. id est, uerè ac spiritaliter iustificare. Corruperunt uerò perniciosè hæc dicta quidam noui interpretes, qui ibi uerbum *τελειόω* & *τελειόω*, *perfectum facio*, & *perfectus*, per uerbum *Consecro*, aut initio sacris, exposuerunt. Lex enim initiavit nos quidem sacris, & in populum Dei per fœdus circumcisionis adscripsit aut connumerauit: sed perficere, aut iustos acceptosq; Deo, abolitis nostris peccatis, & placata ira Dei perficere non potuit. Omnes Christiani sunt initiati: sed nō omnes consummati, aut iustificati. Non agitur autem in istis dictis de prima initiatione nostri, aut Christi: sed de ipsa consummatione, aut perfectione. Christus est initiatus

ininitatus aut cōsecratus ad suum ministerium, cum primū est à patre missus: sed cōsummatum aut perfectum factus est primū in passione. Vitāda ergo & detestanda est ista uocis istius primariæ corruptio, quæ totam sententiam istius Epistolæ, & functionis Christi, nostræq; redemptionis obscurat, atq; ad eod peruertit. Matthei 19 inquit Christus: Si uis perfectus esse, uade, & uende omnia quæ habes, & da pauperibus, ac sequere me. id est, gloriaris de tua iusticia, seruataq; tota lege: sed ut uerè iustus sis, teq; demones esse iustum, præsta quæso unum experimentum primi præcepti: Dilige magis Deum, ac me eius filium, quàm omnia tua bona. idq; in hoc experimento monstra: Age uende omnia tua bona, & sequere me. Qua ratioe ipsa uiua experientia redarguit eum non seruatae legis, & inanis gloriae suæ de iusticia. Ille enim offensus eo sermone, desertoq; Christo, redit ad suas opes, ostendens se pluris facere suas diuitias quàm Christum, eiusq; religionem & patrem. Ut probetis uoluntatem Dei bonam, Deo placentem & perfectam. id est, ut uerè cognoscatis, & amplectamini sanctam, Deo acceptam, & omnibus numeris absolutam sententiam Dei de religione ac uita uestra ac piorum omnium. Rom. 12. *Dona Dei dicuntur perfecta*, Iac. 1. quæ ita demū in hac uita perfecta sunt, cum ipsemet donator perpetuò assidit, perficiens ea quæ inchoauit in nobis. *Via alicuius dicitur perfecta*, Iob 22: Si immaculata aut perfecta fuerit uia tua. Et Psal. 101, & 119. Beati immaculati aut perfecti in uia, qui ambulat in lege Domini. id est, quorū religio & fides integra ac incorrupta est. *Via perfecta* alioqui aliquando dicitur ea, quæ est plana & expedita. De quo Hebraismo dicitur in uoce *Via*. Perfecti uia beneplacitū Dei, Prouerb. 11: id est, Deus delectatur integris ac sinceris in religione & uita. *Ambulare in perfectione*, aut integritate: Prou. 2 & 28, est integrè ac sincerè agere in utraq; Tabula. Sic & Psal. 16 & 101: tamen si possit significare id quod dicimus, simplici ac bono animo, citra cogitationē aut machinationē ullius doli. Sic Iob 4: Integritas uig. *Lex quoq; Dei perfecta* dicitur, aut immaculata, ut LXX & Vulgata habent, Psal. 19: *Lex Domini perfecta*, re-creans animam: testimonium Domini fidele, sapientiā præstās paruulis. ubi idem uidetur esse perfecta lex, & testimonium fidele: id est, carēs omni errore, & noxiō dogmate, ut quæ sola sit uerè salutaris animabus, & hominem instauret. Porro Iacobus cap. 1: inquit, *Legem perfectam libertatis*, uidetur significare ipsam legem cordi nostro inscriptam, seu renouationem. Eum enim qui illam habeat, ac ei studeat, dicit uerè præstare bona opera. Credo autem legem perfectam dici, quia sit uiua, hominemq; regat ac perficiat, non sit mortua, ociosa, aut dormitans litera, quæ mox excidit homini, nō quidem ex memoria speculatiua: sed ex praxi, opere, ac animo. *Pondus perfectum*, Deuter. 25, significat omnes mensuras, aut instrumenta cognoscendæ quantitatis sincera, nec ad imposturam comparata. Nō est in toto corpore Iudæ perfectio, Isaiæ 1. id est, nihil est integrum aut illæsum, quod non sit pœnis Dei afflictū, sed frustra. Sic supra diximus de uitæ perfectione seu integritate: id est, incolumitate, quæ ex hoc Isaiæ exemplo tanto melius intelligit. *Perfectiones auri*: 2. Par. 4. Ipsum erat perfectiones auri. id est, aurum purissimum. *Lapis perfectionis*, seu integritatis: Deuter. 27, significat non sectum, sed ut est naturaliter existētē. At 1. Reg. 6 uidetur significare lapides ut primū in latomij excisi & secti fuerunt. ut non oportuerit eos secundo inter ædificandum circumcidere. *Perfectio decoris*, pro consummata pulchritudine. Psal. 50: Ex Zion perfectione decoris Deus respexit. Perfectio & restitudo custodiāt me, quoniā speraui in te: Psal. 25. id est, Faxit Deus ut perpetuò sim sincerus & rectus. Alij intelligunt de

externa incolumitate, in qua petat se à Deo defendi & seruari. Ego autem in perfectione mea sustentauit me, Psal. 41. id est, tu seruas me incolumem, non aliter ac si paruū puerum pater manu apprehensum duceret, ac sustentet ne cadat. *Fortitudo perfectionis*, Iob 21: Iste impius peribit in fortitudine perfectionis suæ: id est, in summo uigore aut flore incolumitatis subito peribit. ita Thom. 2. perfectionis, etiam extremam uitæ, ualitudinis, famæ ac fortunarum integritatem aut incolumitatem interdum notat. *Dare perfectionē*, 1. Sam. 14. Saul sortem proiciens, ac querens cuius culpa Deus sit iratus, dicit, Da perfectionē: qua uoce petit à Deo, ut det ueram ac sinceram sortem, uerè monstrantem reum. Omnis perfectionis uidi finem, latum mandatum tuū nimis: Psal. 119: Vulgata habet, Omnis consummationis. *Consummatio aut perfectio* uocatur res perfecta aut absoluta. quasi dicat Psaltes, Nihil in tota rerum natura est tam præstans aut absolutum, quin intereat. At lex uel uerbum tuum manet in æternum. Posses per uocem *ἄν* intelligere rem consumptibilem, quia hoc thema etiam consumptionem notat: id est, quamcunque rem, quæ usu ipso huius uitæ absumi debet. Omnino uidetur hæc collatio rerum humanarum cum uerbo Dei, expressa esse à Paulo Colloss. 2: Cum religiosas traditunculas de cibis, uestibus, & alijs elementis à pseudoapostolis inculcatas conferens cum uera doctrina ac religione, dicit illa absumi *ἄποχρησται*, ipso usu. Postremò, *perfectionis* uocabulum aut res in Sacris literis uarijs uocibus exprimi solet. Dicitur enim uertiturq; aliàs perfectus, aliàs consummatus, integer, sincerus, immaculatus, incolumis. Septuaginta sæpe *ἀμω* irreprehensibilis uerterunt.

PERFERO, nihil admodum obscuri usquam habet in Sacris, præterquam in uno loco. 1. Petri 2: Quæ peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. id est, reatum & pœnas pro peccatis nostris in cruce patiendo tolerauit ac exoluit. Verum uidetur propriè significare sursum ferre: sicut Germanica uertit, Obtulit. Puto enim talem esse quandam hypotyposim, quasi Christus pingeretur leuans, trahens aut subleuans in cruce peccata nostra, ueluti si carnifex gestet in tergo reum suspendendum, ac cum eo in patibulum ascendat, ut ibi eum suspendat: sic & Christus dicitur peccata nostra in cruce subleuasse, ac ibi ea crucifixisse, idq; in corpore aut super corpus suum, cui ea pater per imputationem alligauerat, seu illum quasi latronem iuguladum & perdendum humeris eius imposuerat. Sic erit uicina hæc locutio illi Paulinæ, quod Christus chirographum nostrum cruci affixerit: sic igitur Dominus moriendo mortem & peccatum supplicio extremo affecit, ac ueluti cruci affixit. Cum impij Christum in cruce exaltarunt, subleuarunt aut affixerunt, tum ille ipsis non cernentibus, alios quosdam scelestissimos reos patibulo suffixit: nempe peccatum aut iniusticiā, diabolus, mortem, infernum, ueterem Adamum, & mundum: sicq; factus est morti mors, inferno pestis. *Ἀναψίγω* alioqui pro patior non dicitur, sicut plerique putant: quod illud Pertulit apud Petrum, significet idem quod perpassus est.

PERIPSEMA, Græca uox, à uulgata uersione 1. Corinth. 4 retenta est. uenit à uerbo *περιψέσω*, quod significat abstergo, abrado. Solent enim res exterius fieri immundæ, aut alioqui corticem seu quasi quandam cuticulam usui inutilem habere, ut in pomis, piris, rapis, & similibus uidemus. Eam externam immundam aut noxiā superficiem abstergimus, cum re ipsa uti uolumus. Significat igitur peripsema, illam ipsam amotā cuticulā aut immundiciē. Græca Scholia uolunt hanc uocē significare etiā immundū panniculū, quo abraditur aut abstergitur illud sordidū. Cū igitur Paulus ibi,

suam afflictissimam & abiectissimam sortem coram mundo exprimens, inter alia inquit. Purgamenta mundi facti sumus, exterisq; aut abstersum: per utramque uocem ibi idem indicat, nempe se pro uilissimo, aut etiam immundissimo pessimoque homine haberi, qui uel tanquam noxius, uel tanquam uilissimus amouendus esset: uel etiam tanquam is qui omnium contumelijs sit expositus, & ueluti ab omnibus hominibus pedibus proculcatur. Locus ille proculdubio alludit ad Thren. 3 caput, ubi propheta inquit: Abstersum & reiectamen 10 ta posuisti nos inter populos. Germani habent duas uicinas locutiones, & huic Paulinae non admodum ab similes: ut cum de aliquo contumelijs omnium exposito uiliq; homuncione dicunt, *Iederman wusch die schu an in. Er ist jedermans fustuch*, Quilibet in eum extergit calceos suos, ueluti affricando eos ad ipsum, sicut ad lapidem aut lignum solemus lutulentum calceum pedi indutum affricare. Item, Ego cogor esse omnium pannus pedum: id est, quo omnes suos pedes calceos ue extergunt. Sic etiam utuntur uoce *Schabab*, per metaphoram, pro reie 20 ctamento. & homine contemnendo & abijciendo. Dicitur est aliquid de hisce uocibus etiam in uoce Anathema. nam aliqui legunt in hoc Paulino uersiculo, *ὄνειδος καθάρμα*, tanquam catharma fui, habitus ue sum. Putant ergo, ut in uoce *Anathematis* dixi, Paulum aliosq; Apostolos perinde omnium iudicio damnatum, & pro quodam piaculo omnia contaminante, & alios homines suis peccatis ac ira pœnisq; Dei onerare habitum, ut sacrilegos, incestos, parricidas, aut alios qui ingen 30 tia scelera patrarunt, aut etiam ut eos homines quos certo ritu, cœremonijs ac precationibus, omnium peccatis ac pœnis oneratos, dijs manibus sacrabant, deo uebantq;. Sic & Germanica translatio uertit uocem *Peripsematis*, *Fegopfferr*.

PERMANERE, pro perseverare sæpe ponitur, cuius significationis exempla recenseri nihil attinet: tantum obseruetur illa loquutio Rom. 11: Considera Dei bonitatem in te, si permanseris in bonitate. id est, si perseveraueris fide Christum, ac in eo Dei misericordiam & beneficia amplecti & retinere.

PERMITTERE, aliquando non tantum utcumq; aliquid alicui cōcedere, sed etiam efficaciter ac potenter cooperari significat. Hebr. 6. Respiscemus, siquidem permiserit Deus. pro, si potenter nos adiuuerit, atque adeo ipsemet cōuersionem in nobis operabitur. Sicut uerò permittere significat interdum efficacem operationem: ita contra aliquo uerbo efficacis operationis solam permissionem notant. Iohan. 6. Ut non perdam ex eo. id est, non patiar perire. Quod porro uerbum *permittere aliquid facere*, expriment Hebræi per futurum il 50 lius uerbi, cuius actio passio ue permitti dicitur, in Regulis Vniuersalibus plenius dictum est.

PERNOCTARE, *לון* Lun, significat aliquando simpliciter morari, aut manere uel habitare alicubi. Hoc uerbo utitur seruus Abrahamæ, petens noctis hospitium à Rebecca. De quieta uerò & diuturna commoratiōe, Prou. 15 legitur: Auris auscultans admonitioni uitæ, inter sapientes cōmorabitur. Sic Psal. 91. In umbra aut protectione omnipotentis Dei cōmorabitur, seu pernoctabit. Psal. 25. Anima eius in bono morabitur, & semen eius possidebit terram. id est, bonis ac beneficijs Dei diu perfruetur. Verum Psal. 30. paulo aliter accipitur hæc uox in dicto, *Vespera commorabitur aut pernoctabit fletus*, & manet læticia. id est, etiam si aliquando in aliqua potestate tenebrarum diuertet ad nos aliqua calamitas, ueluti peregrinus quispiam hospes: tamen mox Deus conuertet illud malam tempus, & mis 60 sa liberatione exhilarabit nos, fugato illo prauo hospite. Non pernoctet apud te pignus pauperis: Deut. 24. pro, ne detinueris apud te uestem aut lectum pauperis, 70

ipsi ad nocturnam quietem necessarium. *Pernoctare in oratione*: Lucæ 6, Christus erat pernoctans in oratione Dei. pro, tota nocte orabat.

PERPENDICVLVM, instrumentum fabricorum cœmentariorum, quo, appenso de funiculo plumbo, examinant rectitudinem aut obliquitatem parietis. Ponitur autem in Sacris literis aliquando pro forma aut ratione ædificationis. 2. Reg. 21. Extendam super Hierusalem perpendiculum Samariæ. id est, perinde eam extruam, seu potius destruem, ut Samariam destruxi: sicut hæc phrasia mox ibidem explicatur. Sic Thren. 2 dicitur, Extendit perpendiculum, non retraxit manum suam a vastando: ubi subintelligere possis perpendiculum vastationis. Sicut Isaias cap. 34 inquit: Extendet super eam perpendiculum inanitatis, & lapides desolationis. id est, deuastabitur Bosra & Idumæa. At Zach. 1, extendere perpendiculum in bonam partem accipitur, & significat idem quod ædificare: Domus mea ædificabitur in ea, & perpendiculum extendetur super Hierusalem. id est, instaurabitur.

PERPETVVM, apud Latinos aliàs quiddam continuum, & nusquam interruptum significat: aliàs, quiddam perenne, seu sine carens. In Hebræo est plerumq; olá aut *עד*: quas uoces aliàs uocabulo *Perpetui*, aliàs *Æterni* uertere solent. Distinguunt porro quidam perpetuum ab æterno: quod perpetuum dicitur id, quod cum initium habeat, sine caret: ut animæ ac angeli sunt perpetui. Æternum uerò, quod sine fine & sine initio est: ut solus Deus est æternus. Vocabulum Hebræum *Olam* non rarò uertunt seculum, quare & in uoce *seculi* aliquid de hisce uocabulis agetur. Monet alioqui etiam Rabbi Moyses, uocem *Olam*, quam aliàs seculum, aliàs perpetuum, aliàs æternum uertunt, non semper significare durationem sine carentem, sed nonnunquam longum tempus, nonnunquam etiam durationem iustam ac debitam illi rei de qua agitur. Sic sæpe aliqua in Sacris promittuntur *עלמ* leolam, in seculum aut *perpetuum*, quæ tamen iusto tempore deserunt. Sic Exod. 21 dicitur, Seruiet ei in perpetuum: id est, usq; ad mortem, aut iubileum. Sic Psal. 89, Deus Davidi promittit: In perpetuum firmabo semen tuum, ædificabo in generatione & generatione solium tuum: cuius tamē posteritas ac regnum desijt, nisi quod postea spiritualiter in Meschiã est translatum. Sic Eleazaro & eius posteris promittitur perpetuum sacerdotium, quibus tamē id Salomō abstulit. Aliquando significat aliquid integrum, sincerum ac firmum: ut Hierem. 31, Charitate perpetua dilexi te. id est, uerè, sincerè ac firmiter. Mich. 2, A paruulis eius abstulisti ornatum meum in perpetuum: pro, profusus. Sic Terentius: Sit hoc gaudium perpetuum. id est, firmum ac sincerum. Sic sæpe dicitur Deus irasci in perpetuum, aut non in perpetuum. item, Clamor afflictorum non tradetur obliuioni, aut non peribit in perpetuum. id est, non nimium diu. Sacrificium perpetuitatis, est iuge sacrificium: de quo in uoce *NINCHA*, & *MVNDVS*, itē in *IVGIS*, quantum sufficit, dictum est.

PERSEQUI, sicut & uerbum Hebræum *קרא* radaph, ac Græcum *διώκειν* ambiguum est: aliàs in bonam partem usurpatur, aliàs in malam. In bonam Psal. 33. Inquire pacem, & persequere eam, uel sectare. significat enim, omnino studio ac cura aliquid querere, & ueluti uenari. Ab hac porro significatione, aut etiã pertinaci insecutione aduersariorum fugientium (ut fit in pugna, cum altera pars terga uertit, quã uictor persequitur, ac ueluti pertinaciter sequitur) uenit ista communis ac Theologica, qua significatur omnis grauior infestatio & afflictio pijs illata ab impijs. præsertim religionis gratia. Nam impij perinde crudeliter, studiose, & pertinacissimè pergunt infestare & affligere pios, quantum uis fugitantes, nullamq; eis occasionem præbentes, adeo non possunt suum diabolicum furorem exaturare. Hinc nota *persecutor* & *persecutio*. Huius

Huius significationis harum dictionum est plurimus in Sacris literis usus, ut non sit necesse exempla proferre. Aliquando tamen etiam malorum iustas calamitates hoc uerbum denotat. ut Prouerb. 18: Fugit impius nemine persequente. & Prouerb. 13: Peccatores persequetur malum.

PERSONAM Theologi uocant substantiam individuum, intelligentemque, & per se subsistentem: sic etiam in unitate diuine essentiae tres personae esse dicuntur. Sic unusquisque homo, ac angelus bonus ac malus, persona est. Graeci dicunt tum *πρόσωπον*, tum *ὑπόστασις*, aliquando etiam *σώματα* corpora. Sic hoc uocabulo utitur Paulus 2. ad Cor. 1: Ut pro dono aut beneficio ex multis personis in nos collato, gratiae per multos agatur pro nobis. id est, ut sicut multi homines pro nostri liberatione orarunt, ita etiam multi pro impetrata nostri liberatione gratias agant. Persona in Sacris literis crebro externam speciem, dignitatem, nomen, aut etiam alias aliquas qualitates notat. ut 2. Cor. 5, Gloriantur in facie aut persona, non in corde. Personas Latini uocarunt illas laruas, quas sibi comediatarum actores imponebant, simulantes iam senem, iam iuuenem, iam regem, iam feruum, iam uirum, iam mulierem, eo quod per illas suam uocem sonabant, aut edebant. Hinc porro factum est, ut etiam ipsi actores personae dicti sint: & porro tota illa externa eorum species. Ab hac significatione porro illae celebres locutiones primum in forū, deinde & in communem uitam peruenerunt, ut sunt: Personam considerare, personam cognoscere, personam accipere, personam aspicere, personam admirari, & personarum acceptio aut prosopolepsia, & personarum respectus. Inualuerunt igitur istae locutiones potissimum in foro ac iudicijs, ubi nimirum & ipsa res in plurimo usu est. Cum enim iudicis officium sit, in iudicando ipsas res, actiones, ac crimina considerare, citra omnem personarum respectum & affectum, & secundum illas pronunciare ac exequi: saepe admodum fit, ut iudex non tam ipsam causam aut litem, & utriusque partis rationes expendat, quam personas litigantium, eisque patrocinantium respiciat, consideret ac expendat: cogitans hunc uel illum potentem esse, qui obesse aut prodesse possit, eoque uel metuendum, uel fauorem eius captandum esse: uel esse pauperem ac miserum, ideoque misericordia dignum: uel amicum, cognatum aut inimicum esse, quem amare aut odisse debeat. unde fieri solet, ut neglecta prorsus causae ipsius qualitate, solis personis & affectibus motus, de causa pronunciet. Talis personarum considerator aut acceptor negatur esse Deus. Is enim iuste iudicat, secundum rei ipsius ueritatem, non secundum externam speciem aut umbram. Saepe ergo hoc nomine Deus celebratur. Sic Paulus dicit Rom. 2: Deum ex aequo Graecos & Iudaeos iudicaturum, citra omnem personarum respectum: quia sit iustus iudex, & soleat reddere unicuique secundum opera sua. Quidam alius de persona sic annotat: Persona in Scripturis usurpatur pro rebus omnibus externis hominis, quae aliquando in precio & honore haberi, ac propter eas etiam ipsi homines magnificari aut contemni solent. Cum ergo legis, Deum non esse acceptorem personarum: intellige, illum respicere tantum cordis puritatem, ac interiorem innocentiam: non autem ijs immorari, quae solent in hominum aestimationem uenire, genus, patriam, dignitatem, copias, & similia: ut saepe *Acceptio* intelligatur pro delectu ac discretionem inter gentem & gentem. Definiunt uero quidam Prosopolepsiam, cum dantur aequalia inaequalibus, aut inaequalia aequalibus: quae circumscriptio utcumque fertur in iusticia distributua, ubi proportione Geometrica personae considerantur, & unicuique suis honores, praemium aut poena datur. Alioqui in propor-

tionem Arithmetica, ubi solae res ac lites considerantur, nullum habet prorsus locum. ibi enim, sicut & in contractibus, unicuique suum dandum est, siue personae sunt aequales, siue inaequales. Non habet quoque haec descriptio locum in officio doctorum, qui omnes arguere tenentur, doctos & indoctos, nobiles & ignobiles, potentes & pauperes. Sic non habet locum, cum quis nullo debito, sed sponte, suas res largitur, quas liberum est illi pro arbitrio distribuere, cui & quo modo mensuraque uelit. Hinc est illa lis patrisfamilias cum suis uinitoribus, qui iniquum putabant, tantundem dari una hora laborantibus, quantum ipsis qui tota die portauerant pondus & aestum diei. Hanc liberam profopolepsiam sua bona aut dona distribuendi, ex professo Paulus asserit, & tribuit Deo, Rom. 9, & alijs. Verum nunc aliqua dicta Scripturae percurramus. Deuter. 1: Non agnosceatis personas in iudicio, perinde paruum ac magnum audietis, ne timeatis a facie cuiusquam. ubi ter idem repetitur. Leuit. 19: Non accipies personam tenuis, nec honorabis personam potentis in iudicio. Eadem locutio est & Deuter. 10, 16: lib. 2. Paral. cap. 19: Iob 32, 34: Prouerb. 18, & 24. Locus Iobi est perspicuus. Tanto minus ei qui non accipit personam principum, neque agnoscitur diues coram paupere. Tribuitur haec phrasia etiam parrhesiae aut libertati sinceri ac constantis doctoris. Matthaei uigesimosecundo, Marci duodecimo, & Lucae uigesimo, dicunt Pharisaeorum discipuli ad Christum: Recte doces, non curas quenquam, nec in faciem cuiusquam respicis. Hoc enim munus est ueri doctoris, ut liberè doceat, & arguat omnes de peccato, siue irascantur, siue probent potentes. Haec laus etiam Isaiae quadragesimosecundo, Christo tribuitur. Actorum decimo dicit Petrus, Deum omnes uere credentes, ex quacunque gente sint, recipere & amare, nec esse personarum acceptorem. In eodem sensu & usu usurpatur haec locutio ad Ephes. sexto, & Collossen. tertio. Sed primae Petri primo, perinde ut & Romanorum secundo, de se uero Dei iudicio accipitur. Porro Galatis secundo dicit Paulus, se nihil ueri priori dignitate ac nomine Petri, ac aliorum, & quod illi coram cum Christo uersati fuerint. nam Deum ad talia externa non alligare gratiam, ac dona sua. Iacobus capite secundo accusat quosdam Christianos, quod non ex aequo complectebantur fratres pauperes ac praepotentes. Iudas in sua Epistola ait, seductores admirari ac colere personas potentum lucri gratia. Haec de significationibus harum locutionum. Illud autem alibi prolixè dictum est, falso ex praua prosopolepsiae descriptione quosdam liberum arbitrium asserere conari. Deus enim liberè sua gratuita dona distribuit, alijs alij genti ueros doctores & puram doctrinam, alijsque largiens. De qua liberrima liberalitate Dei, praeclearè Augustinus pronunciat, quod aliquam occultam causam habere possit, iniusta autem nequaquam esse possit.

PERTINEO uerbum nihil fermè obscuritatis in Sacris literis habet, nisi quod Vulgata uersio aliquoties Graecum *ἐπίλεγει*, Non est tibi curae, male uertit, Non pertinet. ut Marci 4. Magister, non pertinet ad te quod perimus? & Iohannis decimo: Mercenario non pertinet de ouibus: cum uertendum fuisset, Non est curae de ouibus. Sic mox 12, Ad Iudam non pertinebat de pauperibus: id est, simulabat Iudas se curam pauperum contradicere profusioni tam preciosi unguenti, cum id studio proprii lucri aut furandi fecerit.

PERTINGO. Pertingat culmen turris nostrae in caelum, Genesis 11. est usitata quaedam hyperbole in omnibus linguis: quales illae locutiones sunt, Vertice feriam sidera, It clamor caelo, &, Caput inter nubila condit. Sic & Babylonij uolebant suam turrin caput inter nubila

nubila condere, quam regionem aeris Hebræi etiã cœlum uocant, ut alibi dixi: non solam ætheream. Paulus 2. Cor. 10 gloriatur, se peruenisse usque ad Corinthios prædicatione sui euangelij: Vulgata uertit incommo-
dius, *Pertingere.*

PERVENIO, φθάνω, aut φθάνω, sæpe singulari quadã emphasi usurpatur: ueluti si quid maturè ac magno impetu adueniat, afferens magnum bonum aut malũ alicui. Sic Matth. 12, & Lucæ 11 dicit Christus ad Iudæos, Vtiq; peruenit ad uos regnum Dei. & cõtrã, 1. Theff. 2, 10 Peruenit super eos ira Dei. Rom. 9: Israel qui sectabatur iusticiam legis, ad iusticiam legis non peruenit. Sic & Paulus dicit, se cum suo euangelio usque ad Corinthios peruenisse. Cæterum idem Græcum uerbum 1. Theff. 4. significat præuenire aut anteuertere. inquit enim Paulus, In resurrectione nos uiuentes non anteuertemus eos, qui dormierunt. id est, non citius in regnum cœlorum perueniemus.

PERVERVS homo, cor, uia, actiones, crebrò dicuntur in Sacris literis: licet hæc uox in hac significatione etiã 20 apud prophanos scriptores sit usitata. Credo autem esse metaphorã, sumptam à rebus corporeis, ut ab animalibus aut arboribus, alijsq; rebus, quæ tunc demum uigent, probæ ac utiles sunt, cum in sua natua ac diuinitus ordinata forma consistunt. Cum uerò sunt peruersæ, ac ueluti subuersæ uel inuersæ, pereunt aut noxiæ fiunt. Inde igitur per metaphoram dicitur homo peruersus, qui astutus, uaser ac maliciosus est, non simplex, rectus, ac sincerus. Prouerb. 16: Homo peruersus suscitatur lites. Et Christus exclamat Matth. 17, & Luc. 9: 30 O generatio infidelis & peruersa. Sic & Paulus Phil. 2 dicit, Pios habitare in medio nationis prauæ ac peruersæ. id est, quæ non est recti saniq; iudicij, & probæ ac honestæ uoluntatis. Sic & Moyses uocat Israelitas nationem prauam ac peruersam. Dauid inquit Psal. 18: Cum peruerso peruersus eris. *Peruersa uia* est, tum falsa doctrina ac religio, tum & impura iniustaq; uita, & omnes omnino prauæ actiones. Prouerb. 2 & 21. *Peruerso saloqui*, est iniusta aut impia loqui. Prouerb. 10: Os impiorum peruersa loquitur. Eadem locutio est quoque 40 Prouerb. 2. Prouerb. 28 est locus notabilis. inquit enim: Melior est pauper, qui ambulat in perfectione sua, aut integritate, quam peruersus uisus, & ipse diues. id est, pauper sincerus, quam diues maliciosus. *Peruere iudicium*, crebrò reperitur nõ tantum de iniqua causarum forensium diiudicatione, & maliciosis compedijs, aut potius fraudibus litigatorum, sed etiam de religionis corruptelis: Deut. 24, 27. 1. Sam. 8. Habacuc dicit, Propter egressum iudicium peruersum. Thren. 3, Peruere hominem in iudicio. *Peruerti* dicuntur ab impijs 50 etiam dogmata religionis: Iob 13, Cultores peruersorum dogmatum. Et Hierem. 23, Peruertistis uerba Dei uiuentis. Idem uidetur esse, quod Salomon inquit Prouerb. 17: Ut peruertat semitas iudicij. Dicitur & cor peruersum, eodem sensu aut significatione, qua homo peruersus. Prouerb. 17, Peruersum corn non consequetur bonum, & homo peruersæ linguæ incidet in malum. Eadẽ planè est aliquando uis uocis *Subuersus*. Tit. 3, Hæreticum hominem post unam ac alteram admonitionem deuota, sciens quòd talis sit subuersus aut euer- 60 sus, & peccet, suo proprio iudicio damnatus. Videri tamen posset hoc adhuc aliquid deterius. Cum peruerso idem est aliquando *Obliquus* aut *incuruus*, nempe qui non est rectus & simplex & sincerus, sicut Ecclesiast. ait: Obliquum corn non dirigetur. Et Hierem. cap. 17 affirmat, cor hominis esse peruersum aut obliquum & affictum, seu triste ac desperandum. id est, nihil rectum, sanum ac sincerum habens. Verùm de hoc Hebraismo aliquid fortè etiam in uoce **SUBVERVS** dicitur. Posses & aliam huic uicinam rationem metaphoræ re- 70

perire: nempe cum uox Græca διαρρηκω, qua in talibus locis nouum Testamentum utitur, significet etiam distorquere ac obliquare recta: fieri potest ut sicut ligna, hastilia, trabes, mali, antennæ & similia, si recta sint, p. sint: si obliqua, inutilia fiât: ita & in omnibus linguis, quæ probantur, recta esse dicuntur: & contrã, incuruitas & obliquitas uituperium significat. Huc pertinet etiam locutio ac res ipsa, quòd Diabolus dicitur esse *Tertuosus semper*. Et fabula ueterum de pugna cancri & serpentis: qui cum cancrum multiplicibus gyris & ambagibus capere, implicare & illaqueare conatus fuisset, tandem forcipe cancri circa guttur correptus & suffocatus, in rectum extensus est, acclamante cancro, Talem eum debuisse esse ac incedere, dum uiueret.

PES, sicut & manus, aliãq; primaria membra, ac ueluti instrumenta corporis, uariè accipitur in Sacris literis. Primò enim, aliquando ipsum etiam hominem significat: non tamen citra emphasin, gratiam, aut alioqui proprietatem aliquam eius actionis aut operis, de quo agitur, sicut & suprã de anima, manu & oculo dixi. ut Psal. 14, Rom. 3: Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. id est, ipsi sunt prompti ac parati ad cædem, aut alioqui ad lædendum proximum. Sic Prouerb. 6, Pedes festinantes ad malũ odit Dominus. Isaiæ 52, & Rom. 10, Quàm speciosi sunt pedes euangelizantium nobis pacem ac bona. pro, quàm grati & accepti sunt contritis & perterrefactis, ac ueritatis cupidis conscientijs, Apostoli, & alij sinceri doctores. 2. Regum 21. Nec addam ut commoueri faciam pedes Israelis è terra quam dedi eis. pro, non sinam ut Israel ultra emigret. Non dabit in commotionem pedem tuum, Psal. 121. pro, non patietur ut pes tuus nutet aut uacillet. Psal. 119, Conuerti pedes meos ad testimonia tua. Sic ibidem, Lucerna pedibus meis uerbum tuum Domine. id est, mihi ipsi. Psal. 38. Dum declinat pes meus, aduersum me magnificant. id est, me periclitante insultant mihi. Talia exempla huius significationis sunt plane innumera. Sic, Eripe pedes meos à lapsu aut impulsione, Psalmo 56, & 110, & centesimo quadragesimo, Meretricis pedes non habitant in domo sua. Prouerb. 7. id est, ipsa meretrix non continet se domi. Eodem modo & Psalmo 31 dicitur: Non conclusisti me in manu inimici mei, sed statuisti in latitudine pedes meos. id est, non permisisti ut me inimicus caperet, sed ut liberè possem ire quocunque mihi liberet. Aliquando pes affectum, curam, opus, aut conatum alius significat: quia sicut pes instrumentum motus est, ita hæc sunt initia actionum. Genesis trigesimo Iacob dicit ad Laban, Benedixit lehoua tibi ad pedem meum: id est, 50 me tuas res regente aut procurante, tuosue greges pascente. Psal. 17: Sustenta gressus meos in uisus tuis, ne declinent pedes mei: id est, ne animus, affectus, cogitationes, actiones & uita mea recedat à tua doctrina, tuoque præscripto ac uoluntate. Aliqui dicunt ideo pedes poni pro affectu: quia sicut pedes gestent corpus, quocunque opus est, sic affectus mentem huc atque illuc ad uarias actiones ac conatus transferant. Pedes extraneæ descendunt ad mortem: Prouerb. 5. id est, eius ductus, illecebræ, amores & conuersatio, qua in turpitudine & exitium trahit ac pertrahit stultos amafios. *Semita pedis*, est omnis conatus actioq; hominis, interna & externa. Pondera semitam pedis tui, & cunctæ uia tuæ rectè disponantur: Prou. 4. Sic mox ibidem: Non declines neq; ad sinistram, neq; ad dextram, sed aufer pedem tuum à malo. id est, animũ tuum nutusq; tuos internos & externos. *Pes superbia*, Psal. 36: possit uideri significare animum & affectum superbum, seu uitium superbiae: sed significat potius superbiorum hostiũ uolentiam, à qua se non opprimi, sed diuinitus liberari 70 orat. Ne ueniat mihi pes superbiae, & manus impiorum ne im-

ne impellat me. Quasi dicat: cohibe omnes prauorum ac superborum persecutorum conatus contra me susceptos. Remoue pedem tuum a malo, Prouerbiorum no. id est, affectus, cogitationes, ac conatus amoue a prauis actionibus. *Ad pedes alicuius esse*, subiectionem significat: sicut contra, *In caput esse*. Deuteron. trigesimalotertio: Adiunxerunt sese pedibus tuis: id est, te tuaque uestigia sectati sunt, quocunque eis preiuisi. libro primo Samuelis uigesimoquinto dicit Abigail ad Dauidem: Benedictio hæc, quam attuli, detur ministris domini mei, qui ambulant ad pedes eius: id est, qui ei seruiunt. Sic mox ibidem: Quinque puellæ, quæ ambulant ad pedes ipsius Abigail. Iudicum quarto, Congregauit Barac Zabulon & Nephtalim, & fecit eum ascendere ad pedes suos: id est, duxit secum, ut dux suos milites. Iudicum octauo, Date tortas panis populo qui est in pedibus meis: id est, qui me sequitur, mihi que seruit in militando. Eadem locutio est etiam i. Regum uigesimo, Exodi uigesimo. Quin & pecora dicuntur esse in pedibus alicuius: id est, pedes eius, eumque sequi. Deut. 20. Et deglutit uniuersam substantiam, quæ erat in pedibus eorum. id est, eorum armenta & greges. *Venire in pede alicuius*, eandem uim habet. 2. Samuelis decimoquinto: Viri qui uenerant in pede eius de Gath. secundo Samuelis undecimo, Egressus est rex Dauid, & uniuersa familia in pedibus eius: id est, secuta est eum, ministrans illi. *Vocare ad pedem suum*, est uocare ut se sequatur. Isaia 41. Qui uocauit ab oriente iusticiam, uocauit eum ad pedem suum. id est, Deus euocauit ab oriente Cyrum, ut se sequatur ad euertendam Chaldæam monarchiam, & nouam Persarum constituendam. *Leuis pedibus*, pro ueloce. 2. Sam. 2. *Aegrotus pedibus*, pro laborante ex pedibus. i. Reg. 15. *Captus pedibus*, pro claudo: 2. Sam. 4. perspicuæ phrasæ sunt, nec ulla prolixiore explicatione indigent. *Vestigium pedis*, aliquando significat minimam portiunculam soli: Deuteron. 2. Nō dabo Israelitis uestigiū plantæ pedis de monte Scheir. id est, quantum pede premere posset. Gressum eius apprehendit pes meus. id est, secutus sum uestigia aut uia eius, Job 23. *Incedere ad pedem alicuius*, est aliquando ac commodare se ad alterius progressum aut uires. Genesis 33. Ego uerò incedam ad pedem operis ipsius. id est, tu præceas festinanter, ut expeditus: ego lentè sequar, quatenus me parui liberi, greges & armenta, ac denique tota supellex sequi poterit. *Pedem bouis aut asini immittere*, est alere armenta & greges. Isaia trigesimo secundo: Beati, qui immittitis pedē bouis & asini. *Pede suo irrigare terram*. Deuteronomij undecimo habetur, quia ducens sulcum aut canalem in terra præit, & aqua uelociter eum sectatur per riuum, quem ipse præcedens cauat. *Infixi sunt in cæno pedes tui*, Hieremiæ trigesimo octauo: est hæere in aliqua difficultate aut calamitate, unde non facilè eluctari potes. Sic Latini dicunt, *Hæere in luto*, perspicuæ metaphoræ sunt. *Pes labens*, per similitudinem declarat alicuius periclitatē, aut etiam ruentem sortem ac conditionem. Prouerb. 25. Dens cō fractus, & pes labēs, fiducia peccatoris in die angustia. id est, facilè perit, irrita & inanis est omnis eius uis, ac omne id in quo confidere solet. *Pedes lauare in uino*, Genesis quadragesimo nono, est adeo abundare uino, ut uel pedes eo lauare queas. Sic & *tingere pedem in oleo*, Deuteronomij trigesimalotertio. *Lauare pedes in sanguine alicuius*, est prosperrima uictoria de eo potiri: sumpta locutione à præliis, ubi uictor necessariò ambulat in sanguine hostili passim per terram fuso, præsertim dum eum fugientem sectatur. Psalmo 58. Lætabitur iustus cum uiderit uindictam, pedes suos lauabit in sanguine impij. Sic etiam Psalmo octauo legitur: Rubescat pedes tuus sanguine inimicorum tuorum. Memorabilis historia huc pertinens accidit Augustæ Anno

M. D. XXX: ubi cum aliquot magnates unà cœnarēt, & horrenda nostræ religionis hominibus minitarentur, inter alios dixit Comes Fœ. ix à Vvartenberg, magnus bellator, & olim Maximiliani dux, se uelle adhuc ante mortem usque ad calcaria in sanguine Lutherano equitare. Qui eadem nocte diuinitus percussus, proprio sanguine suffocatus est: sicque ante mortem usque ad guttur ac fauces in proprio sanguine equitauit. *Leuare pedes*, aliquando est pedibus iter suscipere. Genesis uigesimonono. & Psalmo 78, Leua pedes aut uestigia tua ad desolationes in seculum. id est, ad puniendos hostes tuos. sicut & Psalmo 68 inquit: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. *Loqui pedibus*, pro gestu pedum aliquid significare. Prouerb. 6, Impius annuit oculis suis, loquitur pedibus, docet digitis. id est, non propalām & apertè loquitur quid uelit, sed tectè subindicat suis complicibus. *Percutere pede*, lætantium ac insultantium gestus est sicut & *Plaudere manibus*. Ezechielis uigesimoquinto: Eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gauisus es in omni contemptu tuo ex animo super terram Israelis. *Ponere pedes alicuius* sicut ceruorum, 2. Samuelis 22 pro, efficere ualde uelocem. Eadem locutio est Habacuc 3. *Prohibere pedem* ne sit discalceatus, & guttur à siti: Hieremiæ secundo. *Tardant pedes quadrigarum*: id est, equorum trahentiū quadrigas, Iudicum quinto. *Tegere pedes*, est exonerare uertrem: quia in illa flexione crurum & fœmorum, uestis quæ antea uix genua attingebat, terram usque pertingit. Iudicum 3. 1. Sam. 24. *Corruere ad pedes alicuius*, est eum supplicare, 1. Samuelis 25. Marci 5 & 7. Latini dicunt *Procumbere ad genua alicuius*. Non deficiet Legislator de Iuda de inter pedibus: Genesis quadragesimo nono. id est, semper nascetur Iudæ gubernator ex ipsius stirpe, donec ueniat Meschias: quia sic matribus nascuntur liberi de medio pedum aut coxarum. *Pedes claudo eram*, Job uigesimonono. id est, errantium eram dux, & omnibus modis miseros promouebam ac iuuabam. Sic ait, *Oculus eram caeco*. Barac missus est in uallem pedibus suis: Iudicum quinto. id est, properè cucurrit cū eo ad pugnam. *Sedere ad pedes alicuius*, est discere. Sic Maria sedebat ad pedes Domini, Lucæ decimo. & Paulus dicit se esse educatum ac edoctum: in lege ad pedes Gamalielis pharisæi Hierosolymæ: Actorum uigesimo secundo. *Pilos pedum radere*, est etiam infimæ sortis homines castigare. Isaia septimo: Radet Dominus nouacula conducticia caput, & pilos pedum. id est, summos ac infimos Israelitas per hostes puniet, & ex regione suoque loco amouebit. *Pedibus alicuius aliquid subijcere*, est ipsi subijcere, seu in eius potestatem redigere. Psalmo 8, & Hebræis secundo: Omnia subiecisti sub pedibus eius. Cadent subtus pedes meos, Psalmo decimo octauo. Dominus conteret Satanam sub pedibus uestris: Romanorum decimosexto: Threnorum tertio. Sic ponere aliquos scabellum pedum alicuius: Psalmo 110. Donec ponā inimicos tuos scabellū pedum tuorū. Quod dictum Lucæ uigesimo, & aliquoties in nouo Testamēto repetitur Eadem uis est dicti Psalmo 91, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Item Christi Lucæ decimo: Ecce dō uobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem potestatem inimici. *Puluerem pedum alicuius tingere*, est extrēmè adorare. Isaia 49, id dicitur de summa ueneratione gentilium erga Ecclesiā Dei. Sic & Isaia 60 legitur, Locum pedum meorum glorificabunt. Et mox, Adorabunt uestigia pedum tuorum. Et Psalmo 99, Adorabunt scabellum pedum eius. *Colligere pedes suos super lectum*, est gestus frigentium: qua phrasi utitur Scriptura de Iacobo morituro, Genesis 49. Aliqui putant hoc idem esse ac si diceres, sana adhuc mente & præuidens exitum, suo arbitrio membra ad mortē ueluti

luti ad somnum composuit. *Pes pauperum conculcabit aliquem*, extremam subiectionem ac calamitatem & humiliationem indicat. *Isaiæ vigesimo sexto: Conculcabit eam ciuitatem pes, pedes afflictorū & gressus tenuiū. Dominus lauat pedes Apostolorum*, Iohannis decimotertio: quod multiplex mysterium in se continet. Primum indicat Dominum uenisse non ut nos ei ministremus, sed ut ipse nobis: idque in omnium fœdissimo & difficilissimo ministerio, nempe in extergendis nostris spiritualibus sordibus. Secundò ostendit, neminem esse tam mundum, & ab omnibus peccatis alienum, quin si Dominus uelit intrare in iudicium cum eo, & iniquitates eius obseruare, ut loquitur Scriptura, planè actum sit de eo. Tertio, exemplo suo docet, quòd nos quoque perinde proximo nostro etiam in infimis officijs seruire debeamus, sicut & ipse nobis omnibus seruiuit. Postremò, quia omnes in quotidianis actionibus uitæ que ista communi in nos inuicem necessariò impingimus, nobis inuicem istas quasi quotidianas sordes ac offensiones benigna cõdonatione abluere ac abstergere debeamus. *Recto pede incedere ad ueritatem Euangelij*, est recta doctrina & exemplo uitæ euangelicam agere, & ueritatem promouere: quod Petrus non faciebat, Galatis 2. Contrà, *Claudicare in utrumq; latus aut pedem*, ut Helias Israelitis obiicit, est, tum uerum tum falsum Deum ac religionem simul colere uelle. Qui utroque pede sanus est, firmiter ac rectè incedit: qui contrà utroque pede est claudus ille capite & toto corpore iam in dextrum iam in sinistrum latus nutat. Hinc metaphoræ prædictæ sumuntur. Si cum peditibus cucurristi, & defatigatus es: Hieremiæ duodecimo, perspicuus sermo & ratiocinatio est.

PESTIS, per metaphoram, in omnibus fermè linguæ rem quamuis ualde noxiam significat. Sic Messias minatur morti & inferno Hof. 13. *Ero pestis tua o mors, & exitium tuum o inferne*. Sic & Psalmo 91, *Ipse Deus liberabit te de laqueo uenatoris, & a peste noxia*. Et mox: *A peste in tenebris ambulante, & ab exitio meridiano liberabit te Deus*, pro, a quauis noxia calamitate. Sic & Actorum 24 dicunt sacerdotes & pontifices, accusantes Paulum: *Comprehendimus hunc hominè pestem, & mouentem seditionem, id est, noxium, perniciosum*.

PETRO, Saal פֶּטְרוֹ, aliquando idem ualet quod quæro aut interrogo, præsertim cū post se habet casum per sonæ: aliquando idem quod peto aut postulo, cum accusatiuum rei regit: sicut & Latinū *Rogo*, ac Græcū *αἰτέω*, utrumq; interdū notat. Inde igitur aliquæ dubiæ locutiones proficiscuntur, præsertim in ueteri Testamento, quæ tamen ex contextu facilè diiudicari queunt.

PETRAE significatio aliquo modo cõuenit cum lapidis notionibus, de quib. cū suprâ plurima dicta sint, rectè hæc cū illis ad utriusq; uocis noticiã cõiunxeris. Primum aut Petra, sua propria significatione, materialem petram, id est, grandem aliquã rupem & uiuū saxū indicat, quæ multæ in Sacris literis commemorantur: quin & nomè cuiusdã ciuitatis fuit, proculdubio quia in aliqua rupe extructa fuit. Sic etiam Petra deserti. Deinde, per metaphoram significat locum firmum ac stabilem significatione opposita luto, cœno, aquæ aut sabulo. Psalmo quadragesimo: *Statuit supra petrà pedes meos*. Vnde porrò etiam conditionem tutã ac firmam. Tertio, significat locū munitū ac tutū, ut sunt munitissimæ arces: quia petrae in illis locis reperiuntur inexpugnabiles, ob altitudinè, soliditatè, præcipitia ac difficilem aditū: cuiusmodi etiã in Alpibus reperiuntur, qualis ea est quæ est ultra Tridentū uersus Basanū, quæ angustias & claustra illorū montium seruat & quæ suprâ Veronã in Athesi uidetur: quales plures etiã Alexandri Magni historia describit. Psal. 27 & 61, *In pe-*

tra exaltauit me. Ierem. 48, *Relinquitte ciuitates, & habitate in petra, id est, in loco munitissimo*. Hierem. 51, *Deuoluam te de petris, id est, ex munitissimis locis*. Psal. 61, *Ad petram, quæ celsior est me, deduc me, id est, adiuua, ut expugnè locū mihi meisq; uiribus inaccessible & inexpugnabilem*. Quarto, hinc fit, ut ualde crebrò Deus dicatur petra nostra: sicut dicitur, *arx, robur, auxiliū*. 2. Sam. 22, Psal. 19 *Dominus petra mea, & arx mea*. Psal. 31. 62, *Petra mea & munitio mea es*. & Psal. 42, *Dicam petrae meæ, quare oblitus es mei?* Psal. 31, *Esto mihi ut petra fortitudinis*. Causa huius significationis est, quia Deus est omnibus sperantibus in se turris fortissima, & certissimum ac inuictissimum auxiliū. Valde crebra est hæc metaphora. Paulus 1. Corinthiorum decimo dicit Christum fuisse petra perpetuò Israelitas comitantem ex qua illi biberint. Alludit nimirum ad illud miraculum uisibile Dei, quòd sicut ibi Deus ex aridissima petra, in summa difficultate fitis, eis aquas produxit: ita Christus spiritualis petra eos perpetuò sit secutus, ubiq; ac in omnibus difficultatibus omnia necessaria & innumera ingentiaque beneficia eis suppeditauerit. Sic & Matthæi decimosexto Christus se suamque doctrinam ac religionem uocat petram, super quam Ecclesia sit ita solidè ædificata, ut portæ inferorum contra eam non sint præualiturae. Sic & Paulus tum ipsum Christum uocat fundamentū sicut Dauid lapidem angularem: tum eius doctrinam, cum ait: *Nos superstructos esse super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*. Atq; hac ratione nò tantum Petrus, sed & omnes ueri ac constantes doctores aliquo modo petrae dici possunt, præsertim uerò Sacrarum literarum scriptores. Præclarū fanè est dictū Bedæ de hac re, & dignū quod hic adscribatur. Is enim in prima ad Corinthios primo: *Ego dico tibi, tu es Petrus, &c. Quia enim Christus petra: Petrus, populus Christianus*. Petra enim principale nomen est, ideo Petrus à petra, non petra à Petro: quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus uocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus: & super hanc petram, quam confessus es: super hanc petram, quam cognouisti dicens, Tu es Christus filius Dei uiui: ædificabo Ecclesiam meã, id est, super me ipsum filium Dei, ædificabo Ecclesiam meam: super me ædificabo te, non me super te. Nam uolentes homines ædificari super homines, dicebant: Ego sum quidè Pauli, ego autem Apollos, ego uerò Cephe, ipse est Petrus. Alij uerò qui nolent ædificari super Petrum, sed super petram, dicebant: Ego autem sum Christi. Apostolus autem Paulus, ubi cognouit se eligi, & Christum contemni: *Diuisus est, inquit, Christus? Num quid Paulus pro uobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Quomodo nò in Pauli, sic nec in Petri, sed in nomine Christi, ut Petrus ædificetur super petram, non petra super Petrum*. Hæc eadem & Augustinus de uerbis Domini in Matthæū, sermone 13. *Deiciantur in locis petrae iudices eorum: Psalmo 141. id est, præcipitentur de rupibus, sicut Romani Manlium aut alios facinorosos de rupe Tarpeia præcipitabant*. *Sugere mel de petra*, Deutero. 32, & Psal. 81, *Melle de petra saturassem te, id est, maximis commodis, citra omnem tuum laborem te ditassem*. Solent enim illis locis, quin & in mea quoque patria ac alibi sæpe apes mellificare, non tantum in arboribus cauis in sylua, sed etiam in cauernulis petrarum. Ingredere in petram, & absconde te, Isaiæ 2. *Describitur periculum & metus hominum, nam talibus temporibus solent se in talia latibula aut loca munita abdere: ut crebro in laudicium libro & alibi legitur*.

PHARAO, non fuit nomen unius tantum regis proprium, sed dignitatis quasi perpetuum. Fortè autè dictum fuit primum à nomine proprio: sicut & Romani Imper-

Imperatores uocati sunt Cæsares & Augusti, & Persarum Artacides. Quare is rex qui exaltauit Iosephū, uocatus est Pharaos, & is qui postea afflixit Israelitas. Venit autem hoc nomen, si Hebræum est, ab ultione. Exo. 7. Constitui te Pharaonis Deum, Onkelos Chaldæus uertit, iudicē, magistrū. Quod porro rex Ægypti aliquando per Draconem & Leuiatan significetur, supra in illis uocibus dictum est.

PHARETRA, instrumentum in quo reconduntur sagittæ, seu theca sagittarum. Hierem. 5. cap. describitur exercitus Chaldæorum: ac inter alia dicitur, Pharetra eius sepulchrum patens. Indicatur autem, quod sicut sepulchrū deuorat homines, ita illorum pharetra propter mortiferis sagittis eosdem absumat. Pharetra uidetur poni pro domo, Psalmo 127. Beatus uir, qui impleuit pharetram suam de ipsis. id est, filijs in iuuentute eius genitis, quos sicut sagittis robustorum comparauerat, ita nūc domum eos capientem pharetram uocat. ut in similitudine persistat. Super equum sonat pharetra, Iob 39. id est, sagittæ equitum currentiū concussæ in pharetra edunt strepitum. Filij pharetræ uocantur sagittæ. Intrare fecit in renes meos filios pharetræ suæ. Hierem. 3.

PHIALAs calamitatum ac pœnarū effundunt angeli in terram, in Apocalypsi: ubi phialæ significat media ac instrumenta pœnarum.

PHILAVTIA, uitium etiā apud Ethnicos reprehensum, 2. Timoth. 3. notatur: est. cum quis nimium sibi met placet, tantum quæ sua sunt querit, alios præ se contemnit, superbus est. Et (ut Isaias eū suo colore depingit) qui sibi met sapiēs uidetur in oculis suis. Plato ponūciat, esse omniū uitiorum ac malorum fontem.

PHILOSOPHIA reprehenditur à Paulo Colof. 2, tanquam quæ abducat imperitios ac pusillos Christi à ueritate Euangelij: quod sanè non propriè ac per se uerè Philosophiæ uitio fit, sed uel falsè uel eorū qui eam intra suas metas non cohibent culpa. Nec tamen hic tantum falsa Philosophia reprehenditur, sed etiam ista uera, quam nunc potissimum ex Aristotele habemus.

Quomodo uerò noxia esse soleat, prolixè declarauit in Libello de Metis & materijs scientiarum. Experimentum uerò huius ineffabilis damni habetur in Patribus præsertim Græcis, Clemente, Origene, Chrysofomo, & alijs: omnium maximè uerò in Scholasticis Sophistis. Nempe nulla pars Philosophiæ uidetur diuini ac utilior, quàm Ethica quæ de uirib. humanis, de formando homine ad uirtutes, seu de informandis in animo hominis habitibus uirtutis, & abolendis uitii ac prauis affectibus. de quæ uera felicitate comparanda, ac de fine hominis differit: quæ tamen si in Theologia admittatur, funditus ueram pietatem euertit: Nam tum innatam hominis malitiam aut morbum seu Originale peccatum obscurat, hominis uires mirificè admiras & amplificans: tum legis ac uirtutis possibilitatem celebrat, obscurans eius seueritatem, ne possit peccata & iram Dei damnationemq; reuelare: tum denique Euangelium ac meritum Christi abolet, dum uirtuti iusticiæque humanæ ueram hominis felicitatem adscribit.

Quare cohibeatur intra suas metas: nempe ut tantum de externa disciplina & uirtute ac iusticia coram hominibus, non coram Deo, & qualicūq; huius uitæ beatitudine differat, ad quos usus eam propriè Aristoteles direxit, & deniq; ante omnia subijciatur regaturq; superiori norma uerbi Dei & S. sancti. Sit igitur omnib. ea utētib. in corde & ore illud præclarissimū dictum Lutheri, p. m. Qui uult sapiens fieri in Aristotele, stultificetur prius in Christo, ut nempe catechismus regat philosophiam, non regatur ab ea. uide Augustinum lib. 8 de ciuitate Dei. Quod porro dicit ibi Paulus de Philosophia, id paulò prius uocauerat persuasibiles sermo-

nes. ualde enim sunt plausibiles rationi humanæ istæ cogitationes, quæ sicut præclare Paulus ait, per suas stultas ratiocinationes tandè prorsus euanescent, impingens in extremos errores ac furoros.

PHYLACTERIA Græcè, Latinè posses dicere cōseruatoria: Matth. 23. Fuerūt apud Iudæos membranulæ quædam, in quibus scribebant quatuor dicta Scripturæ, quasq; alligabant ad frontem & brachium sinistrum, ut ostentarent studiū seruandæ legis Dei. Eas igitur ampliabant & dilatabant, ut tantò magis cernerentur: cum Deus tantum eo fine illa ordinasset, ut essent memorialia mandatorum ipsis. Hanc superstitionem, aut potius ostentationem Iudæorum Christus prædicto loco taxat. uide Paulum Fagium super Exodum cap. 13, prolixè de hac superstitione Iudæorū disserentem. Manauerat quoque olim hæc superstitio ad Christianos. Quare etiam in quadā Antiochenæ Synodi Canone phylacteria notantur. Ex hac superstitione credo esse, quod nunc quoque in Papatu aliqui initium Euangelij Ioannis in membranula descriptū, de collo appensum gestant, nihil non sibi boni inde pollicentes.

PIETAS, Græcè *δὸς βία*, rectus cultus, recta tractatio, diligens & sedulum officium erga Deum, parētes, patriam, religionē, ac leges, & alios præclarissimos & optimè meritos uiros. In Sacris literis, & Theologia, potissimum eam uirtutē notat, quæ Deū ac ueram religionē rectè colimus. 1. Tim. 4. Corporalis exercitatio paululum utilitatis habet: at pietas ad omnia utilis est. Exerce igitur te ipsum ad pietatem. Sic Act. 3, Tanquā si propria ui ac pietate hoc miraculū fecerimus. 2. Tim. 3. Habentes speciem pietatis, uim uerò eius abnegantes. Aliquando porro in abstracto ipsam fidem aut religionem Christianam Scriptura pietatem uocat. 1. Timoth. 3, Magnum est pietatis mysteriū, &c. Et mox 6. Si quis diuersam doctrinam docet, neque accedit Sacris sermonib. Domini nostri IESU Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, &c. Petrus secundæ primo, iubet præstare in pietate dilectionem proximi. Omnino secunda Tabula (id est, beneficentia erga proximum) primam sequi debet. Tit. primo, Agnitionem ueritatis quæ secundum pietatem est. Aliquando etiā externa pietatis officia significat. 2. Petr. 3, In sanctis conuersationibus & pietatibus. Sic & 1. Tim. 2, In omni pietate & honestate: id est, in omnibus pijs factis. Ponitur deniq; uerbum *δὸς βία*, de communium rerū pia honestaq; tractatione, non immediatè Deum cultūq; eius respiciente. 1. Tim. 5, Discant primū propriā domum rectè administrare, aut piè colere. Tit. 1, minister Christi iubetur esse iustus & pius: ubi pietas officia primæ Tabulæ, iusticia secundæ complectitur.

PIGNORIS fit aliquoties mētio Exodi 22, Deut. 24, & Ezech. 18, cū prohibet Deus, ne à debitore fratre accipiamus in pignus rem illi maximè gratam, multoque minus extremè necessariā: ut sunt, mola, lectisternia, uestes quibus utitur, ac similia: aut si exceperimus, ut mox restituamus. Vocem Arrhabonis, uertit Vulgata aliquoties pignus: ut 2. Cor. 1. & 5. Ac Eph. 1. quia Spiritus sanctus nos certos facit, nobisq; pignoris loco est, quod uitam æternam certò firmus accepturi. Alioquin uox Arrha, aut arrabo, magis propria est. Significat enim partem, ac ueluti initium precij in uenditione pacti, quæ nos certos facit de secutura perfolutione reliquæ summæ. id enim ni fiat, emptor illam arrham, aut (ut ita dicam) initialem pecuniam amittit. Quare Spiritus sanctus & coniuncta renouatio nostri rectè arrha uitæ æternæ dicitur. nam & initium eius est, & certos nos de ea facit.

PILVS, Vir dominus pili, 2. Reg. decimo: pro, pilosus uir: qualis fuisse Helias describitur: sicut & Esau.

Pallium pili, Zachariæ decimo tertio, pro pallio piloso, aut uilloso: Non induetur ultra pallio pili. Quid porro sit Radere pilos pedum & capitis nouacula conducticia, Isaiæ septimo, supra in uoce *P B S* declarauimus. Pilos Seirim, ad uerbum uertit Vulgata, pro satyris: quæ forma fortè olim Ethnicis dæmones apparuerunt in solitudinibus. Iohannes dicitur fuisse indutus pilis camelii. id est, ueste inde confecta. Matth. 3.

PINGUIS, per metaphoram significat diuitem ac potentem: sicut contrà tenuis ac macies, pauperem ac debilem: translata uoce à brutis, quorum potentia ac opulentia in eorum pinguedine consistit. Iud. 3. Percussit Ehad. 10000 uirorum de Moab, qui omnes fuerunt uiri pingues & bellicosi: ubi per pingues alij robustos & corpulentos, alij autem prædiuites intelligunt. Isaiæ decimo, Propterea mittet Dominus exercituum in pingues eius maciem: id est, debilitatem, afflictionem ac plagam. Sic de Israel scribitur aut prædicatur Deuteronom. trigesimo secundo, quod sit innumeris Dei beneficijs impinguatus, incrassatus ac dilatatus: ideo-
 20 que recalcitrauerit. Quo loco fit allusio ad iumeta, quæ saginata minus obediunt domino, minusque tractabilia sunt. Psalm. 22, Et adorauerunt omnes pingues terræ. id est, satrapæ, principes, ac reges. Sic ibidem Psalm. 37 queritur de præpinguibus tauris. Sic Psalm. 37 dicitur aliquorum oculi præ pinguedine egressi. id est, sicut pinguis aliquando turgent oculi, ut excisuri uideantur: ita superbi ac potentia sua inflati miseris respicere nequeunt.

PINGUEDO aliquando fertilitatem terræ, aut rerum aliarum copiam, simul & bonitatem significat. Genesis 49, Pinguis panis Asser, delicias regibus præbebit. id est, tribus Asser abundabit copia optimi frumenti & reliquæ annonæ, ita ut etiam reges sint inde uicti delicatorem peturi. Sic Deuteronom. trigesimo secundo dicit Deus, se saturasse Israelem adipe pinguisissimi tritici, & sanguine uinæ: id est, amplissima copia optimi frumenti & uini ditasse, unde ille factus sit insolentior & contumacior contra Deum. *Pinguedo terræ*, est fertilitas aut ubertas terræ. Gen. 27, De rore cœli & pinguedinibus terræ det tibi Dominus. id est, ut textus semet exponit, abundantiam frumenti & uini, quæ ex pinguedine terræ ubertim proueniunt. Sic Gen. 45, Pinguedinē terræ comedetis. id est, fertilissimis & amœnissimis locis Ægypti pro libitu fruimini. *Pinguedo domus Dei*: pro, amplissima Dei beneficia. Psalm. 36 Inebriantur pinguedine domus tuæ: pro, multiplicium bonorum ac beneficiorum Dei copia replebantur. Sic Psalm. sexagesimo tertio: sicut adipe & pinguedine saturatur anima mea. Psalm. sexagesimo quinto, Vestigia tua stillant pinguedinem: id est, nubes in quibus Deus ambulare aut equitare dicitur, sua pluuia faciunt terram fecundam bonorum fructuū. *Pinguedo*, pro pinguis & lautis escis. Iob trigesimo sexto: Requies melle tuæ plena esset pinguedine. id est, delicatis cibis. *Pinguedo alicuius rei*, est optima eius pars. Psalm. 81. Saturabit eum pinguedine tritici, & de petra melle. id est, pinguisimo aut optimo tritico, alijsque bonis. Gen. 41, Corruunt ob ieiunium, & caro deficit, ut non adsit pinguedo. id est, omnis bonus succus ex me euanescit. Adhuc fructificabunt in senectute, pingues & uirides erunt. Psalm. 92, pro succulenti, uiuidi, & uigentes erunt: quod ibi iussu, mittitur. Intelligitur autem, florituros eos spiritualibus & temporalibus bonis. *Immolare pinguis*, i. Reg. 1. id est, saginata. Desolatis pinguium medullatorum aduenæ fruuntur, Isaiæ quinto. id est, diuitum Iudæorum, & iam naufragi ad spiritualium bonorum copiam, successores erunt in illis gentilibus uocati. Conuiuabuntur enim Orientales & Occidentales cum Abraham, exclusis incredulis Iudæis. Re-

cordetur Dominus omnium hostiarum tuarum, & holocaustum tuum impinguet. Psalm. 20. Alij uertunt, *Incineret*: quia uocabulum *שרף* Deschen, utrumque significat. Sensus uerò idem est. nam pinguiora sacrificia gratiora esse præsumuntur: & quæ sacrificia olim Deo placebant, solebat interdum cœlitus immisso igne accendere. Quare impinguet aut incineret Deus holocaustum tuum, significat, acceptum habeat.

PISCATORVM uoce uariè utitur Scriptura, & potissimum per metaphoram. Isaiæ 19, Et lugebunt piscatores. id est, Ægyptus, uastato flumine. ubi tota Ægyptus denotat. Hierem. 16. Ego mittam ad piscatores multos, qui piscabuntur eos. Significat Chaldæos hostes Israelitarum, qui sint eos sedulo conquisturi ad exitium, ueluti piscatores pisces, aut uenatores feras. Cæterum Christo piscatores sunt aliquando doctores, qui consimili diligentia uerbi diuini retibus captant homines, ut eos Christo ac patri cœlesti offerant.

PISCINA, idem quod quouis lacus, siue insint pisces, siue non. De piscina pecuaria supra dictum est, in uocabulo *PECVS* & *PECVARIVS*. Niniue tanquam piscina aquæ à diebus. Nahum 2. id est, diues, opulenta iam inde à multis temporibus.

PISCES, in Euangelio sunt Christo, omnes homines, quos capit & congregat Deus per uocationem uerbi: quorum alij sunt boni, alij mali. Ezech. 29, Deus minando calamitatem Ægyptijs, eorum regem uocat draconem, & eius subditos pisces: quos affirmat se agglutinaturum squamis eius, & unâ cum ipso rege ex Nilo in solitudine extracturum. id est, per Chaldæos in captiuitatem abducturum. Solent uerò in illis locis aquatici dracones esse.

PIVS, exponetur in uoce **SANCTVS**.

PIX: picem uolunt aliqui notare pœnas infernales. Isaiæ trigesimo quarto. Conuertentur flumina eius in picem, & terra eius in sulphur. Sed uidetur alioqui esse amplificatio quædam uenturarum pœnarum. Chaldæus uertit, Flumina Romæ.

PLACEO. *Placere coram aliquo*, uel *In oculis alicuius*, superius exposui. 1. Regum 21. Dabo tibi aliam uineam meliorem pro ea, si placuerit in oculis tuis. Sint ad placitum eloquia oris mei: Psalm. 19. pro, sint Deo accepta. Munus non placebit de manu uestra, Malach. 1. pro, non suscipiam, non erit mihi gratum, non reconciliabor uobis uestro munere aut sacrificio. Illa celebria huius uerbi exempla, Ego per omnia omnibus placeo, &c. Si hominibus placerem, &c. Christus non sibimet placuit, & similia, exposui in tropo Synecdoches aut Metonymiæ. Significant enim conatum aut studium placendi, non ipsum euentum aut opus. *Placere* in tertia persona, & *placitum*, Latinis non raro decretum, constitutionem, aut legem aliquam significat: quod principes ea decernant sanciantque, quæ ipsis in suis consultationibus placuerunt, probataque sunt. Talem significationem huius dictionis aliqui etiam in Sacris literis reperiri putant: ut Nehem. 2, Placuitque coram rege, & dimisit me, &c. Isaiæ quinquagesimo sexto, Qui custodierint sabbatha mea, & elegerint quæ mihi placeant, atque apprehenderit fœdus meum. Eadem locutio & Isaiæ 61 reperitur: ubi, *Quæ placeant*, uolunt esse id quod, decreta, aut mandata. Verum multo significantius fuerit, si exponas *Quæ placeant*. id est, quibus ego delector. Sic *Tempus placitum*, aliqui pro constituto exponunt. Verum tempus placitum aut acceptum, cum de Deo dicitur, multo significantius est, si intelligas de eo quod Deus crebro nos magna misericordia, uerbo, spiritu ac fauore suo inuisit, uocans nos ad pœnitentiã, clamans & quærens perditas oues, ac uolens nos congregare, sicut gallina pullos congregat. Hoc igitur est tem-

pus beneplaciti, aut fauoris Dei: quod cum negligimus, sequitur tempus iræ ac pœnarum. Verum de uerbo *Placendi* dictum est aliquid in uoce FAVORIS ac BENEPLACITI: & dicitur fortè quid postea in VOLUNTATE. Quicumque uolunt placere in carne, cogunt uos circumcidere, tantum ne cruce Christi premantur. Gal. 6 uertit Vulgata. Sed in Græco est *ἀποστομίζω*, id est, pulchra specie appareo, aut formosus uideor. Sensus autem est: Quicumque uolunt ista externa aut ceremoniaria iusticia uel pietate hominibus probari, &c.

PLAGA, uocatur in Scriptura quæcunque calamitas, propterea quod non temerè aut fortuito accidunt calamitates hominibus, sed Deo iudice ac castigatore nobis eas infligente. Hinc oriuntur aliquot locutiones, quæ nonnihil explicatione indigent. *Plaga* alicuius dicitur multipliciter. ut, *Plaga affligentis*: sic dicitur *plaga* Dei. *plaga afflicti*, ut hominum. *Plaga ipsius speciei mali*: sic *plaga* lepræ, famis, belli, pestis, & similibus dicitur. Sic & in Euangelio morbus Hæmorrhoidis uocatur *mastrix*, *plaga* aut flagellum: & Marci tertio: Ut eum attingerent quicumque hebebant plagas aut flagella. *Iuxta plagam* Madian. *Isaiæ* decimo, Excitabit super eum flagellum iuxta plagam Madian. pro, Sic affliget eos, ut olim Madianitas. *Plagam cohiberi*, aut *reprimi ab aliquo*: 2. Samuelis uigesimo quarto: Cohibeatur *plaga* à populo. id est, cesset pestis, reprimente Deo angelum percutientem. Ex quo loco ac dicto clarè patet, quare tales calamitates *plagæ* uocentur, & uicissim quo modo tollantur aut cohibeantur. Sic Numer. 15. Repressa est *plaga* à populo. *Inuenire plagam*: Pro uerbis rum 6. Adulter reperiet plagam & ignominiam. id est, cædetur, calamitate aliqua graui afficietur, & fiet ignominiosus. *Plaga hostilis*, id est, sicut hostis, non sicut benignus aut amicus pater percutere solet. Hieremiæ trigésimo, *Plaga* hostili percussisti te, & castigatione crudeli: propter magnitudinem iniquitatis tuæ. *Mori plagas*: id est, ob plagas & pœnas Dei. Numer. 14. *Plaga plena doloris*, aut crudelis, uel desperata, sæpe legitur: Nahum 3, Hieremiæ 10, 14, 15, 19, & alijs. *Sibilare super plagas* alicuius, est mirari, aut etiam insultare alicuius calamitatibus. Hieremiæ 49. Et erit Edom in desolationem, ut omnis qui per eam transierit, obstupescat, & sibilet super omnes plagas eius. *Plaga*, uulnus, liuor. *Isaiæ* primo, significat per metaphoram calamitates regionis: quando quidem totus Iudaicus populus unum corpus hominis fingitur.

PLANGERE, est lamentari aliquem. tristem suum suorum uel casum, cum aliquo externo doloris ac impatientiæ signo: ut est pectoris percussio, capillorum lacratio, & similia. cuius quædam locutiones attingemus. Sæpe per *planctum* significatur id quod antecedit aut efficit *planctum*: nempe aliqua ingens calamitas. Sic Deus iubet prophetam Ezechielem assumere lamentationem super Tyrum, dicitque & alios *plancturos* super eam *planctum* amarum: nempe ut indicet ingentem calamitatem Tyri, quæ merito multis luctum & lamentationem excitare queat. Sic iubet Deus eundem sumere *planctum* super principes Israel. Cap. 19. & super regem Sehor. Cap. 28. Sic eodem 19. cap. dicitur de illa prophetia: *Planctus* est, & erit in *planctu*. id est: prædicat calamitatem luctuosam, & talem quoque exitum habebit. Eadem figura sermonis est & Micheæ primo. *Planctus unigeniti*, ponitur pro eo luctu, qui fit de morte unigeniti. Zachariæ duodecimo: *Plangent* que super eo iuxta *planctum* unigeniti, & amari erunt super eum, sicut cum quis est amarus super primogenitum. Sic & Matthæi 24., impiorum ineffabilis calamitas per *planctum* exponitur: Tunc apparebit signum filij hominis in

cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & uidebunt filium hominis uenientem in nubibus, ubi per *planctum* ingens cruciatus & terror impiorum designatur. Sic per *planctum* Ioel primo: primum ingens calamitas, deinde pœnitentia denotatur. Aliquando absentia *planctus* significat ignominiosam sepulturam: quod prædicat Hieremias capite 22 de rege Ioiakim, quem dicit sepeliendum esse sepultura asini, sine publico ac priuato luctu. Contrà, per præsentiam *planctus* describitur Zedechiæ mors paulò gloriosior, Hier. 34. cap. Hier. 16, absentia *planctus* significat promiscuum & numerosum interitum hominum, ubi non amplius uacat singulorum mortem plangere, & ubi iam homines ueluti obstupescunt ob magnitudinem calamitatum. *Planctum* uertere in chorum, est tristitia tempora aut statum fortèque uel res alicuius commutare in secundas & prosperas, indicando semper causam per effectum. Psalm. 30. Soluisti *planctum* meum in chorum, soluisti sacco meum, & accinxisti me læticia. *Planctus* cum ieiunio coniungi solebat tum apud Israelitas, tum & apud Ethnicos: ut in Homero de Priami luctu ac ieiunio legitur. Sicut & Christus ieiunium uocat luctum, cum negat nuptiales posse lugere præsentem sponso. Quare uoces *Planctus* & ieiunium, interdum coniunguntur: quod & Zach. 7 fit. De forma luctus aut *planctus*, adiunctis que ritibus, dicitur aliquid in capite de Ieiunio, in Vniuersalibus Regulis.

PLANTARE, per metaphoram, sicut & *Ædificare*, significat aliquid quoquo modo prouehere & promouere, siue sint homines siue res, siue in spiritualibus, siue in externis. Psalm. 44. Tu Domine manu tua gentes deleuisti & plantasti: id est, Israelitas in Iudæa loco deletorum gentilium. Idem habetur Psalm. 80, & Hier. 24. *Ædificabo* eos, neque destruam: plantabo eos, neque euellam. Sæpe alioqui plantari Israelitas, significat eos augeri numero, & omnia alia felicitate. Sunt igitur contrariæ uoces, plantare & euellere: non tantum in propria, sed in metaphorica significatione. Ierem. 11. Iehoua, qui plantat te, locutus est supra te malum. Sic Paulus quoque inquit 1. Corinth. 3. Ego plantaui, Apollo rigauit, Dominus incrementum dedit: id est, Ego primum docui & institui Corinthios, Apollo porro eos etiam diligentius erudiuit ac confirmauit, sed internam conuersionem & profectum solus Deus dedit. *Isaiæ* 61, Vocare eos arbores iusticiæ & plantationes Domini ad glorificandum. De hac spirituali plantatione etiam Psalm. 92 loquitur: Plantati in domo Iehouæ, in atrijs Dei nostri flore bunt. Plantatos in domo Domini eos dicit, qui uera fide sunt insiti, radicesque egerunt in Ecclesia, & uia Christi membra sunt. *Isaias* cap. 51 ait, doctores plantare cælos. id est, per suam doctrinam transferre homines ex regno sathanæ in regnum Dei. *Plantare super aquas*, significat in loco idoneo, & necessario humore non destituto, plantare. Per metaphoram autem significat, ita aliquid prouehere ac promouere, ut feliciter permaneat ac proficiat, non mox ueluti suo humore destitutum exarescat. Ezechiel. 17 & 19, Psalm. 1. *Plantare ac euellere*, Hieremiæ primo significat tantum doctrinam aut denunciationem, quod Dominus uelit plantare, ædificare, destruere, & euellere. inquit enim Deus ad prophetam: Ecce constitui te hodie super regna & gentes, ut euellas & extirpes, perdas & subuertas, ædifices & plantes. id est, prophetizes & denunciés alia quidem regna esse destruenda ac perdenda, alia uero contrà promouenda ac exædificanda. *Plantare*, pro formare, Psalm. 39. Qui plantauit aures, non audiet: id est, qui dedit homini & alijs animalibus aures & uim audiendi, ille certè multo magis uiuit & audit: quia causa est semper præstantior suo effectu. *Plantatio* etiam dogmaturum religionis significat. Matth. 15. Omnis plantatio

tatio quam non plantauit pater meus, euelletur. quod Christus dicit de praua Phariseorum opinione, qui putabat hominem externis cibis uere ac spiritualiter immundum aut iniustum fieri, cum ea immundities aut iniusticia oriatur proprie ex corde nostro. Aliqui exponunt de ipsis Phariseis ac Iudæis, qui erant non plantæ aut filij Dei, sed genimina uiperarum: eoq; ex domo Domini excindendi, quia filij seruæ non manent perpetuo in domo. Liberi feliciter educati ac crescentes comparantur lætis plantis. Psal. 128. 144. Quæ similitudo est perspicua.

PLATEA, aliàs ciuitatem ac frequentiam hominū indicat. Iob 18. Memoria illius peribit, neq; erit nomen illi in platea. id est, inter alios ciues non reperientur eius liberi, aut quisquam qui eum celebret ac collaudet. Eadem significatio est Psal. 55. Non deficit de plateis eius usura. Aliàs significat fora, uel potius res uenales, & uectigalia inde exacta. 1. Regum 20 inquit Benadad rex Syriæ ad Achabum: Ciuitates, quas tuo patri meus pater abstulit, restituum, & plateas pones tibi in Damasco, sicut pater meus posuit in Samaria. id est, certa uectigalia rerum uenaliū ibi pro tuo arbitrio constitues & exiges, unde & tu fructus amplos accipies, & ego te quasi tributarius superiorem agnoscere cogar. Lutum platearum sæpe per similitudinem rem uilissimā, ac ab omnibus conculcatam, aut alioqui amouendam, ac citò periturā significat. Psalmo decimo octauo: Delebo eos ut lutum platearum. id est, expurgabo ac exterminabo. Idem dicitur Isaiæ quinto & decimo. *Clamo i plateis* aliàs luctum & lamentationem denotat. Isaiæ 24. Clamor est super uino in plateis. Sic & Isaiæ 15. Aliàs rixas & turbulentas contentiones. Sic negatur Christus clamaturus in plateis. Isaiæ 42. & Matth. 12. Solent enim rixosi, ebriosi, & iracundi ac iniusti temere in plateis, conuicijs cum alijs concertare. Sed Christus & alij pij doctores, legitime modesteq; de controuersijs religionis disceptant. Quare Christi conuersiones etiam uehementiores non fuerūt talis clamor. Postremo, etiam Sapientia dicitur clamare in plateis, & omnes ad se inuitare. Prouerborum 1. Qua locutione indicatur publicum ministerium ueræ doctrinæ, & summa copia rectæ institutionis in uera ac summa sapientia. Hoc modo sæpe Christus in plateis clamauit. *In plateis cadere, aut corruere*, dicuntur iuuenes, aut alioqui homines, Hieremiæ 49 & 50: quod publicam pestilitatem, aut publicas & uulgò grassantes cædes indicat, aliquando etiā famem. ut de lactentibus, & alijs, Threnorum 2 legitur. Sanguis in plateis, Ezechielis 28. In plateis porrò ueritatem corruere. Isaiæ 59, est manifesta & potens, à gubernatoribus politicis & spiritualibus adhibita religionis & iusticiæ deprauatio. In platearum angulis orabant Pharisei, ut ab omnib; conspicerentur, & laudarentur, Matth. 6. id est, in locis publicis, frequentibus & conspicuis.

PLENVS, & PLENITUDO, uarias locutiones non nihil obscuras gignit, de quarum præcipuis iam aliquid dicam: tamen in uerbo **IMPLENDI** aliquo modo iam exposita uideri queant. *Plena mulier*, aut alterius animalis fœmina, pregnantem notat: Ecclesiast. 11. Quemadmodum tu ignoras quomodo concreuant ossa in uentre plenæ. *Plenus*, pro abundante quacunque re bona aut mala: ut Ruth 1. Plena abieram, at uacuum me reduxit Dominus, id est, diues marito & liberis, quibus nunc sum orbata. Sic Iob 32 quidam dicit, se plenum esse sermonibus, ut utres musto. id est, se habere iam eam materiam probè meditatam, & oratione paratam, qua Iobum redarguat. *Plenum* significat aliquando id quod quasi perfectum est, aut iustæ stature, cuique nihil deficit: ut, argentum plenum, pro integro

iuustoq; precio ponitur. Genes. 23, Argento pleno tibi tradam. Eadē locutio est 1. Paralipomeno uiginti primo. *plenus* ponitur pro saturo, & quasi nauseante ad aliquarum rerum copiam. Isaiæ 1, Ad quid mihi multitudo sacrificiorum uestrorum? Plenus sum, uel potius satur. Sic *Plenus & satur dierum* crebro coniungitur, & ponitur pro eo qui iam decrepatus est, nec cupit uiuere diutius. Hier. 6, Maritus cum uxore capientur, senex cum pleno dierum. *Plenum esse ad aliquid*, significat totum in eam rem ruere. pronumque ac procliuum esse. Ecclesiast. octauo: Plenum est cor filiorum hominū in ipsis ad faciendum prauum. *Os plenum maledicentiæ*, item *amaritudinis*, Psalmo nono, decimo quarto. *Plenus dolo*. Actor. 13. id est, totus præceps in fraudem. Oculos habentes plenos adulteræ: 2. Petri 2. id est, adulterandi & scortandi studio spectant, quæ spectant. Erat plena bonis operibus Actor. 9. id est, tota intenta in bona opera. Sapientia cœlestis est plena sapientia & bonis fructibus. Iacob 3. id est, tota in ea intenta est, eis fœta, eaque largè producens. *Dextera plena muneribus*, indicat rapaces iudices, doctores, aut alios gubernatores, qui ob munera, leges, iura, ac religionem deprauant. Fortè hæc phrasis cum præcedente conuenit, quòd is dicitur aliqua re plenus, in quam totus est procliuus, ut hic in munera aut corruptelas. Sic Christus obiicit Phariseis, quòd intus sint pleni rapina & hypocrisis, Matth. 23. id est, toti in hypocrisis & rapinam intenti. *Manus uestræ sanguine plenæ* sunt, Isaiæ 1. utrumque intelligi potest, quòd & iam sint contaminatæ iniustis cædibus, ac læsione proximi: & quòd in id sint intentæ. Ibidem, Ciuitas plena iudicio. Ezech. primo. Terra plena iudicio, ciuitas plena iniquitate. Romanorum primo, Plenos inuidia & homicidio. id est, profus deditos hisce sceleribus.

PLENITUDO alicuius rei, ualde uaria significat. *Plenitudo terræ, aut orbis*, sunt omnes creaturæ in hoc mundo conditæ, & ad huc mundum implendum aut colendum pertinentes. Psal. 24 & 50, Meus est orbis, & plenitudo eius. id est, totus mundus cum suis creaturis. Psal. 24 textus seipsum declarat, Domini est terra, & plenitudo eius: orbis terræ, & qui habitant in eo: quod dictum repetit Paulus 1. Corinth. 10. Ezech. 12. Ut desoletur terra à plenitudine sua. id est, priuetur hominibus, animalibus, & plantis. Isaiæ 34. Audiat terra, & plenitudo eius: orbis, & omnia germina eius. Isaiæ 6, Plenitudo totius terræ gloria eius. p. tota terra est plena gloria eius, uel gloria eius replet totam terram. Tametsi & sic ad uerbum eum textum rectè accipere possis, quòd plenitudo terræ: id est, quicquid est in orbe terrarum, glorificet suo modo Deum, testeturque eius omnipotentiam, bonitatem ac sapientiam. Rom. 1. *Plenitudo maris*, est, quicquid in mari agit, & ad illud quasi excolendum pertinet, siue pisces, siue littora portus ac ciuitates, homines ac naues, siue deniq; (ut alij exponunt) ipsæmet insulæ mare replentes. Isa. 42. Descendentes in mare, & plenitudo eius: Insulæ, & habitatores earum, ubi aliqui putant per posterius declarari illud prius. Psal. 96. Lætentur cœli, & exultet terra: resonet mare, & plenitudo eius: exultet ager, & quicquid in eo est. Potest uideri hæc locutio ex eo uenire, quòd Deus creans primas creaturas, & ueluti semina rerum, iussit ea sua elementa ac loca occupare & replere. *Plenitudo ciuitatis*, sunt ciues. Amos 6, Tradam ciuitatem & plenitudinem eius: id est, quicquid in ea est, ciues & opes eorum. aut totum populum. *Plenitudo domus* paulo aliter accipitur, Numer. 24 dicit Bileam ad nuncios se accersentes: Si dederit mihi Balac plenitudinem domus suæ auri. id est, domum suam plenam auro, non tamen aliud dicam. *Plenitudo pugilli*, id est, quantum pu-

gno aut pugillo capere potestis. Exo. 9. Tollite uobis plenitudinem pugillorum uestrorum fauillæ fornacis, & proijcite in aerem. Sic Leuit. 2 ac 5. Sic & Plenitudo uolarum, dicitur Leuit. 16. Plenitudo seminis, Deut. 22, aliqui exponunt de prouentu seminis: possis autem exponere etiam de tota semente. Non seminabis uineam tuam diuersis seminibus, ne fortè sanctifices plenitudinem seminis atque prouentum uineæ. id est, ne fortè ex unius prophanitate reliqua prophanentur. Plenitudo staturæ. pro tota statura. 1. Sam. 28. Et cecidit plenitudine staturæ suæ. id est, tota statura sua. id est, concidit Saul præ terrore porrectus, quàm longus fuit. Germanica locutio uicina est, Er siel so lang er uuar. Plenitudo dimis lapides, Exodi 25. 28 & 35. id est, lapilli preciosi, qui auro aut argento includi solent, quia foramina aut loca pro illis uacua relicta replent uel explent, ut palæ in annulis. Plenitudo gentium. id est, amplissima ac ueluti plena gens, integræq; natio. Gen. 48. Veruntamen frater eius minor crescit magis quàm ipse, & semen eius erit plenitudo gentium. Rom. 11, paulò aliter accipi hæc locutio uidetur: Induratio ista ex parte accidit Israeli, donec introierit plenitudo gentium. id est, donec omnes ij ex gentibus conuersi fuerint, quos Dominus constituit conuerti. Ibidem est etiam plenitudo iudeorum, p plurimis Iudeis conuersis. Plenitudo temporis. id est constitutum tempus. Galat 4. At ubi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum, &c. id est, ubi perfectum completumque est id tempus, quod Deus ordinauerat. Eadem etiam phrasia est ad Ephes. 1. Plenitudo legis est dilectio, Rom. 13. id est, id quod lex desiderat, quo ei satisficit, & quo ea impletur. Sic Christus Matth. 9 uocat complementum aut supplementum lacerae uestis. id quod ad eam integrandam consuitur. Sic uir uidetur quasi mancus, nisi accedat supplementum uxoris. Ad hanc rem & uocem respicit Paulus, cum Ephes. 1 dicit, Ecclesiam esse plenitudinem aut supplementum Christi: qui tamen ad eò complementum alieno non indiget, ut ipse omnia impleat. De qua uoce ac loco, alterius cuiusdam eannotationes adscribam. Complementum, πληρωμα, siue supplementum. Is enim est Christi in Ecclesia amor, ut cum omnia omnibus ad plenum præstet, tamen sese ueluti mancum, & membris mutilum caput existimet, nisi Ecclesiam habeat sibi instar corporis adiunctam. Hinc factum, ut Christus interdum collectiue pro tota Ecclesia capiti suo adiuncta accipiatur: ut 1. Corinth. 12 & Galat. 3. Hinc etiam illud in Christo, toties repetitum: quod multo expressius aliquid significat, quàm in Christo uel per Christum. Hinc factum, ut diceret Apostolus, se in Christo, & Christum in se uiuere: Galat. 2. Hinc illa Christi uox, Saule Saule quid me persequeris? Quod etiam pertinet quod scriptum est 4 Coloss. 4. Hinc denique nostra spes omnis & consolatio proficiscitur, qui implet, τὸ πληρωμένον, Chryostomus passiuè accipit, ut sit sensus: Christum profus impleri in omnibus. id est, singulos fideles conferre ad Christi complementum, ut corpus suam ex singulis membris est compactum. Mihi uidetur eoacta ista interpretatio, cum τὸ πληρωμένον pro πληρωτὴ Xenophon usurparit lib. 6. ἁλλοιῶν: & συμπληρωτὴν pro συμπληρωτῶν, Plato in Timæo. Omnino aut hoc addidit Apostolus, ut sciamus Christum per se non indigere hoc supplemento, ut qui efficiat omnia in omnibus reuera, nedum ut suppleatur à quoquam, nisi quatenus pro immensa sua bonitate Ecclesiam dignatur sibi quasi corporis instar adiungere. Plenitudo Dei, Eph. 3, significat non eam plenitudinem aut copiam uirtutum, excellentiæ, aut præstantiæ, qua ipsemet plenus est, quæ ipsius propria est, & nulli creaturæ conuenit: sed eam quasi mensuram aut plenam staturam seu perfectionem, qua Deus propter Christum pios digna-

tur in hac uita prouehere. Quam mox in sequenti capite clarius exponit, cum ait: Donec euadamus omnes in uirum perfectum, in mensuram staturæ plenitudinis Christi. id est, sicut perfici & adolescere uult nos Christus in uirum plenum in hac uita. Est autem Plenitudo triplex, sicut & supra de perfectione diximus. Prima est Dei, & filij ipsius, cui non ad mensuram dat Spiritum & dona pater. Secunda est, illa ingens plenitudo, qua Lex impleri perfectissimè deberet, quamq; seuera Dei iusticia à nobis exactissimè flagitat: quam hic ex Christi merito imputatiuè, in altera autem uita re ipsa habebimus, ante lapsum habuimus, & nunc sancti angeli habent. Tertia est, quæ pijs in hac uita contingit, & dispensatione Dei, Christo eorum defectus tegente, toleratur. De qua plenitudine etiam paulo antè non nihil diximus. De Dei & Christi plenitudine Ioan. primo habetur, quòd uiderimus gloriam eius, gloriam ut unigeniti à patre, qui plenus fuerit gratia & ueritate: & ex cuius plenitudine omnes sancti necessariò sibi mendicent ac sumant. Sic dicitur Coloss. 1 & 2, quòd in Christo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. De secunda plenitudine, quam lex flagitet ad sui impletionem, dicitur: Qui fecerit ea, uiuet in eis. item: Hoc fac, & uiues. Tertia plenitudo piorum, quæ in hac uita eis contingit, est ea de qua supra egimus, secundum quam etiam Stephanus & Iohannes dicuntur fuisse pleni Spiritu sancto, & ipsa mater Iohannis Baptistæ. Philip. 1. Pleni fructibus iusticiæ. Col. 2. Estis in Christo pleni seu completi. Et mox quarto: State perfecti & completi in omni uoluntate Dei. id est, omni studio uos ad uoluntatem Dei accommodantes. Rom. 15 Pleni estis bonitate, repleti omni cognitione. Act. 9. Hæc erat plena bonis operibus. id est, penitus dedita eis. Plenum aliquando significat integrum, non mancum, mutilum aut insincrum. Vt gaudium uestrum sit plenum. 1. Ioan. 1, 2. Item Ioan. 16. id est integrum, non mancum aut mutilum. Plenitudinem nõ raro fructus nouos, præsertim mustum, uocant: fortè ideo, quia impleat & effluat de torculari. Num. 18 Reputabitur oblatio uestra ut plenitudo de torculari, & frumentum de area. Mox ibidem uocat fructum de torculari. Dicit autem, Leuitis decimas suarum decimarum sacerdotibus oblatas, perinde coram Deo acceptas fore, ac si de sua propria uinea aut agro, torculari aut area obtulissent. Exod. 22. Plenitudinem tuam & lachrynam tuam non tardabis. id est, primitias musti ac olei primo quoq; tempore offeres. Mustum uocat plenitudinè, quia pressum plene fluat: Oleum, lachrymam, quia pressum guttatim stillat. Plenitudo omer ex eo ad custodiam, Exod. 16. pro, imple omer de manna, ut reseruetur in testimonium huius beneficii ac miraculi Dei. Manere iuxta plenitudinem. Cant. 5. Oculi eius ut columbarum, quæ sese lauant lacte, manentes iuxta plenitudinem. id est, iuxta plenum uas lacte: uel potius, sicut columbæ candidæ sunt conspicuæ in pleno cœtu aut grege uariarum columbarum. Fundamenta thalammorum plenitudinis calamo sex cubitorum magnitudinis: Ezek. quadragesimo primo. Erant integri thalami continentes 6 magnos calamos. Plenitudo benedictionis Euangelij. Romanorum 15. In plenitudine benedictionis Euangelij ueniã ad uos. p, cumulatissimū fructū Euangelij, date Deo, uobis præstabo: plurimū uobis mea presentia, prædicatio ac colloquiū ad uerã pietatē proderit. Dextera Dei plena est iusticia. Psal. 48. id est, omnia agit iustissimè, & ubiq; exercet iusticiã. Sic Cicero Cæsaris dextrã fide potentē dicit, in orat. p Marcello. Plena est terra misericordia Domini, Psal. 33. p, omnia testatur eius misericordiam, seu omnia sunt referta beneficij Dei, quæ eius misericordiam erga homines te-

statam faciunt. Sic dicitur Hab. 3, plenam esse terram lau-
de Dei. Et supra diximus, plenam esse terram gloria
Dei. Plenum esse ira aut furore Dei, aliàs actiue acci-
pitur. Sic dicit Ieremias cap. 6, se plenum esse furore
Dei, ut uix continere possit, quò minus effundat eum
super paruulos ludentes in platea, & super chorum iu-
uenum. id est, se adeò irasci iusto zelo, ac comprobare
iram Dei erga eum populū, ut uix cōtinere possit, quo
minus exitium imprecetur etiam maximè innocētī ac
florenti parti illius cōtus. Contrā Isa. 51, passiuè accipi-
tur: Filij tui mœrore affecti iacuerunt in capite omniū
platearū, sicut bos syluestris irretitus, pleni furore Do-
mini & increpatione Dei tui. Domus erat plena maie-
state Dei, Isa. 6. id est, illa quasi nube, quæ circumambi-
bat Deum. *Plenus benedictione Dei*, Deut. 33, id est, fauore
& beneficijs Dei. Naphtali satur est diuino beneplaci-
to, & plenus benedictione Domini.

PLEROPHORIA, Græca uox *πληροφωρία* est. Et si
autem non sit hæc uox usquā in Latina Sacrarum lite-
rarum uersione, nec mei instituti sit Græcas uoces ex-
plicare: tamen cum magnus sit eius usus in Nouo testa-
mento Græco, & fidei naturam præclare explicet, di-
cam aliquid de ea. Significat hæc uox Paulo, aliquid
pleno animi motu agere: ut cū refertur ad plenam no-
ticiam, Rom. 14. Vnusquisq; in proprio sensu *πληροφωρία*
δω, certa noticia constituat, pleno animi assensu statu-
at. Item ad actiones aliquas externas: ut 2. Tim. 4. Mi-
nisterium tuum *πληροφωρία* id est, constanter & ardētē
perface. Ibidem, *ἵνα οὐ γένηται ὑμῶν πλεροφωρία*, id est, ut
mea opera prædicatio Euangelij diligenter ac seriò p-
30 moueatur. Item ad fiduciam ac spem, ut Hebr. 6, Cu-
pimus aut unumquēq; uestrū idem præstare studiū
πλεροφωρία ad constantem & firmam
spem usque ad finem. Ex his exemplis apparet, *πληρο-*
φωρία significare pleno animi assensu ac motu aliquid a-
gere. Potissimum tamen dicitur de certitudine noticiæ
prædicæ, ac ei coniuncta fiduciæ aut spei. ut Roman 4,
πληροφωρία, quòd id quòd Deus pollicitus erat, etiam
præstare possit. id est, firma & constanti fide statuens,
quòd Deus & possit & uelit ea facere, quæ erat pollici-
tus. Est autem dictio hæc planè Græca. nam & Isocra-
tes ea utitur in *πρωσιτυκῶν*. *Ἐμὲ δὲ πολλὰν ἀκρίτων ἕξαρτον*
πλεροφωρία δὲ γέγονε, μὴδὲν περὶ ἡδονῶν: ubi itidem magnam
noticiæ certitudinem significat. Porrò quoniam sæpe
utiliter Etymologiæ ac primarię significationes inqui-
runtur, eo quòd aliquanto penitus uis ac natura uocū
ea ratione perspicitur, breuiter de huius quoque uocis
origine dicemus. Opinor hanc uocem hic metaphori-
cè poni. Nam nec propriè, nec in alia aliqua figura,
quantum quidè animaduertere possum, hic accipi po-
rest. Sumptam autem opinor metaphoram à nauib.
cum plenis seu inflatis uelis incitata feruntur. Ex qua
ratione similitudinis & prouerbium, *Plenis uelis nauigare*,
ortum est: ac de eis dicitur, qui toti & ueluti proni in a-
liiquid incumbunt, aut alioqui felici cursu fruuntur. Ad
hanc similitudinem uideretur & Cicero alluisse in ora-
tione pro Murena, inquiens: Cum cōtento cursu, acer-
rimis ducibus, hostium classis spe atque animis infla-
ta Italiam peteret. Est enim quædam conuenientia na-
uium plenis uelis nauigantium, & animorū plena per-
suasione ac spe aliquid concipientium & agētium, aut
in aliquid prorsus incumbentium: sicut in hoc ipso e-
xemplo apparet. Nam perinde ac naues illę plenis uel
inflatis uelis rectā & celerrimo cursu in Italiam cōten-
debant: ita etiam hostes, opes Italiæ tam firma spe diri-
piebant & partiebantur. Eadem porrò ratio est & fi-
dei. nam & illa uerbo Dei ac Spiritu sancto, nostro spi-
ritui testimonium perhibente, quòd filij Dei simus, cō-
firmata, sic plena fiducia ac spe misericordiam Dei, re-

missionem peccatorum ac alia dona sibi rapit ac uendi-
cat. Et quemadmodum eiusmodi naues celerrimè cur-
rentes nusquam hærent, non circumspectāt scopulos,
syrtes & saxa latètia, sed rectissimo cursu antroforis ten-
dunt (sciunt enim se in alto nauigare) sic & fides nus-
quam hæsitat, non claudicat, non diiudicat (ut Scriptu-
ra loquitur) dubia, num hoc an illud sequendum sit: nō
ubique trepidat: sed immota ueritate uerbi diuini, pro-
missionibus Dei ac Spiritu sancto Abba pater claman-
te, inflata & incitata, recta contentissimoque cursu in
Deum placatum ac promissa bona fertur. Alius por-
rò quidam sic de hac uoce annotat: *τὸ πλεροφωρία* nō de-
clarat *τὸ πλερωθῆναι*, id est implere: sed plenè certiorare, ut
sæpe loquitur Ulpianus Iureconsultus: unde *πλεροφωρία*
δω cum ad personam refertur, significat certiorare ab
aliquo fieri, ita ut de re quapiam nulla sit amplius dubi-
tatio. Sin autem ad res ipsas accommodetur *πλεροφω-*
ρία dicuntur, quę certis testimonijs ita sunt
comprobata, ut de ijs ambigi non possit, nisi quis uelit
apertam ueritatem inficiari. Inde factum, ut Paulus
πλεροφωρία uocet, partim quidem testimoniu illud Spi-
ritus sancti, per quem in corda electorū effunditur di-
lectio, qua nos Deus dilexit, cum peccatores essemus:
partim uerò illius testimonij efficaciam in nobis, cuius
ui scilicet certo scimus fore, ut nihil nos possit separare
à dilectione illa, qua nos Deus in Christo dilexit ab
æterno. Cui *πλεροφωρία* coniuncta est *πιστις* illa,
quæ facit ut in medijs afflictionibus gloriantes, cum
fiducia clamemus, Abba pater. Sunt autem hi proprij
& peculiare in electis effectus fidei, à qua Fideles ap-
pellamur.

PLUUIA, & *πλῦσις*, primū habent quasdam
locutiones propriè accepta, deinde figuratè. *Pluuia*
matutina, aut *Tempestiua*, ac *Serotina*, crebrò legitur in Sa-
cris. Non autem significat hæc locutio pluuiam ma-
tutina aut uespere decidentem: sed *Matutina* aut *Tempe-*
stiu pluuiæ est, quæ cadit mox facta semente, quæ ad
radicandū ac nascendum est segeti necessaria. *Serotina*
autem pluuiæ est, quæ spicas iam agète & grana for-
mante segete cadit, cum ei est maximè necessaria hu-
me etatio & alimentum. Deut. 11, Ierem. 5, Ios. 2. *Pluuia*
spontaneitatum, aut munificentiarum, est pluuiæ lar-
ga, & tamen salutaris: per metaphoram autem crebrò
omnia spiritualia fauentis Dei beneficia denotat. Psal.
68, Ios. 3. *Pluuiam liberalitatum* leuabas Deus, tu hæredi-
tatem tuam exhaustā reficis. *Pluuia benedictionis*, Ezek.
34, Faciam descēdere pluuiam in tempore suo: pluuiæ
benedictionis erunt. id est, salutare frugibus, & nulli
rei noxiæ. *Pluuia* crebrò comparatur rebus ualde ex-
optatis & salutaribus. Iob 29, Expectabant me ueluti
pluuiam. Solent enim agricolæ, præsertim in illis lo-
cis feruentibus, sæpe ingenti desiderio pluuiam deside-
rare. Beneuolentia regis ueluti nubes pluuiæ sero-
tinæ. Prouerbiorū 16, id est, tam desiderata, salutaris ac
grata. Veniet Meschias tanquam imber nubis, & plu-
uia ferotina & temporanea terræ. Hof. 6, id est, perinde
desideratus ac salutaris in spiritualibus, sicut pluuiæ in
externis, præsertim frugibus. Aliquando contrā, cum
re ingrata & noxia comparatur. ut pluuiæ in messe, sic
60 stulto non conuenit gloria, Prouerbiorum 26: Quia q-
stiuo tempore per trimestre nō solet apud eos pluuere,
ut est in primo Sam. 11. Noxia etiā esset eis pluuiæ, cum
ad collectionē & triturationē, quā illi sub dño faciunt, &
ubi est necessaria aristarum siccitas ad excussionē gra-
norum: tum etiam, ne in illo calore accedente madesca-
tione, mox incipiant putrescere fruges & stramen. A-
nima benedictionis impinguabitur, & inebrians etiam
ipse compluetur. Prouerbiorum 11, pro, qui alijs be-
70 nefacit, accipiet à Deo beneficium. *Pluuia* nonnun-
quam

quam per synecdochen omnigena externa beneficia significat. Sic Christus dicit Deum dare suam pluuiam super bonos & malos: id est, omnigena externa bona. Zach. 14. Qui non ascenderit ad adorandum regem Israel, non erit super eum pluuia. quod posset etiam de externis Dei beneficijs intelligi, multo tamen melius de spiritali rigatione uerbi ac Spiritus sancti, de quo effundetur Meschias super omnem carnem. Statutum pluuiæ, Job 20, Dum faceret statutum pluuiæ: pro, dum prescriberet ei leges. De metaphorica significatione dixi, quod denotet sæpè doctrinæ puritatem, aliæque Dei, præsertim Spiritualia beneficia: sicut & in Isaia confertur uerbum Dei pluuiæ, ac niui agrum irriganti. Pluere aliquando castigationem pœnasque Dei significat, facta allusione ad pluuiam Sodomitarum. Psalmo 11, Pluet Deus super peccatores laqueos, ignem & sulphur: id est, perdet eos tristissimis modis, iniiciens cœlitus in eos omnis generis calamitates. Job 20, Pluet super impium Deus, & in carnem eius, id est, tristissimas plagas ac pœnas ei cœlitus iniiciet. Porro ab eodẽ thema 20

POCVLVVM, uide supra Calix.

POENITENTIA, sicut ipsa re maximi momenti est, plurimusque de ea sermo in Sacris literis habetur: ita & significationes ac phrasas multas habet, quas operæprecium est diligenter explicare. Primum igitur, quod ad Hebræam uocem attinet, ea est תשובה Thesuba, à uerbo Sab redijt, reuersus: sicut etiã ab eodem themate est uox Mesuba, quæ significat auersionem. Est uerò simplex ac perspicua ratio huius uocis. Quia enim homo est ita ad imaginem & cultum Dei conditus, ut apud eum perpetuò manere & cū eo uersari deberet, sicut seruus cum suo hero: seductus ac deficiens à Deo ad diabolum, rectè dicitur auersus: & nunc uicissim per pœnitentiam ad Deum ac sanitatem regrediens, dicitur reuersus, & ipsa pœnitentia Thesuba, quasi quædam pia salutarisque reuersio ac regressio ad Deum conditorem, à quo impiè defecerat: sicut hæc ipsa res ac uocabulũ depingitur in reuersione perditĩ filij ad patrem benignissimum, Lucæ decimo quinto. Secundò, Græca uocabula sunt duo potissimum, quibus pœnitentia notari uidetur: nempe μετανοια & μεταμελεια, quæ explicare operæprecium fuerit. Μετανοια igitur, & μετανοειν, quibus multum Scriptura utitur (nã alterum μεταμελεια non perinde crebrum est) plerique uerterunt pœnitentiam, & pœnitere. Possis autem triplicem rationem huius etymologiæ, aut etiam compositionis reddere: quarum prima sit, ut significet post factum uel intelligere aut animaduertere erratum, uel considerare ac cogitare. nam utrumque indicare potest. Solent enim, iuxta prouerbiũ, plerunque posteriores cogitationes meliores ac sapientiores esse. Secunda, quod significet cogitatione reuoluere factũ, sicut hæc præpositio μετα aliquando idem ualet quod trans aut denuò: ut μεταμορφωω transformare, transfigurare: μετανοειν, μεταπλαττω, reficere aut refingere opus, quasi dicas, id quod antea εννοησας cogitasti, μετανοειν denuò & aliter cogitare ac considerare, & ueluti animo ac mente recoquere, & quasi in aliam formam refundere aut refingere. Tertia, ut idem ualeat hic quoque hæc præpositio, quod CVM, sicut crebrò usurpatur: sitque μετανοειν, cum animo aliquid reputare: sicut & Latini dicunt, Suo cum animo aliquid considerare, non temerè ac sine cogitatione aliquid agere, sicut antea in peccando factum fuit. Quamcunque demum harum trium rationum etymologiæ compositionisque huius uerbi ac nominis secutus fueris, aptè naturam Pœnitentiæ explicabis. Nam pœnitentia post malefactum rem 70

considerat, & eam secum refingit ac reformat, cuperetque ab initio eam aliter formatam, aut ad aliam ideam compositam fuisse: & denique magis aduertit illi rei animo, attentiusque eam expendit: cum antea ueluti sine mente, cogitatione ac ratione egerit, habens oculos non uidentes, nec aures audientes, aut cor intelligens. Sed adscribam etiam alterius cuiusdam annotationem de hisce duabus uocibus, quò tum res magis illustretur, tum Lectori ueritatis indagandæ cupido plenius satisfiat.

RESIPISCITE, μετανοειν.) Vulg. Pœnitentiam agite. Erasmi. quoque eodem modo: sed addidit, Vitæ prioris, quam interpretationem multas ob causas repudio: sed ob eam potissimum, quòd multi imperiti occasionem hinc arripuerint falsarum opinionum de satisfactione, quibus hodie agitur Ecclesia. Cæterum μετανοειν, quum est uerbum absolutũ propriè significat post factũ sapere, & de errore admissò ita dolere ut corrigas: quod (ut opinor) Latinis propriè significat resipiscere. Itaq; nunquam pœnitur nisi in bono: ut (meo quidem iudicio) Ausonius in illo suo Epigrammate omnibus noto, μεταμελεια potius quàm μετανοια dicturus fuerit, si uersus pentametri ratio permisisset. Semper enim μετανοια cohæret à σωφρονισμός, sicut hæc duo rectè coniunguntur à Plutarcho in Dialogo, πέντε α τῶν σωφρονισμῶν. μεταμελεια uerò declarat, post rem aliquam factam sollicitum esse, & anxium, quod Latini dicunt pœnitere: atque etiam usurpari potest in uitio. Neque enim propriè complectitur uitæ & consilij mutationem in melius, quod tamẽ nonnulli tradunt: sed simpliciter sollicitudinem quandam, ηὐχὴ δυσσώφιστον, id est displicentiam exprimit, quæ facit ut rem factam, seu bonã seu mala sit, infectam esse uelimus, etiam quum non est nouo consilio locus relictus. Itaque Matthæus de Iuda proditore loquens, μεταμελεις (inquit) ἀπίστου, nõ μετανοεις: tristitiam significans, à qua est absorptus. Sic etiam apud Paulum 2. Corinth. 7, μεταμελεια declarat, dolorem capere ex eo quod factum erat. & Romanorũ 11, dona Dei dicuntur ἀμεταμελεια, id est, eiusmodi ut nõ possint ipsi displicere, quũ semel placuerunt. quod Hebræis declarat uocabulum חנה: quũ μετανοειν potius significetur uerbo, שב וunde תשובה, id est conuersio. Quamobrem etiam Petrus Act. 3, quum μετανοοισατι dixisset, statim subiungit, ηὐχὴ ἐπιστρέψατι, ut illud explicaret. Idem facit Paulus Act. 26. Ergo μετανοειν & μετανοια, ubi que interpretabimur resipiscere & resipiscentiam (ita enim hic nobis loqui liceat) μεταμελεια uerò, pœnitere. De uoce μεταμελεια: fortè non est operæprecium nimium accuratè disceptare, cum hoc uerbum & nomen in Sacris literis rarius sit. Sed tamen obseruandum est, etiam de uera pœnitentia usurpari: ut cum Matthæi 21. senior filius, qui recusauerat proficisci ad opus in uineam patre iubente, dicitur ὑστέρῃ μεταμελεις abiisse in uineam laboratum: ubi talis est prioris facti aut recusatationis cura, quæ & damnet illud & mutatum cupiat, & animum ac factum in melius sanitatemque reducat. Porro etiam uocabula Pœnitentiam & Pœnitere mutari in resipiscentiam, aut alia qualiacunque, in uersionibus aut in Theologia nolim. cum iam in ista significatione sint in Ecclesia tum receptissima, tum etiam notissima. plus enim rebus ipsis & pusillorum conscientijs, quàm Latinitati tribuendum est. Nunc de singulis ac specialioribus huius uocis significationibus & phrasibus agamus. Pœnitentia igitur, etsi tum in Græco, tum & in Latino propriè uidetur solum mentis actionem, aut resipiscentiam denotare: tamen complectitur totam uitam & omnes actiones, quæ ex animo sanato dependent aut proficiscuntur. Quare Hebræa uox Thesuba non tantum aptior, sed & plenior est, meliusque omnia interna & externa hominis complectitur. Pœnitentia

tentia enim est, tum mentem, tum & consilia, conatus, actiones & uitam hominis in uiam rectam sanitatemque redire, seu à Satana seductore ad Deum benignissimum patrem reuerti, ut supra dictum est. Significat uero aliam solum animi dolorem de malefactis, quam partem Theologi Hebraica uoce contritionem uocant. Marci primo: Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. ubi per pœnitentiam designatur dolor de malefacto, & terror de ira Dei ac pœnis æternis, quibus securus, superbus ac erectus animus instar proceræ arboris in sua impietatis radicibus stans ac uirens frangitur, comminuitur, & ueluti contunditur ac conteritur. Sic Luc. 10, in sacco & cinere pœnitentiam agere, potissimum illum dolorem uidetur indicare. Sic Act. 8, Pœniteat te tuæ maliciæ. & secundæ Corinthiorum duodecimo: Qui non pœnituerunt de sua immundicie. Hebræorum sexto, Non denuò fundamenta iacentes pœnitentiæ à mortuis operibus. Et mox, denuò renouare ad pœnitentiam. Huc pertinent dicta, in quibus adiiciuntur uoces, ut subiectum: ut Deuteronom. trigesimo, Ductus pœnitentia cordis tui. aut obiectum, nimirum peccatum: ut Leuit. 5, Agat pœnitentiam de peccato suo. Ierem. 8, Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, Quid feci? Ezek. 18, Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis quæ operatus est. Aut alteram partem, nimirum fidem notantes, ut Deuteronom. 30, Ductus pœnitentia reuersus fueris ad Deum. Syrach 20, Quàm bonum est correptum manifestare pœnitentiam. Aliquando significat non tantum contritionem, sed & fidem: ut cum dicitur Iohannes prædicasse baptismum pœnitentiæ, id est, totam conuersionem à turpi ac scelerata uita ad Deum, quo modo conuersos baptizabat, & docebat baptizandos. Matth. 3, Marc. 1. Lucæ 3. Sic Christus inquit, Matth. 9. Veni uocare peccatores ad pœnitentiam. id est, ut conuertantur ad Deum. Et Baptista inquit Matth. 3, Facite fructus dignos pœnitentiæ, quod & Act. 26. repetitur. Luc. 24. Prædicantes in nomine meo pœnitentiæ & remissionem peccatorum. Huc referantur sententiæ, ubi uox Pœnitentia absolutè & sola ponitur. Ieremiæ decimo-octauo. Si pœnitentiam egerit gens illa. & 31. Postquã conuertisti me, egi pœnitentiam. Iudith 5. Quotiescunq; pœnituerunt se recessisse à cultura Dei sui, dedit eis Deus uirtutem resistendi. In hac significatione synonymon habet *Conuersionem* & *Conuerti*. Ezek. decimo-octauo, Conuertimini ad me. Item, Quærere Dominum ex toto corde, & tota tribulatione animæ suæ: reuerti ad Dominum Deum suum, & audire eius uocem: Deuteronom. 4. Exquirere faciem Dei: 2 Paralip. 7. Cœueri & quærere Dominum, Hoseæ 3. Reuerti de uia sua pessima, 3. Reg. 12. Ierem. 18. Reuertatur unusquisque à uia sua mala. Ezek. 18, Conuertatur à uis suis. Item: Si auertit se impius ab impietate sua, quam operatus est. Pœnitentiam agere à uis suis pessimis: secundo Paralipomenon septimo. Redire ad Deum, Hoseæ undecimo. Reuerti ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & uniuersa uirtute sua: quarto Regum uigesimotertio. Reuerti ad Dominum Deum suum: Iud. quinto: Thren tertio, Scrutemur uias nostras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum. *Humiliari*, capitibus secundo Paralipomenon duodecimo & trigesimo secundo. Declinare à malo, Psalmo trigesimo septimo. Nonnunquam etiam nouam obedientiam complectitur: ut Actorum uigesimo, Testificans Iudæis & Græcis eam quæ est erga Deum pœnitentiam. secundæ Petr. 3, & Ezech. trigesimo tertio. Deus non uult ullum perire, sed omnes ad pœnitentiam progredi. Apocalypsis secundo: Pœnitentiam age, & priora opera facito. Interdum etiã magis beneficia aut effectus seu bona pœnitentiam consequentia, quàm ipsam pœnitentiam no-

tare uidentur Hebræorum duodecimo: Pœnitentiæ locum non inuenit. id est, nihil ei profuit fera pœnitentia, non consecutus est fructum pœnitentiæ, quem expectabat, ut uidelicet ius primogenituræ reciperet. Actorum quinto: Ut daret pœnitentiam Israeli. id est, bona pœnitentiam consequentia, nempe reconciliationem cum Deo, & Spiritum sanctum. Actorum undecimo: Num igitur etiam Ethnicis Deus dedit pœnitentiam ad salutem? id est, num eos Deus recipit in Ecclesiam, & adoptat sibi in filios? secundæ ad Timotheum secundo: Cum lenitate erudito aduersarios, si fortè eis Deus dederit pœnitentiam ad cognitionem ueritatis. Pœnitentiam uocat hic Apostolus, illam Dei gratiam aut beneficium, quo nos trahit aut conuertit ad ueram religionem ac pietatem. ¶ Duplicem solent facere quidam pœnitentiam: aliam Iudæ aut Caini, quæ est sola contritio ex legis doctrina, seu desperatio, gustus iræ Dei, ac descensus ad infernum. alteram salutarem, quæ post contritionem habet ex Euangelio, fidem, aut salutarem cognitionem Christi: qualis fuit Petri, & omnium piorum est. Quidam malè peruertunt locum Pauli secundæ Corinthiorum septimo, ubi de duplici dolore agit, secundum mundum, & secundum Deum: quasi ibi de duplici pœnitentia agat. Verùm Paulus non uocat illum carnalem dolorem hominum non renatorum, de acceptis damnis aut alijs molestiis, pœnitentiam: sicut etiam nõ est, sed est aliquis dolor de suis damnis. Quidam hoc tempore partiuntur pœnitentiam in contritionem, fidem, & nouam obedientiam: quæ diuisio tum per se falsa est (nam Scriptura nouam obedientiam uocat fructus aut effectus pœnitentiæ, Matthæi tertio, Actorum uigesimosexto. non est igitur de eius essentia: tum etiam corrumpit articulum iustificationis. Cum enim pœnitentia necessariò iustificationem præcedat, hac ratione bona opera aut nostra noua obedientia in articulum iustificationis inseritur. Quidam etiam confundunt pœnitentiam cum renouatione, seu cum mortificatione ueteris Adami, & uiuificatione, generatione aut conditione noui: quæ confusio itidem non leuia damna affert. Verùm in Libello de Iustificatione, illarum duarum multum differentium rerum plura discrimina ostendi: quem uideat studiosus ueritatis Lector, Propositione septuagesimaseptima. ¶ Disputare solent Scriptores, quoniam modo accipiendum sit, quòd dicatur Deum pœnitere quòd hominem fecerit, Genesis sexto: & quòd Saulem regem fecerit. Nam pœnitentia tum dolorem animi continet, quo Deus caret: tum peccati, aut quo quo modo perperam facti comes esse solet: cuiusmodi Deo tribuere non licet, qui omnia ita sapienter perfecteque agit, ut sit impossibile eum ullius sui consilij, facti aut dicti pœnitere. Quare etiam Samuel, primo Samuelis decimo quinto, negat Deum solere pœnitere suorum factorum: id enim hominum proprium esse. Sanè Deum non pœnitet, ut hominem solet pœnitere. omnia enim eius opera rectissima, iustissima & perfectissima sunt. Dicitur etiam in Regulis generalibus de omnibus istis formulis, quæ ab hominibus sumptæ, per anthropopathiam quandam Deo tribuuntur. ¶ Hic illud obseruasse satis fuerit, pœnitentiam istam ratione externi operis, non propriè interni affectus, Deo tribui. Nostrium sanè non est considerare ac scrutari, quomodo animo Dei pœnitentia conueniat: sed externi effectus illius pœnitentiæ formã, nempe seuerissimam pœnam, qua hominem (non iam talem qualem Deus fecerat ad similitudinẽ & imaginẽ suam, sed qualem satan in suam imaginem deprauauerat, aut deformauerat) perdere & abolere statuit. Sed adscribã etiã aliorum Annotationes super prædictum locum. Scriptura humano more nobiscum loquitur, ut Gen. sexto, quum

quum Deo pœnitentiam tribuit, & dolorem: quæ propriè in Deum ipsum non competunt, sed ad sensum nostrum referuntur. Quia enim Deum apprehendere non possumus qualis est, necesse est ut se quodammodo nostra causa transfiguret. Quod non cadat in Deum pœnitentia, hoc uno facillè constat. quod nihil ei inopinatum uel non præuisum accidit. Est etiam natura immutabilis, nihil nisi certo consilio agens. Eiusdem rationis ac notæ est, quod Gen. 6. dicitur, **ET DOLUIT IN CORDE SVO.** Certè non incœret Deus, uel tristatur, qui in cœlesti & beata sua quiete perpetuò sui similis manet: sed quia aliter percipi non potest quantum sit odium peccati in Deo, ideo se Spiritus ad captum nostrum format. Quemadmodum enim natura sic est comparatum, ut opus suum quisq; artifex amet, & firmum esse cupiat: ita consequens est, ut nemo opifex suum ipsius opus, quod integrum durare cupiebat, citra doloris sensum pœnitentia ductus ipse destruat. Quoniam itaq; opifex ille omnium, uniuersum genus humanum, quod & cœdiderat & amaauerat, incorrigibiliter corruptum de terra prorsus deleuit: respectu facti huius, non respectu diuinæ naturæ, tribuit hoc illi Moses, quod pœnituerit eum quod hominem condidisset, & quod dolore cordis tactus consilium delendi illius cœperit. Quare nihil opus est spinosis & arduis quæstionibus nos inuoluere, quando perspicuum est, quorsum spectent uoces istæ Pœnitentiæ & Doloris: nempe ut sciamus, Deum, hominem, ex quo tantopere corruptus est, non censere inter creaturas suas. Ac si diceret: Non est hoc opus meum, non est homo ille qui ad imaginem meam formatus, & tam egregijs dotibus à me ornatus fuerat: hunc degenerem & adulterinum pro meo iam agnoscere dedignor. Huic affine est, quod de tristitia secundo loco ponitur: nempe atrocibus hominum peccatis non secus Deum offendi, quam si letali dolore cor eius uulnerarent. Subest igitur tacita antithesis inter naturam integram, qualis à Deo condita fuerat: & corruptionem, quæ ex peccato orta est. Deus itaque ut efficacius penetret in corda nostra, affectus nostros induit quodammodo. ¶ **Dona Dei sunt sine pœnitentia:** seu, Deum non pœnitentem, quod sua dona dederit, Rom. 11. Verum sanè, Deum per se non pœnitentem, quod donâ hominibus dederit: sed homines ea à se solent repellere, seque illis indignos facere possunt & solent. Quare Paulus dicit, Quod si adhuc Iudæi ad Christum cœuerentur, promissiones Dei illis de Meschiæ regno factæ adhuc essent ratæ. Ier. 18. aliquoties more humano dicitur, quod Deum pœnitebit suarum inarum aut promissionum, si homines cœperint esse boni aut mali: id est, non patietur eis euenire promissa bona, si defecerint: nec patietur accidere mala cœminatione denunciata, si pœnitentiam egerint. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum: Psal. 110. id est, certò & irreuocabiliter decreuit, promisit ac iurauit, quod filius sit futurus æternus sacerdos Ecclesiæ suæ. ¶ Porro quia Scriptura pœnitentiam uarijs synonymis circuloqui solet, utile est ea quoq; in promptu habere. nam inde etiam res ipsa tanto plenius cognosci potest. Equipollentia igitur, siue synonyma uocis Pœnitentiæ, & uerbi Pœnitere sunt. **Humilitari:** 2. Paral. 12. & 32. **Declinare à malo:** Psal. 37. **Auerrere se ab impietate sua:** Ezech. 18. **Si auertit se impius ab impietate sua quam operatus est.** **Conuerti à uis suis.** & à malicia sua: Ezech. 18. **Conuertatur à uis suis.** Act. 3. **Conuertat se unusquisque à malicia sua.** **Reuertit à uis sua mala,** & de uia sua pessima: Hof. 3. & 3. Reg. 13. **Ierem. 18.** **Reuertatur unusquisque à uia sua mala.** **Conuertere & Conuertere ad Dominum Deum:** Ezech. 18. **Conuertimini ad me.** Act. 14. **Vt ab his uanis ad Deum conuertamini.** 2. Cor. 3. **Cum autem conuersus fuerit ad Dominum,** au

feretur uelamen. 1. Pet. 2. **Conuersi estis ad pastorem & curatorem animarum uestrarum.** **Quarere Dominum ex toto corde,** & tota tribulatione animæ suæ: Deuter. 4. Hof. 3. **Reuertit ad Dominum Deum suum,** & audire uocem eius: Deuter. 4. 4. Reg. 23. **Iudic. 5.** **Thren. 3.** **Redire ad Deum:** Hof. 11. **Exquirere faciem Dei,** 2. Par. 7. **Paulus 2. Corinth. 2. & 7:** *ἀπὸ τῆς ἐξουσίας τοῦ Θεοῦ.* **Dolorem seu tristitiam secundum Deum uocat,** seu quam Deus operatur per concionem pœnitentiæ. 1. Pet. 5. **humilitatem animi appellare uidetur.** 1. Ioan. 4. **timorem appellat.** Cæterum obscurus est locus 2. Corinth. 7. Quoniam etsi contristauit uos in epistola, non me pœnitentem, etiam si pœnituerit, & c. ubi mirum est illud quod addit, **Etiamsi me pœnituerit.** Nam si fateamur Paulo displicuisse quod terius scripserat, sequitur non leuis absurditas, incôsiderato magis impulsu scriptam fuisse superiorem epistolam, quam spiritus directione. At uerbum Pœnitendi impropiè hic est positum, pro dolore capere. Paulus enim quum mœrore afficeret Corinthios, doloris partem capiebat ipse quoque: ac sæpè etià postea, cogitans quod eos durius tractauerit doluit. Verum contra consolatus est se, bona spe fructus inde peruenturi. Perinde ergo est ac si diceret: **Tametsi inuitus uos pupugi.** ac mihi doluit quod uobis durus esse cogerer: nunc dolere ob hanc causam desino, dū uideo utile uobis fuisse. Doluit ergo de ipsorum dolore, sed gauisus est de spe fructus: præsertim autem nunc, postquam lætus exitus contigit.

POLLVTVS, immundus, impurus, prophanus, communis, & similia, supra in uoce **CONTAMINATVS** exponuntur.

PONDVS, & **Ponderare** uerbum, sæpè per metaphoram ad spiritualem aut alioqui inuisibilem ponderationem, sicut & apud Latinos, nonnunquã etiam ad Dei regimen gubernationeq; transfertur. Prou. 4. **Pondera semitam pedum tuorum & omnes uias tuas dirigatur:** non declines ad dexteram aut sinistram: remoue pedem tuum à malo. ubi sequentia exponunt, quid sit præcedens **Ponderare:** nempe probare ac diiudicare, ut Paulus loquitur, & porro secundum rectum iudicium dirigere. Prou. 5. **Viam uitæ non ponderabis:** id est, non discas, nec ingredieris, scortum sequendo, in uitam ac felicitatem. Deus dicitur **Ponderare Spiritus,** Prou. 16. *itē corda,* Prou. 24. id est, cognoscere & diiudicare, aut examinare. Dicitur etiam **Ponderare callem iusti,** Prou. 26. pro, dirigere ac gubernare: quia in omni gubernatione, & omni actione, præcedit iudicium aut diiudicatio. **Ponderare** dicitur **Deus semitam furoris suo,** Psal. 48. pro munire, præparare uiam, ut expeditus celeriter progredi & fontes castigare possit. Est idem quod maturare pœnas. Cape tibi stateram ponderis, Ezechie quinto: pro, qua res ponderari solent. **Pondus,** uel **Onus** potius, solet significare quasuis molestias nos premetes: sicut & apud Latinos. Eodem modo etiam **Gravis & Grauari.** Psal. 55. **Proijce super Dominum onus tuum,** & ipse te sustentabit.

PONERE, uaria significata in Sacris literis habet, ut ex sequentibus exemplis patebit. Multa tamè eorum ad nostrum uerbum **Facere** reduci possent. Magna quoq; eorum uerbo in Hebræo sermone cœiunctio cognatioq; est cū uerbo **Dare,** adeò ut sæpè cœiungantur, sæpè etiam pro sese inuicem ponantur: sicut in uerbo **Dare,** & uoce **Mundus,** supra dictum est. **Aliquid ponere,** aut **in aliquid,** idem est quod **Facere** ut hoc sit illud, aut tale. Thren. 3. **Abrasionem aut peripsema & reiectamentum posuisti nos in medio populorum.** id est, fecisti ut essemus abrasio seu peripsema ac reiectamentum: seu ab omnibus haberemur pro tam uilibus fecibus, sordibus aut reiectamentis. Psal. 89. **Posuisti munitiones eius contritionem.** id est, fecisti ut contererentur, aut destruerentur, seu etiam essent terrori inhabitantibus ipsis. Psal. 52. **Ecce uir,** qui

qui non posuit Deum fortitudinem suam. id est, nō habuit eum pro sua fortitudine, aut pro suo opitulatore. Sicut mox sequitur, Confusus est in multitudine diuitiarum suarum. Psalm. 80, Posuisti nos litem uicinis nostris. id est, fecisti ut perpetuō eis causa certaminum ac belli essemus. Psalm. 39, Opprobrium stulti ne ponas me. id est, ne facias ut stulti seu impij me ludibrio habeant, ne sim eorum ludibrium. Hab. 3, Ponet pedes meos tanquam ceruorum. id est, efficiet ut habeam pedes ceruinos, seu uelocitatem ceruinā. Gene. 17, Ponam te patrem multitudinis gentium. pro, efficiam ut sis pater amplissimarum gentium. *Ponere aliquem familias*, Psalm. 107. Subleuat pauperes ab inopia, & ponit eos instar gregis familias. pro, facit ut numerosæ familiæ ex eis pagentur, quæ gregatim incedant aut habitent. Ponā te montem combustionis, Ierem. 51. pro, faciam ut sis sicut exusta ciuitas, aut rudera ciuitatis exustæ. Zach. 12 Ponam Ierusalem lapidem onerosum omnibus populis. Hebr. 1, Quem posuit hæredem omnium. id est, fecit ut sit hæres. Idem ualet *Aliquid ponere in aliquid*: ut, Ponere in desolationem: Ioel. 1, Posuisti uitam meam in desolationem. id est, fecisti ut esset desolata, seu desolasti eam. Iob decimosextimo, Diem ponere in noctem. id est, facere aut dicere diem esse noctem, seu (sicut inquit Isaias) Væ ijs qui dicunt malum bonum, & bonum malum: & qui ponunt tenebras in lucem, & lucem in tenebras: qui que ponūt dulce in amarum, & amarum in dulce. id est, sermone suo faciunt, iusta ac uera piæque esse iniusta, falsa ac impia. *Ponere in gentem aut in multitudinem*, Genesis 17, Ponam te in gentes, & reges ex te orientur. id est, efficiam ut ex te gentes propagentur. Deuteron. 10, Ponam te in multitudinem, sicut stellas cæli. Ezek. 36, Gentes quæ posuerunt sibi terrā meam in hæreditatem cum læticia totius cordis. id est, quæ fecerant sibi eam hæreditariam. *In laudem ponere*. Et ponam illos in laudem & in nomen: Zoph. 3. id est, efficiam eos celebres & laudatos. *Ponere in uirum principem*: Exod. 2, Quis posuit te in uirum principem super nos? *Ponere animam in uitam*, Psalm. 86. pro, facere eam uitalem, aut uiuere. Ponam Samariam in aceruum cæpi, Mich. 1. *Ponere super aliquem, aut in aliquo aliquid*, est eum illum donare, ornare, deformare: ut cū Deus dicit, Posui adiutorium in potente, Psalm. 89. id est, donauit Dauidem uictoria seu liberatione populi mei. Sic etiam benedictionem ponere super aliquem, dicitur Exod. 3. 2. *Gloriam super aliquem ponere*: Psalm. 21, Gloriam & decorem posuisti super eum. id est, donasti & ornasti eum gloria & decore. *Ponere fœditatem super aliquem*: Ezek. 23, Ponent fœditatem uestram super uos. id est, puniendo & perdendo uos, rependent uobis facinora uestra, perinde ac si uos præmijs nostrorum scelerum ornarent. *Ponere peccatum super aliquem*, est ei imputare, eiusque peccatis eum castigare: Num. 12. Non posuit Deus super hominem quod futurum est: Iob 34. pro, nō dotauit eum scientia futurarū rerum, multo minus in eius arbitrio aut potestate id collocauit. *Ponere aliquid coram se, aut alio, est proponere*. Exod. 20, Hæc sunt iudicia quæ ponent coram eis. id est, propones eis discenda & seruanda. Exod. 19, Posuit in eorum conspectu uerba ista. Aliquando comparare significat. 1. Sam. 2. Ne ponas ancillam tuam coram filia Belial. id est, non conferas me cū tali, ne habeas me pro tali. Vicina huic significatio est, cum dicimur Deum ante nos ponere. id est, in eū semper respicere agendo & patiando, in ipso fidendo, eūque inuocando & timendo. Psalm. quinquagesimoquarto: Non posuerunt Deum coram se: pro, nullam Dei rationem habuerunt. Psalm. 86. Non posuerunt te coram se: id est, nullam tui rationem in sua uita habuerunt. Psalm. 16, Posui Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ideo non labar. id est, pro-

posui, in eumque respexi, tanquam præsentissimū meū adiutorem ac seruatorem: Septuaginta & Vulgata uerterunt, Prospiciebam. Vicinum huic est quod dicitur Iob 4. Ecce in seruis suis nō reperit ueritatem, & in angelis suis posuit stulticiam: Vulgata habet Reperit. id est, ibi existentem conspexit, sicut homo Deum ante se existentē fide conspicit. *Ponere in auribus, in ore, & in manu alicuius* aliquid, dicitur, pro exponere alieui aliquid negocium, eūque demandare Exod. 17, Pone in auribus Iehofuz, quōd delendo delebo de sub cælo Amalec. pro, inculca ipsi, eiusque successoribus gubernatoribus. Luc. 9. Ponite uos in auribus uestris. Sic Virgilius:

Sensibus hæc inis, res est non parua, reponas.

Ponere in alicuius ore uerbum, Num. 13. Esther 8. pro, instrue eū quid loqui debeat, ut supra in uoce O S dixi. Sic ponens in nobis sermonem reconciliationis, 2. Cor. 5. pro, demandans nobis hanc functionem aut legationē reconciliationis prædicandæ & offerendæ. *Ponere in ore canticum*, Deuteron. 31. id est, docere ut memoriter canant, ut supra in uoce O S dictum est. *Ponere animā & sumere*, Christus usurpat pro mori & resurgere. Sed Psalm. 131, Si nō posui, & silere feci animam meā: pro, si non adæquauit eam ablactato. Aliud uerbum Hebræum in hoc dicto est. *Ponere non raro idem ualet quod, castra contra aliquem ponere, aut etiam aciem instruere*. Psalm. 3. Non timebo à 10000 populorum, qui circumquaque posuerunt aduersus me. subaudi, castra. 1. Sam. 15, Recordor quid fecerit Amalec Israeli, quōd posuerit illi, quando ascendebat de Ægypto. subaudi, infidias, uel exercitum. 1. Reg. 20. Ponite, & posuerunt contra ciuitatem. subintellige, aciem. Isa. 22, Ponendo ponent contra portam. id est, aciem suā dirigent, illic oppugnaturi ciuitatem. Eodem sensu, aut facta ad hanc phrasim allusione, dicitur Proverb. 24, At in interioribus suis dolum ponent. id est, fraudem, ut instructam quandam aciem alieno exitio insidiantem, dirigent. Huc alludit etiam Psalm. 109, Posuerunt aduersus me malum pro bono, & odium pro dilectione mea. *Ponere aliquid alicui*, est ei aliquid boni aut mali facere, struere aut parare. Exemplum prius proposui, quōd Amalec posuerit Israeli: 1. Samu. 15. Isaiæ 42, Gloriam ponant Iehouæ, & laudem eius annuncient in insulis. pro, promoueant. Isaiæ 61, Ad ponendum lugentibus in Zion, ut dem illis decorem. id est, faciendam aut parandā ibi eis fœlicitatem. 2. Samu. 14, Ut non ponant uiro meo nomen. id est, faciant. Psalm. 9, Pone Domine timorē illis. pro, fac, aut incute. *Ponere faciem suam*: id est, dirigere suum corpus, aut etiam animum in aliquid propositum. Ieremiæ 42. Si ponēdo posueritis facies uestras, ut eat in Ægyptum. Significat hæc locutio firmū habere propositum aliquid agendi. Sic Christus dicitur obfirmasse faciem suam, ut iret Hierosolymam, Lucæ nono: item Lucæ uigesimoquarto. Videbatur præ se ferre talem uultum ac gestum, tāquam longius iturus. Sic 1. Regum secundo: Super me posuit totus Israel faciem, ut regnem. id est, omniū animi ac uota in me conuersa erant, aut in me consenserant. Simili ratione dicitur *Cor ponere*, pro intendere in aliquid cogitandum ac expendendum: Isaiæ 41, Priora quæ fuerunt annunciate, & ponemus cor nostrum. Sic & Latini in uerbo *Animaduerto* dicunt, uertere animum ad aliquid. Iob 2, Posuisti ne cor super seruum meum Iob? id est, considerasti ne eum? Hag. 1, Ponere cor super uiam, est aliquid opus alacriter aggredi & perficere. 1. Samuel. 4. Non respondit, nec apposuit cor. Si diuitiæ abundauerint, ne apposueris cor. id est, ne cures. Sic 2. Samuel. 18, Si fugiendo fugerimus, non ponent super nos cor. pro, non magnificiēt, non putabunt se uicisse, te modo saluo, nec reliqui tam faciliē deficient. Aliquando uerō in talibus locutionibus subauditur cor. Isaiæ 41. Vt

Vt uideant & ponant, cognoscant ac intelligant. Sic Isaię 44: Pone cor tuum, & uide. Sic Iud. 19. Ponite uos super eam. subintell. Cor. id est, diligentissimè expendite istam uolentiam mulieri Leuitę illatam. Dicitur & contrā, aliquid ponere super cor, aut in cor. Plurima omnino sunt exempla, ubi hoc uerbum cum uarijs nominibus coniungitur, potestq; commodissimè per uerbū facere exponi. Exod. 10. Erant ex eis mulieres, & posuerant filios. id est, fecerant aut pepererant. Sic Latini dicunt gallinas ponere oua: pro, parere. & Homerus dicit, iram Achillis multa mala posuisse Achillis. Exod. 4. Quis posuit os homini, quis posuit surdum & mutum? id est, fecit. Sic præceptum posuit Esdr. 6 & 5. pro, fecit, aut præcepit. Posses igitur sæpe tales locutiones per uerbum ex adiuncto nomine formatum, aut unde nomen uenit, exprimere: ut, ponere ædificium, pro ædificare: ponere lucem, pro illuminare: ponere præceptum, pro præcipere: Ponerem sermonem ad Deum, Iob 5. pro sermōcinari aut loqui: id est, orare. Exod. 15. Ibi posuit Israeli statutum & iudicium. id est, statuit, ordinauit. Psal. 9. Ponere alicui timorem. pro, facere, aut incutere. Ponere signa & portenta in Ægypto, Hier. 32. & Psal. 105. id est, facere miracula, seu (ut ita dicam) miraculare. Ponere uiam. Psal. 33. id est, facere aut complanare, seu rectè dirigere uiam ac uitam suam. Quis uiuet in ponendo istud? Num. 24. pro, cum hæc fient, quæ iam prædico? Ponam ex margaritis fenestras tuas, & ex carbunculis portas tuas: Isaię 54. pro, faciam, cōstruam. Ponere fœdus, 2. Sam. 23. pro, facere. Ponere aliquem ut clibanum ignis in tempore ire suæ, Psal. 21: id est, ut ligna in clibano exurenda perdes eos. Ponat te Deus ut Ephraim, Genesis 48. pro, sic te beet ac multiplicet, sic te faciat beatum & auctum. Genesis 6, Pones ostium in latera arcæ: id est, facies. Sic poeta, Posuitq; immania templa: pro fabricauit. Sanguinem ponere in domo, est onerare domum suam reatu cædis. Deuter. 22. Sensus est: Ne præbeas causam mortis alicui ruenti de tecto tuo, non circumposito septo aut cancellis. Tempus ponere, est constituere certum tempus. Exod. 9. Et posuit Iehoua tempus. Isaię 38: Posui usque mane, scilicet tempus aut terminum uitæ meæ. Manum cum aliquo ponere, est consilia, conatus & operas in aliqua re coniungere. Ne posueris manum tuam eum impio, Exod. 23. Aliquem cum aliquo ponere, est eum illi conferre, equare, similiter tractare. Iob 30: Quorum spreuissim patres ponere cū canibus meis. pro, æquare eos illis noluissem. Partem eius cum hypocritis ponet, Matth. 24: pro equabit eum illis. perinde tractabit eum. Sic ponere aliquem coram aliquo, est conferre eum cum illo: ut suprā dixi de loco 1. Sam. 2. Ne ponas ancillam tuam coram filia Belial. Verbum pono simplex, sicut & alia Hebræa, sæpe in uetere ac nouo Testamento pro composito usurpatur: quia illi carent compositis. ut Iohan. 2. Vnusquisque primum bonum uinū ponit id est, apponit aut proponit. 2. Regū 6. Pone panem & aquam coram eis. id est, appone, aut propone. Sic Martial. ad Ligurinum lib. 5. Nolo mihi ponas rhombum Iohan. 13. Surgit à mensa, & ponit uestes. pro, deponit, exiit. 1. Corinth. 16. Vnusquisque uestrum apud se ponat. pro, seponat. Matth. 24. Partem eius eum hypocritis ponet. pro, seponet. Posuit Paulus in Spiritu Actor. 19. id est, proposuit, decreuit. Posuit Daniel in corde suo, ut se non pollueret in cibus regijs. id est, proposuit, decreuit. Ponere, sæpissimè ordinare, constituereq; denotat. Iohan. 15. Posui uos ut abeatis, & fructum feratis. id est, ordinaui, constitui. 1. Corinth. 12. Posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos. id est, proposuit, ordinauit, constituit. Sic ibidem: Vt Deus unumquodq; membrum in corpore posuit. Non posuit nos Deus in iram: 1. Thessal. 5. Ponens me in ministerium: 1. Timoth. 1. & mox 2. ac 2. Timoth. 1. In quo Euangelio

ego positus sum præco. Ponere iudicium ad funiculum, est rectè seueriterq; iudicare, aut iudicium dirigere. Isaię 28. Ponam iudicium ad funiculum, & iusticiam ad trutinam. Mendacium ponere spem suam. Isaię 28. Posuimus mendacium spem nostrā. id est, proposuimus nobis falsam religionem, & uanas hominum uires pro saluari opulatore aut seruatore colere ac magnifacere. Ponere os in terra, aut puluere, est, humiliter & submisse loqui. Thren. 1. Sicut contrā est Græcorum pro uerbum, De curru loqui. Ponere aut accipere animam in manibus, est, semet in discrimen conijcere. Iudic. 12. 1. Sam. 19. Ponere manus super aliquem, Num. 27, est testificari de aliquo: siue in malam partem, quod est damnare: siue in bonam partem, quod est promouere ac ordinare eum ad aliquam dignitatem. Quod Paulus crebro imponere manus alicui dicit. Causa huius locutionis est, quia testificantes sic solebant imponere manus ei, de quo testificabantur. Nomen suum alicubi ponere, est gloriosum ibi se efficere. Hoc de Deo dicitur Num. 6. Deuter. 12. Ibidem mox dicit, Vthabitet ibi nomen suum. Sic 1. Sam. 7. Ad ponendum ibi nomen sibi. Ponere locū populi, ibidem, est præparare.

¶ Ponere populum seculi, Isaię 44. est creari homines à Deo. Locus magni momenti uenit hoc tempore in controuersiam, 1. Petr. 2: Christus est petra offendiculi, & lapis scandali ijs qui offendunt ad sermonem, inobedientes, in quod & positi sunt. Vbi quidam uertit, Ad quod etiam conditi sunt. Quę uersio primum displicet mihi propter sensus impietatem. Deus enim neminē ad hunc ipsam finem condidit, ut Christo eiusq; Euangelio repugnaret, sed omnes tales nunc naturā nascimur: quia uitio Satānæ & inobediencię primi hominis, natura nostra prorsus corrupta & Deo aduersa facta est. Deinde ipsis etiam uerbis textus uersio illa nō respondet. nam Condi ad aliquid, significat ipsius Dei uoluntate ac consilio, sine omni nostra culpa, ad hunc pessimum finem ordinari, quin & ab initio statim sic creari. At Poni, ut maximè intelligas à Deo poni, intelligi tamen potest de nostra culpa: ut cum Paulus Roman. 1 ostendit, ideo aliquos in reprobum sensum esse datos (quod uerbū diximus sæpe eandem planè uim habere cum Poni) propterea quod agnitum Deū non rectè coluerint: sicq; fons tantæ impietatis in hominis culpa, non in Deo, qui impietatem nō uult, residet. Posset etiam de sola quadam permissione accipi: uel etiam, quod uel à seipsis, uel à diabolo, cuius sunt mancipia, in omne eius obsequium parata, ad tam nefariū opus aut conatum sint directi: quomodo exponit & Oecumenius, quod sua uoluntaria malicia in illud nefarium munus sint constituti. Denique non est necesse, semper uerbis passiuus mox autorem, à quo ea actio proficiscitur, dari: sæpe enim tum actiua, tum passiuua Hebræorum uerba simpliciter tantum existentiam significant. præsertim si passiuus ablatius personę agentis nō additur: ut Rom. 7. Ego uenditus sum sub peccatum. ubi non necesse est intelligere, me à Deo aut à quoquam alio uenditum esse: sed simpliciter indicat Paulus, hominem esse mancipium Originalis peccati. Sic & Elias dicit, Achabum esse uenditum ad hoc ut faceret malū: num quæso necesse hic est intelligere, eum à Deo uenditum esse? Sic Rom. 1. Vani facti sunt in ratiocinationibus eorum, & obtenebratum est non intelligens cor eorum. Et mox, Stulti facti sunt. ubi non est necesse dici, eos uel à Deo, uel ab alio quouis uanos & stultos factos, & cor eorum obtenebratum esse. Sic ibidem 3 cap. Inutiles facti sunt. Et, Non iustificabitur in conspectu Dei ulla caro. Vasa præparata ad interitum Rom. 9. 22. Vasa præparata ad bonum usum 2. Timoth. 21. Crediderunt, quotquot præordinati erāt aut parati Act. 13. 48. Talia sunt innumera exempla passiuum

in Sacris literis, ubi uerba falsiua neutralem quandā significationem habēt, & simplicem tantum nudamq; rei existentiam declarant. Sic itaq; & hic dicuntur impij in hoc positi, aut tales esse, ut resistent, aut non obediunt sermoni de Christo, Quod si uerō illius uersio lo cum habeat, necesse est intelligi, Deū impios ad hoc ipsum nefarium scelus creasse. Porro qui ita uertit, suū hunc sensum probate conatur ex Rom. 9. cap. ubi dicitur, uasa iræ preparata ad interitum. Verū ibi Paulus non dicit, Deum illa uasa ad interitum condidisse, sed tantum multa patientia pertulisse: quod ex diametro pugnat cum illius sententia. Ea enim demum dicimur multa patientia tolerare, quæ ipsi non fecimus, quæq; nobis extremè displicent ac molesta sunt. Quod si Deus ipse autor esset & conditor talium uasorū, non posset certè dici ea magna patientia pertulisse. Conatur & confirmare dicto 1. Thess. 5: Non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem. unde infert, Deum constituisse quosdam ad interitum. Lenius autem uertit ibidem *id est*, per Constituit. Rectissimè autem & hoc ei opponi potest quod diuersarum specierum non planè in omnibus diuersa est ratio, sed in aliquibus tantum: nec mox quod uni adimitur, alteri tribuitur, aut contrà. Non igitur ualeat consequentia: Deus nos non constituit in iram: Igitur aliquos alios constituit, aut ad hoc mox initio finxit. Quin & 1. Thess. 4 inquit Apostolus: Non enim uocauit nos Deus ad impuritatem, sed ad sanctificationem. Vnde tamè nequaquam colligere licet, Deum aliquos uocasse ad impuritatem. Ne autem diuersa quis hæc loca esse dicat, collocentur iuxta se inuicem: unde apparebit ea & loquutionis forma, & rerum cōuenientia simillima esse. Non posuit nos Deus ad iram, sed ad salutem: Non uocauit nos Deus ad impuritatem, sed ad sanctificationem. Sed de hoc Hebraismo, etiam in Regulis Vniuersalibus uide. Quod porro hoc uerbum ualde uicinum sit uerbo *Dare*, suprà in uerbo *Do*, & *Mundus*, prolixius ostendi.

POPVLVS Latinis significat propriè cœtū unius ciuitatis, certo iure & communiōe officiorum, societatum, & ab uno magistratu, præsertim superiore, gubernatum. Sed Hebræis, sicut & Germanis, aliàs paucos homines, aliàs etiam amplissimam multitudinem in una existentem, etiam si ad breue tempus una sit, & nullis colligetur legibus, iuribus aut magistratib; De parua multitudine, Gen. 33. Relinquam quæso aliquos tecum de populo, qui est tecum. Gen. 35. Venit Iacob & omnis populus qui erat cum eo in Luzam. Sæpe dicitur de cœtu militari, ut Iud. 8. Date panem populo qui est in pedibus meis. *Multus populus*, pro multis hominibus: Num. 21. Mortuus est multus populus ex Israele: Germanicè, *viel volcks ist gestorben außs der Stadt*. *Esse in cœtum populorum*, Gen. 20. id est, gignere & propagare numeroissimam posteritatem, ut sit integra gens, aut etiam plures. Sic Gen. 48. Erit in populos, atq; etiam ipse erescet. *Secundum ingressum populi*: id est, ut solet integra turba irrumperere nempe confertim, & cum quodā strepitu & imperu. Ezech. 33. *Populus militum*: Num. 31. Residuum prædæ quam prædati sunt populus militiæ, pro, milites. *Populus mundi*. Isaia 44. Ex quo posui mihi populū mundi, aut seculi, pro, homines creauit: aliqui uertunt, Populum sempiternum, & intelligunt de angelis & stellis. *Populus est in malo*, id est, malus, prauus ac peruersus. Exod. 32. Ne irascatur Dominus meus, tu scis istam populum, quod sit in malo: id est, prauus. aut forte idem dicit quod Iohannes, Totus mundus in maligno positus: id est, quasi immersus in diabolū. *Populus terræ*, plerunq; ignobile uulgus est, aut alioqui communes aliqui homines, qui non sunt in magistratu aut summa dignitate. 2. Reg. 25. Et septuaginta uiros de populis terræ. Ezech. 22. Populus terræ opprimebantur

oppressione. id est, uulgus. Dan. 9. Qui locuti sunt regibus, principibus & patribus nostris, & toti populo terræ. *Populus Iehouæ*, aut *Dominus*, est Ecclesia, in ueteri Testamento. Sic primū sunt appellati omnes Israelitæ, postea soli Iudei potissimū. 2. Sam. 1. Luxit Dauid propter populum Dei. id est, ob cæcos Israelitas cum Saule & Ionatha. *Populus Israelis*, idem quod Israel. Isa. 2. Idem est *populus Dei*: Hebr. 4. Relinquitur Sabbatismus populo Dei. Filij populi tui loquuntur de te. Ezech. 33. ubi hæc locutio sæpius iteratur: pro, populares tui. Verū *filia populi*, Isa. 22. significat ipsam congregationem aut cœtum populi Israelis: Ne consolemini me super populationem filij populi mei, id est, deuastatione gentis Israeliticæ. *Populus Dei pauper*: pro, pauperes de plebe aut uulgo. Exod. 22. Si pecuniam mutuò dederis populo meo pauperi, qui est tecum. id est, tenuissimæ sortis Israelitis. *Aggregari ad populos suos*, est mori. Num. 27. Aggregaberis aut cōgregaberis ad populos tuos, sicut Aaron frater tuus. Eadē locutio repetitur. Num. 31. Sic ibidem 20 legitur, Congregabitur Aaron ad populos suos: id est, morietur. Aliquando significat etiam sepeliri. Gen. 25. Et exspirās mortuus est Abraham, & collectus est ad populos suos: pro, sepultus est. Sic Gen. 49. Obijt, appositusq; est ad populos suos: pro, ad suos maiores sepultus est. *Excitū ex populo suo*, aut ex medio populi sui, Exod. 30. & Leuit. 17. est, p mortē diuinitus inflicta extirpari aut deleri ex populo Dei. Aliqui de sola excōmunicacione exponūt, quæ nō opinor esse huius loci sensum. *Populus Chamos*, Num. 21. significat populū colentē Chamos idolū, nempe Moabitas. Populus tuus spontaneus in die uictoriæ suæ: Psal. 110. i. cultores tui erūt alacres & prompti in celebrādo te, postq; eos liberaueris ex tyrannide peccati, mortis & satanæ. Populus acquisitionis habet *Vulgata* 1. Pet. 2. Græcus, In acquisitionē, subintell. salutis: aut, quæ sibi Deus, tanquā quendā preciosum thesaurum, in regno cœlorū repōnendum, acquirit. de quo in uoce *Peculij* dictum est Populi qui ambulabāt in tenebris, uiderūt lucem magnā: Isaia 9. Matth. 4. id est, gentiles ignari Dei, quin & ipsimet Israelitæ malè seducti. Populus hic in malo est: pro, malus est, dicit Exod. 32. Aaron ad Moysen. *Populus stultus & insipiens*, uocatur à Moyse populus Israeliticus, Deuter. 32. ubi id de innata stulticia, seu de corruptione originali, intelligendū est. Sic & Osee 4 nominatur. Vocabo non populū meum, populū meum: & non dilectam meam, dilectam meam. Et erit, in eo loco ubi dictam eis est, Non populus meus uos, ibi uocabuntur filij Dei uiuentis: Hosea 1. 2. & Rom. 9. 1. Pet. 2. id est, eos faciam meos cultores, qui antea me ignorauerunt, colentes idola. Populus Dei igitur est correlatiua uox, sicut *Seruus*, sic sæpe dicitur, Eritis mihi in populū: 2. Corinth. 6. Hebr. 8. Ipse seruabit populū suū à peccatis suis, Matth. 1. Populū humilem seruabis, Psal. 18. id est, afflictos liberabis. Desijt Ephraim esse populus: Isa. 7. id est, prorsus perijt, deletus est ex numero gentium. Populus interfectionis, Isaia 34. est populus ad exitiū destinatus. Dedi te in fœdus populi, Isaia 49. id est, ut populos tecum confederares, aut reconciliares, ut te mediatore cum eis fœdus ac coniunctionē sanctam ac ipsis salutarem facerem. *Non ire in uia populi*. Isa. 8. est eius mores ac uitam, præsertim in praua religione, non sequi. Sæpe Populus idem est in Sacris, qd gens aut natio quæuis populi: in plurali numero, aliquando unam aliquam turbam significat. Act. 14. Cum populis uolebat sacrificare: id est, cum turba illius ciuitatis. tamen si in Græco sit, Cum turbis. Verū Act. 4. clarè pluralis numerus pro singulari ponitur de Israele. fortè ppter plures trib. cū gentib; & populis Israel.

PORCVS, animal immundum, non tantum corpore, sed & religionis immundicie habitus est, non tantum

rantum Iudæis, quibus ut immundum animal fuit interdicitus: sed etiam Ægyptijs, qui (teste Herodoto) id adeo pro immundo habuerunt, ut si quis uel per transitum esset ab eo contactus, mox ad lotionem properauerit. Prouerbialiter Iudæis, porcus lotus rediens ad uolutabrum, significauit eum qui post poenitentiam ad priora scelera redijt. 2. Pet. 2. Porro cum Christus uetat margaritas porcis obijci, indicat per metaphoram Epicuræos, & alios contemptores Dei ac eius uerbi, qui conculcare superbè solent preciosissimas margaritas uerbi Dei. quod fit etiam, cum securis ac incontintris Euangelium & remissio peccatorum annunciat. Vide Adagia Eras. Chil. 3. cent. 5. adag. 15.

P O R T A pluribus modis accipitur. Primum enim, quia olim Reges, Iudices, & optimates multum in portis ciuitatis uersari solebant, siue custodia causa, siue quia in illis feruidis regionibus in talibus locis refrigerationem auræ captarunt, quæ in angustijs loci plerumque spirat uehementius (sicut etiamnum in Italia fieri in porticibus solet) siue alia aliqua causa, aut mera etiam consuetudine: ideo ponitur uox *Portæ* per catachresin, pro loco nobilissimo, ubi optimates uersantur, & pro loco iudicij, item pro regimine, magistratu, ac potentia alicuius urbis aut regni. Amos 5, Constituite in porta iudicium. Zach. 8. Veritatem & iudiciū pacis iudicate in portis uestris. Hierem. 26, Principes Iuda federunt in porta Domini noua. Sic & 36 capite legitur. Porro 38 eiusdem est, Rex sedebat in porta Beniamin. Hodierna etiam die Turcæ appellant palatium eorum tyranni, *Portam*. Notus in portis uir eius, cum sedet ipse cum senioribus terræ. Prouerb. 31. id est, ubicunq; in loco celebriori, ubi optimates conuenire solebant. Sic Ruth 4 est, Booz ascendens ad portam, con-sedit illic. id est, in foro iudiciali. Iob 5. Conterentur in porta. id est, in iudicio publico sistentur & condemnabuntur. Psal. 127. Non confundentur, cum loquentur cum inimicis suis in porta. id est, pater stipatus pluribus iam robustis ac maturis filijs, contendensq; in iudicio aut senatu cū aduersario, non facile opprimetur. Zach. 8. Iudicium pacis iudicate in portis uestris. Prouerb. 22. Neq; cōteras egenum in porta: id est, in iudicio aut foro iudiciali. Sic Deut. 21 iubetur filius inobediens adduci ad iudices, ad portam ciuitatis. Prou. 24. Stultus in porta non aperiet os suum. id est, non audebit loqui ob imperitiā. Aliquando pro loco ministerij accipiuntur. Psal. 9. Ut narrent omnes portæ Zion laudes tuas in portis filij Syon. id est, in loco ubi cœtus cōgregari, & conciones fieri solent. Sic dicit Isai. 29. Arguentem in porta illaqueabant. id est, prophetas calumniabantur. *Laudare aliquem in porta*, Prou. 31. est, prædicare eum in loco publico & frequenti. Sic sapientia dicitur eloquia sua dicere in ostijs portarum: Prou. 1. pro, in locis frequentibus & celebribus ciuitatis. *Porta* aliquando significat iudices, senatum, aut etiam totum populum. Ruth 3. Scit uniuersa porta populi mei. id est, senatus & totus populus. *Porta* non raro ipsas ciuitates significat, posita parte pro toto. Gen. 22. 24. Semen tuū possidebit portam inimicorum tuorum. Deut. 16. Non poteris sacrificare Pesach in aliqua portarum tuarum. Ibidem: Iudices & præfectos constitues in omnibus portis tuis, quas Deus dabit tibi secundū tribus tuas. Ibidem 23. Tecum habitat in medio tui in aliqua portarum tuarū, ubi ei placuerit. *Esse aut habitare intra portas alicuius*: Deuter. 12 & 24. Qui sunt in terra tua intra portas tuas. pro, qui habitant in tua patria, & in tua ciuitate. Sic utitur hac uoce Psal. 87. Diligit Dominus portas Syon plus quàm omnia tabernacula Iacob. *Portæ terræ* sunt extremitates, aut etiam ingressus aditusq; terrarum. Ierem. 15. Ventilauit eos uentilabro in portis terræ. id est, dispersit eos sicut stramen minutū, aut glu-

inæ granorum latè dissipatur à uento, dum uentilatur frumentum. Posses tamen hic etiam ciuitates per portas exponere, manente eodem sensu. *Urbs portarum*, & uectis, est ea quæ claudi solet. 1. Sam. 23. Ingressi urbem portarū & uectis. *Portæ mortis* sunt extrema pericula, quæ præsentem mortem intentant. Psal. 9. Qui exaltas me de portis mortis. id est, qui liberas me à maximis discriminibus. Idem ualet aliquando *Porta inferorum*. Isaiæ 38. Dixi in dimidio dierum meorum, Vadam ad portas inferi, priuatus reliquis annis meis. id est, statui mihi omnino moriendum esse. Ad quam locutionē Paulus alludere uidetur, cum dicit: Responsum mortis in nobis accepimus. Psal. 107. Omnem escam fastidiebat anima eorum, peruenerunt ad portas mortis. id est, ad ipsam mortem, iamiam erāt morituri. Sic Homerus quoq; Iliados 9. portis inferorū utitur, cum dicit Achilles, sibi perinde exosum esse eum qui aliud simulat quàm in corde habet, ac ipsas portas inferorū. Videntur enim ei mortem significare, sicut supra Ezechia. Ut dicat Achilles, talem hominē sibi perinde exosum esse ac mortem ipsam. Portas mortis, Iob 38. puto accipi pro ipso inferno: quia mors omnes ad inferos deducere uidetur, & cōmuni gentium opinione ac sermone mortuorum & inferorum sedes sub terra collocatur. inquit autem textus ibi, Num reuelatæ sunt tibi portæ mortis, & portas umbræ mortis uidisti? *Portæ inferorum* significant ipsum regem ac principes inferorum, totamq; eorum potentiam. Sub qua locutionē etiam impius mundus, tyranni & seductores, qui sunt diabolorum organa, comprehenduntur. Matth. 16. Et portæ inferorum non præualebunt contra Ecclesiam meam. *Portæ iusticiæ*, & *Porta Domini*, Psal. 118, est ipsum tabernaculum aut templum, nempe ministerium uerbi ac Sacramentorum, per quod intratur in templum Domini, ac in ipsam iusticiam & pietatem. Aliqui de Ecclesia exponūt, quod huic uicinum est. nam quamdiu extorris fuit, hæc portæ non patuerunt ei, fuitq; ueluti exclusus ex Ecclesia Dei. Aliqui uolunt ideo dici portas iusticiæ, quia tantum iusti intrent per eas, ut mox ibidem sequitur, Ego uerò credo potius ideo portas iusticiæ & Domini uocari, quia per eas, id est per ueram doctrinam ac religionem intremus ad uerā iusticiā, & ad Deum ipsum, qui nobis sit propitijs. Verba uerò Psalmi hæc sunt: Aperite mihi portas iusticiæ, ut ingrediar in illas, & confitear Domino. Hęc est porta Domini, iusti intrabūt in eam. Eandem credo esse huius locutionis rationem, cum Iacob Gen. 28. inspecta nocturna uisione, timens & tremens inquit: Quàm terribilis est locus iste, utiq; est domus Dei, & porta cœli. Quare etiam locum eum uocauit Bethel. Credo autem ipsum per Domum dei & portam cœli uelle significare, locū Deo sacratū, quem sibi Deus delegerit, ut ibi esset ministerium doctrinæ & sacrificiorū. Ideo autem doctrinæ & cultus tractatio dicitur porta cœli, quia nos ad cognitionem Dei ac filij eius perducit: & præsertim, quia nobis Meschiam proponit, qui est uerum ostium ac uia ad patrem. Sicut ibi tota pictura scalæ à terris in cœlum ad Deum potrectæ, & mediatorem significatis proponitur. Leuate portæ capita uestra, & eleuemini fores mundi: Psal. 24. ubi per portas uidentur significari ipsi principes ac reges, quos iubet spiritus S. intromittere Meschiam Domini. Quod autem iubet leuari capita, credo esse allusionem ad cataraçtas, quæ prope descendunt ex turribus supra portas, quæ subleuari & demitti solent. *Esse aut uenire ad portam alterius*, est eius opem implorare, ac ueluti mendicare: sicut fieri solet, & olim clientes portas potentium Romę frequētabant. Prou. 14. Incuruantur mali ante bonos, & impij ante iustos. *Lugere & ululare portus*, Isaiæ 3. 14. Ierem. 14. significat grauius affligi regionem, eoq; magnates & gubernatores esse

esse in luctu. *Portus esse perpetuo apertus*, Isa. 60, significat pacem profundam, & perpetuam frequentationem. *Portus crevis confringere*, Isa. 45, est loca munita uastare. *Porte fluminis aperta sunt*, Nahum. 2. aliqui de ponte exponunt, sed rectius intelligitur de claustris aluei, & muro Ninive à flumine deiecto, de quo ita scribit Diodorus Siculus lib. 3. fabulosa historia: Erat enim responsum progenitoribus datum, nunquam Ninam capi posse, nisi cum fluuius urbi hostis fieret. Quod rex nunquam futurum ratus, spem ceperat obsidionis traducendae, & simul futura auxilia expectabat. Hostes urbem, quã propter mœnium altitudinem expugnare nequibant, obsedere. Nondum enim catapulte, neque uinearum, neque arietis quo muri urbium deiiciuntur, usus erat. Iis qui in ciuitate erant, omnes ad uictum res, & obsidionem tolerandam necessariarum, regis cura ad id antea impensarum, supererant. Cum duobus annis obsidio perseverasset, per summum ocium obsessorum, tertio continuus imbribus excrescens supra modum fluuius, cum partem urbis inundasset, muros deiecit ad stadia uiginti. Hic rex existimans tempus oraculi aduenisse, desperata salute, ne in hostium potestate perueniret, pyram in regia ingentem extruxit, superque eam auro argentoque omni, uelut in super regia, impositis uxoribus quoque ac eunuchis in medio pyræ inclusis, se cremandum unã cum his in ignem iniecit. Hostes audita regis morte, urbem per eam quæ ab oraculo predicta erat muri partem ingressi, Arbacem regia stola indutum regem appellarunt, omnium sibi rerum potestate permittit. Hæc Diodorus. Hinc liquet, portas fluminis esse dicta illa eius claustra & uicina mœnia, quibus prohibebatur introitus hostibus per flumen. *Lata & angusta porta* à Christo Matt. 7. & Luc. 13 proponitur, quæ pictura aut metaphora indicat facilem & latè patentem aditum ad exitum: & contra difficilem, ad gloriam ac uitam æternam. Iosue 6, In nouissimo constitue portas eius: ubi indicatur à Iehosua, adeo maledictum ac puniendum à Deo fore eum qui reedificauerit anathematizatam Iericho, ut cum primum incepit eam extruere, sit ei primogenitus moriturus: dumque eam struit, omnes morituros esse, ita ut minimus natus pereat, cum iam omnibus absolutis portas eius fabricauerit. quod etiã accidisse, primus liber Regum cap. 16 testatur. *Due porta*. Dauid dicitur sedisse inter duas portas, operiens exitum praelij: 2. Sam. 18. Credo id ideo dici, quia munitiores ciuitates & oppida plerumque duas portas habere solent, interioresm & exterioresm: aliquæ etiam tres. *Ostium* aliquando idem significat quod porta: de quo suo loco dictum est. *Ostium portæ*, aut *Portarum* sæpe idem est quod porta.

PORTENTVM, uide infra in *Prodigio*.

PORTIO, supra in uoce *Partis* exposita est.

PORTO, uaria habet significata, tum ipsum uerbum per se, tum ratione adiunctarum uocum. *Portare scutum et hastam*. Periphrasis est armati. 2. Par. 14, Exercitus portans scutum & hastam: id est, illis armis munitus. *Portare onus*, res laboriosa ac molesta est. inde fit, ut uerbum *Portare* sæpe usurpetur pro *perpetui*, *tolerare*, aut *sentire aliquid molestum*, quod nos perinde grauet & premat. uel in conscientia, uel in fama, uel in ualetudine, uel in fortunis, uel in alia re, ut graue onus corpus gestantis premit, fatigat & molestat ut Matth. 20: Portauimus pondus & æstum diei. id est, omnes molestias operis totius diei. Hinc est illa ualde crebra in Sacris phrasibus, *Portare onus*, pro, quamcunque molestiam perpetui, Lucæ 11. Oneratis homines oneribus difficilibus portatu, uos autem ea digito attingere non uultis. id est, multas difficilesque traditiones & præcepta eis imponitis. Paulus Gal. 6 inquit: Alij aliorum onera portate, & sic implebitis legem Christi. ubi iubet, ut nos inuicem perinde iuuemus in suffragandis & auertendis molestijs,

ac qui unã iter faciunt, nonnunquam sese inuicem subleuant in ferendis sarcinulis, ut cum alius est nimium defatigatus aut debilis, alius aliquandiu eius onus gesserit, & uicissim ille hunc, re postulante, iuuet. Præclara & elegans est sententia Pauli Gal. 6. Unusquisque portabit onus suum. ubi duplicata metaphora, tum onus quauis rem molestantem, & præsertim pœnas ob peccata, tum uerbum *Portare* perpetui significat. Indicat enim. Paulus ueluti pro uerbo, aut etiam ænigmatè, fore ut quisque suorū benefactorum præmia accipiat, & contra malefactorū pœnas luat, patiaturque. Vicina est huic locutioni illa ualde in Sacris usitata, *Portare iniquitatem*, aut *peccatum suum*, quæ & ipsa in diuersa significata subdiuiditur. usitatissima tamen illa est, *Luere pœnas suis iniquitatibus promeritas*. Habet hanc phrasin illa celebris sententia: Filius non portabit iniquitatem patris, neque pater filij. id est, neque filius punietur propter patris peccata, nec pater propter filij. Cui contrarium est illud pro uerbo dictum: Patres comederunt uuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Leuit. 24: Quicumque maledixerit Deo, portabit iniquitatem aut peccatum suum. id est, punietur. sicut mox sequitur, quod lapidari debeat. Num. 14: Portabitis iniquitates uestras 40 annis. id est, perpetuis mortibus aut funeribus puniemini tanto tempore, donec omnis uirililis ætas aboleatur. Aliquando proprie significat aliquem onerari peccatis. *Facere portare* aliquem iniquitatè delicti, est onerare aliquem peccatis aut reatu. Leuit. 22. Neque facient portare eos iniquitatè delicti. Non proprijsimè hic de pœnis agitur, licet illarum ultrò ex culpa sequatur. Num. 30. Si dissoluerit uotum, postquam audiuit, portabit iniquitatè eius. pro, ipsi imputabitur id peccatum. Num. 18. Non portent iniquitatem ad mouendum. id est, ne peccent, sed culpa onerent, propter quam morte puniantur. Leuit. 22: Custodiant igitur obseruationem meam, ne propter hoc portent peccatum, & moriantur propter illud. id est, ne se onerent peccatis, ob quæ puniantur. Aliquando significat grauamen conscientiarum de peccato, aut reatum in conscientia sentire. Leuit. 5: Si anima peccauerit, & fecerit aliquid ex præceptis Domini quæ fieri non debent, & nescierit, & deliquerit, & portauerit iniquitatem suam, adducet arietem immaculatum, &c. omnino uidetur sensus esse, quod si tandem delictum rescuerit, & conscientiarum grauamen senserit, tum demum ea ratione quæ sequitur, peccatum suum expiet. *Portare peccata populi* dicuntur etiam sacerdotes, dum uictimis eorum peccata expiant, easque comedunt. Leuit. 10: Deus dedit uobis hostiam pro peccato, ut eam comedatis, & portetis iniquitatem populi, ac expietis eam Domino. Sic Aaron dicitur portare peccata sanctificatorum quæ sanctificant filij Israel: Exod. 28: Quasi si populus sua peccata in sacrificia transferret, & inde porrò in summum sacerdotem sacrificia comedentem transferrentur. Sic & Num. 18 inquit Moyses ad Aarōnem: Tu & filij tui, & domus patris tui portabitis iniquitatem sanctuarij: Tu quoque & filij tui portabitis iniquitatem sacerdotij uestri. Et mox ibidem etiam Leuitæ dicuntur portare iniquitatem suam, dum exequuntur ministeria tabernaculi. Credo autem hæc locutionem tribui sacerdoti typicè, quatenus refert figuram illius unici ac summi pontificis, qui solus uerè peccata mundi in corpore suo tulit, & ferendo expiauit. Sic & hircus in desertum ablegatus, dicitur portare peccata populi: Leuit. 16. ubi singulari ceremoniam omnia peccata populi nominando, ac numerando ea, in hircum congeriebantur. Omnia autem illa significabant uerum ac æternum sacerdotem, seu agnum, peccata mundi tolerantem. *Portare etiam dicuntur homines suum scelus*, Ezech. 16: Scelus tuum & abominationes tuas portastis. pro, afflictus fuisti ratione scelerum tuorum, & peccatorum

catorum tuorum. Ezech. 12: Et etiam tu porta fœditatem tuam. pro, luēs pœnas fœditati tuæ debitas. *Portare iudicium*. pro pœna: Gal. 5: Qui turbat uos, portabit iudicium. id est, punietur. *Portare ignominiam*, aut *confusionem*, est perpeti ignominiam prauæ uitæ debitam. Ezech. 16: Ut portes ignominiam tuam, & erubescas de omnibus quæ fecisti. Exponit semetipsum: pro, ut pudeat ac pœniteat te scelerum tuorum. Sic Ezech. 32: Et portauerunt ignominiam suam, cum descendentes in sepulchrum. pro, qui mortui sunt ignominiosè. id est, ut puniaris turpiter, sicut alij morte puniti. Sæpissimè hæc locutio in Ezechiele & alijs Prophetis reperitur. Porro, quoniam & reus dicitur portare peccatum, & sacerdos aut uictima expians, & deniq; etiã Deus ipse (nam crebrò cum Deus dicitur condonare peccatum, in Hebræo est illud idem uerbum נשא Nasa porto, quod etiam peccato tribuitur, ut supra in uerbo *Leuo* docui) ualde operæ precium esset exponere, qua id ratione intelligatur, quòd tam diuersæ personæ peccata portare dicantur. Existimo igitur Deo portationem tribui primùm ideo, quia prædictum uerbum נשא Nasa porto, eandem pluralitatem significationū habet, quam & uerbum Græcum αἴρω, & Latinum Tollo. Aliàs enim gestare aliquid, aliàs remouere de medio, aut etiã perdere notat: quam ambiguitatem significationis Latini uerbi, etiam illud Epigramma in Nerone exprimit:

*Quis neget Æneæ magni de stirpe Nerone?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.*

Quia Æneas quidem gestauit patrem, sed Nero perdidit matrem. ut portare peccatum, cum Deo tribuitur, sit idem quod tollere, amouere de medio, aut remouere. Sicut alioqui multis similibus uerbis utitur Scriptura, ut sunt: Deum delere peccata, obliuisci peccatorum, projicere ea post suum tergum, aut in profundum maris, aut ad extremum occidentem. Neque tamen hac tantum ratione dicitur Deus portare peccata nostra, sed & ea quam ipsemet describit Isaiã 43: Fecisti me seruire in peccatis tuis, fecisti me laborare in iniquitatibus tuis. Ego ego sum qui deleo scelera tua propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Quare hic locum habet illa supra indicata metaphorica significatio, de molesta gestatione aut toleratione grauissimorum malorum: illa inquam portatio reatus, iræ Dei & pœnarum, de qua inquit Mich. Iram Domini portabo, quia peccaui ei. id est, cogor sustinere reatum, iram Dei, & pœnas. Istam longè tristissimam gestationem peccatorum nostrorum à filio Dei præstitam, prolixè inculcat Isaiã capite 53: ubi aliquoties reperitur, quòd ipse peccata nostra portauerit, & infirmitates morbosq; nostros tulerit, quodq; Deus omnium nostrum peccata in eum transtulerit: sicut & Paulus dicit, quòd eum Deus fecerit peccatum. Duplici ergo ratione peccata nostra portat: primùm, prorsus auterendo: deinde, quòd filius Dei sua humiliatione pro eis satisfecit ac persoluit: & tertio, si libet, adde, quòd magna patientia nos tolerat, nostriq; misertus, filium suum nobis largitus est. Vide infra uocem TOLLO. *Portare aliquem*, aliquando significat fouere, iuuare ac promouere facta allusione ad maternam liberorum gestationem. Num. 11: Ut dicas mihi, Porta istum populum in sinu tuo, sicut portat nutrix infantulum. Deut 1: In deserto portauit te Deus, sicut portat homo filium suum. Sic Isaiã 46 inculcat Deus multum, se populum suum portasse in utero, & portaturum ac seruaturum usque ad caniciem. Sic & Psal. 90: In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Exod. 19: Portauit uos super alas aquilarum. id est, perinde ut aquilæ solent pullos suos inter uolandum subleuare. Non tu radicem portas, sed radix te. Rom. 11. id

est, ex Iudæis uenit salus & ueritas, inde habemus omne spirituale bonum, non illi à nobis gentilibus: nos in illam bonam oleam populi Dei ac Mesiachæ, ueluti syluestres quidam sarculi inserti sumus. *Portare iugum* ab adolescentia, Thren. 3. id est, assuescieri ad piam institutionem, subiectionem, disciplinam & crucem, inde à pueritia. *Portare femina*, & *Portare manipulos* Psalm. 126. Prius est, quasi serere, portando crucem propter Dominum: posterius est, inde uberes fructus percipere. Christus fert aut portat omnia uerbo potentia suæ, Hebr. 1. pro, suo potenti nutu, uoluntate, aut imperio omnia gerit & administrat: ut cum dicit mari & uentis, Obmutescite. Aliqui exponunt: Sustentat, seruat ac fouet. Non potestis portare modò: Iohan. 16. pro, non potestis modò omnia quæ dicenda sunt uobis, intelligere & meminisse. Hebr. 12: Non enim ferebant aut portabant quod imperabatur. id est, non poterant illam terribilem uocem & seuera imperia sustinerè, ac coram audire suis auribus. Sic & Latini loquuntur. Actorum 15 dicunt Apostoli, Neque se neque maiores suos legem portare potuisse: id est, præstare. Actor. 9 dicit Christus, se ad hoc uocasse Paulum, ut portet nomen suum coram gentibus. id est, ueram doctrinam circumferat ac propaget. Utitur autem hoc uerbo, ut ostendat quàm graue onus sit ministerium Euangelij. Hebr. 13: Exeamus ad Christum extra castra, opprobrium eius portantes. id est, ignominiam & crucem, quæ nobis propter Christum infligitur. Vide supra in uoce LEVO, ubi non pauca huius uerbi phrasæ exposita sunt. *Portare alicui calceos* est, infimum & maximè seruire ministerium præbere. Matth. 3: Non sum dignus ut calceos Mesiachæ feram, inquit Baptista. id est, qui in re omnium minima ac sordidissima uilissimus eius seruus sim. Sic Latini dicunt, aliquem non esse dignum qui alicui matulam porrigat. Eundem sensum Marcus paulò alijs uerbis expressit, nempe non esse dignum qui corrigiam calceamenti eius de pede soluat. Vicinum quid habet, quod Christus Apostolorum pedes lauit: id est, ignobile & planè seruire officium præstitit, sese extremè demittens. talia enim infimis serualis aut ancillis mandamus.

POSSIDERE aliàs significat primùm acquirere rem aliquam, aliàs firmiter tenere ac frui ea. Ponitur autem hæc Latina uox pro uarijs Hebræis. Genes. 4: Possedi uirum, ipsum Dominum. pro; nata sum, acquisiui. Non rarò sanè ponitur pro acquisitione per generationem. Sic Deuter. 32 legitur. Ipse Deus est pater tuus, qui possedit te, fecit te, & parauit te. Aliqui pro possidere exponunt, Redemit te, quia seruos possessuri emebant ex aliena seruitute. Sic Deus suum populum acquisiuit, redimendo eum ex seruitute Ægypti: & Christus, redimendo eum ex seruitute diaboli ac peccati. Exod. 15 etiam clarius possidere ponitur, pro acquisitione per redemptionem. Quare & aliquoties in nouo Testamento dicuntur Christiani populus acquisitionis, aut ad acquisitionem: id est, quasi emptionis, aut emptus. i. Petr. 2. Ephes. 1. 1. Thessal. 5. & 2. Thessal. 2. Hebr. 10. Hæc eadem acquisitio & redemptio populi etiam in Psal. 78 celebratur, hoc ipso uerbo: Quem acquisiuit dextera tua. licet enim loquatur de monte, tamen intelligit Ecclesiam ibi habitantem: Sic Actorum uigesimo, Ad pascendam Ecclesiam suam, quam acquisiuit suo sanguine. Quadruplex igitur significatio est in uerbo Possessionis, aut acquisitionis: nempe primùm, quòd sit redemptus à Christo ab hostibus & exitio. Secundò, quòd cesserit in possessionem, seu sit acquisitus à filio Dei, quam ei pater offert (Psalmo secundo) usque ad fines terræ. Tertio, quòd eundem populum etiam quietè & quasi perpetuè

tua hereditate possidebit. Quarto, quod ita possideatur, ut sit populus peculiaris, ac ueluti specialis quidam thesaurus præ cæteris possessionibus aut rebus possessis acceptus. Verum de hac phrasi etiam in uocabulo *Acquisitionis* ac *Peculij* dictum est. Hasce quatuor proprietates huius uerbi, Paulus Ephesios primo duobus uerbis complectitur, inquit: Spiritus sanctus est arrabo hereditatis nostræ in redemptionem acquisitionis. Priori enim uoce illam primam liberationem à Satana, peccato & morte significat: posteriori autem, plenam perfectamque saluationem in perpetuam possessionem aut sponfam Christo, &c. Dictum est de duabus significationibus huius uerbi: id est, de redemptione & acquisitione. Ad id uerò quod supra dixi, significare etiam acquisitionem per generationem, uidetur commodè referri posse illud Prouerb. 8: Dominus possedit me initio uiarum suarum. Et illud Psal. 139. Tu possidisti renes meos, & operuisti me in utero matris meæ: id est, tu formasti eos. nisi malis per Cognoscere exponere, ut mox ibidem sequitur. Alioqui pro simplici acquisitione ualde usitatum est. Prouerb. 4: Posside sapientiam, posside prudentiam. pro, acquire, compara tibi. Tertiò, significat hoc uerbum etiam stabilem possessionem, aut detentionem, & fruitionem acquisiti boni. Deut. 2: Ecce cœpi dare hodie in tuam potestatem Sihon, & terram eius: incipe possidere ad possidendam terram eius. id est, incipe occupare, ut eam perpetuò possideas, eam fruaris. Leuit. 25: Iure hereditario possidebitis eos, ad possidendum possessionem. id est, firmo ac stabili dominio. Gen. 22: Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. *Facere alium possidere*, aut hereditare terram, est, tum obtinere aut consequi, tum & distribuere terram. Iosue 6: Sis fortis & robustus, quoniam tu facies hereditare aut possidere populum terram hanc. *Possessiones cordis*: Iob 17, cogitationes denotant, quia cor eas possideat giugnendo & retinendo.

¶ Aliquando in malam partem hoc uerbum accipitur: Iob 13: Decernis contra me amaritudines, & facis me possidere iniquitates pueritiæ meæ. id est, imputas denuò, ac obijcis, aut facis ut malè fruar eis, luendo penas. Sicut enim solent possessores suis rebus frui: ita homines bonis suis malis uel operibus fruuntur, recipiendo inde mercedem suam. *Possidere*, ut supra dixi, posset Psal. 139 de noticia exponi, ut ex sequentibus eius loci apparet. inquit enim: Tu possidisti renes meos, &c. Non est occultatum à te os meum. Informem massam meam uiderunt oculi tui. Contrà uerò Psal. 50, uidetur nosse pro possidere poni: Omnes feræ syluæ meæ sunt, noui omnes aues montium. id est, omnia sunt mea, uel in mea potestate: faciliè eis, si modò libeat, uti possum. *Possessor*, aliquando uertunt uocem Hebræam baal: quæ aliàs maritum, aliàs dominum notat. Iob 1, Plange puella super possessore adolescentiæ tuæ. id est, sponso aut uiro, immatura morte abrepto.

POSSVM הַיָּאֵחַאֵל aliquando ualet idem quod uolo, aut cupio: sicut Germanis uerbum *Magen*. *Ich möchte essen*, cupio comedere: *Ehr hat mir nicht so viel mägen dienen, oder zugefallen sein*, pro noluit. Sic dicit Deus Iosue 1, Ut conuocetis conuocationem, non possum: subintelligitur, id est, nolo. Gen. 43, Non possunt Aegyptij comedere cum Hebræis. pro, non solent, non uolunt. Sic aliqui exponunt illud Marc. 6 Non potuit ibi multa miracula facere, tametsi suam emphasin habeat acceptum propriè. Dei enim potentia se quasi alligat ad fidem nostram, suamque potentiam aut impotentiam in nos transfert, nobisque imputat. Quò pertinet & illud dictum, Omnia sunt possibilia credenti. Suprà autem in uoce *Impossibilis* & *Necessarij* dixi, quòd

Impossibile aliquando significet rem difficilem, molestam, ualde noxiã, aut à qua alioqui ualde abhorremus. prima Iohan. 3: Qui natus est ex Deo, non potest peccare. Oecumenius exponit per Non uult. sed & de hoc loco in uoce *Impossibilis* dixi. Osee octauo: Quousque nõ poterunt innocentiam. id est, non uolent: subintelligitur, amplecti, sectari. 2. Sam. 17: Non enim potuerunt. id est, noluerunt ire in ciuitatem, ne uideantur. Aliqui exponunt, Non ausi sunt. Sed audere est etiam species uolendi, nempe in re periculosa uelle obfirmato animo. Iosue 15 & 17, Non potuerunt Israelitæ delere Ethnicos. id est, rem difficilem attentare præ ignauia noluerunt. Marc. 3, Quomodo potest satanas satanam eijcere? pro, nequaquam uult. Hoc contra eorum naturam ingeniumque est. Matth. 20: Potestis ne bibere calicem. 2. Timoth. 2, Deus seipsum negare non potest: id est, non uult. Apocal. 2. Non potes sustinere malos. id est, non uis, tibi que id permolestum est. Sic Germani, *Ich mag nicht essen*, non libet comedere. Aliquando huic uerbo necessariò subintelligendus est aliquis infinitiuus: ut in prius indicato exemplo, Iosue primo: Ut conuocetis conuocationem, non possum: subintelligitur, ferre, tolerare, aut approbare. Psal. 101, Sublinem oculis & corde turgentem non potero: subintelligitur, ferre. Psal. 139. Mirabilior est scientia me, aut meo ingenio. non potero ad eam: subintelligitur, pertingere. Verbum *Posse* Hebræum cum datiuo constructum, præualere significat. Iudicum decimo sexto: In quo poterimus ei, ut uinciamus eum. id est, præualebimus. Tale est etiam præcedens exemplum Psal. 139, Non potero ei: scilicet præualere, eam capere. Gen. 32: Et uidit quòd non præualeret ei. Aliquando etiam absolutè positum hoc uerbum præualere significat. Gen. 30, Luctationibus diuinis luctata sum cum sorore, & potui. pro, præualui. Sic mox 32, Luctatus es cum Deo & hominibus, & potuisti. id est, præualuisti, uicisti. Osee 12, Luctatus est cum angelo, & potuit. Hierem. 20, Fortiter apprehendisti me, & potuisti. Ibidem, Defatigatus sum ferendo, & non possum. id est, non præualeo. Apoc. 12: Michael & angeli eius pugnant cum dracone, & draco cum eis, & non potuit, nec inuentus est locus eius. id est, nõ præualuit, non uicit, sed expulsus est cælo, & sua dignitate. Cum accusatiuo in Hebræo idem aliquando ualet. Psal. decimo tertio: Potui eum. id est, præualui. Hierem. trigesimo octauo: Non est rex qui potest uos quicquam. id est, qui uos cogat. *Possendo posse*, sicut & alia uerborum & nominum reduplicaciones, plenitudinem ac emphasin habent. Num. 22. Nunquid possendo potero loqui quicquam aliud? pro, impossibile est me quicquam aliud loqui: uel, ut maximè totis uiribus coner ac cupiam loqui aliquid aliud, quàm id quòd Deus præcipit, tamen nequeam. I. Sam. 26: Vtique faciendo facies, & possendo poteris, præualendo præualebis, planè obtinebis uictoriam ac regnum, succedet tibi id quòd cupis aut moliris. Esther 8, Quomodo potero & uidebo? pro, quomodo potero uiuere si uideam? Potest referri hoc exemplum ad id quòd supra dixi, subintelligendum esse interdum infinitiuum. Voluntas aliquando hoc uerbo *Possim* denotatur. Nam cũ legitur Matt. 26, Possim destruere templum hoc Dei, & in triduo reedificare illud: omnino ibi *Possim* pro uolo ponitur, sicut disertè Marcus hoc falsum testimonium per solum uerbum Volo exprimere uidetur, inquit 14. Ego diruam templum, &c. Nam Christus Iohannis 2 hæc dicens, non tam potentiam suam iactat, quàm petentibus signum aut miraculum, prædicit futurum miraculum suæ resurrectionis, ut mox ibidem sequitur. Sicut & alibi idem signum alijs uerbis eis pollicetur, quòd nempe daturus sit illis signum Ionæ. Sic in intellectu testimonium Iudæorũ contineret acerbio-

rem accusationem, quod uidelicet Christus non tam stultè iactauerit uires suas, quod non ualde capitale esse posset: quàm sacrilegè minatus sit, se euerfurum illud sacrosanctum templum Dei, ubi solum eius uotum ac cogitatio pro grandi sacrilegio habita fuisset. Et hic etiam clarius apparet falsitas testimonij, quod non tantum uocem templi malè intellexerunt, sed etiam calumniosè dissolutionem templi Christo tribuerunt: cum ille id Iudæis tribuerit, quod sint destructuri templum corporis eius, sibi uerò tantum suscitationem adscripserit. Sensus uerò dicti Christi fuit: Vos petitis signum à me, quo probem me rectè ac diuino iure & mado repurgare templum Dei. Ecce dabo uobis suo tempore illustre signum, quod planè ueram diuinitatem in me asserat. Vos quidem me interficietis, sed ego mea diuina potentia meipsum resuscitabo. Verbum ergo *Possim* in illo falso testimonio acceptum, multum lucis illi dicto & loco Iohannis ac prophetiæ Christi affert. *Impossibile*, & locutionem *Non potest hoc aut illud fieri*, supra in uocabulo *Impossibilis* exposui: ubi monstrari, sæpe etiam pro difficili, insolito, raro, inusitato, aut etiam non naturali poni. Monui igitur ibi uarios esse gradus possibilitatis ac impossibilitatis, eoque etiam istas uoces uariè accipi. Paulus dicit 1 Cor. 3, Non potui uobis loqui ut spiritualibus. id est, non facile, nec commodum fuit. Galat. 4, Testimonium præbeo uobis, quod si possibile fuisset, oculos uestros erutos dedisset mihi. id est, si citra exitium uestrum fieri quiuisset. Sic uulgo aliquis negat se aliquid facere aut præstare posse, nempe quod citra ualetudinis, famæ aut conscientie, aut fortunarum iacturam præstare non potest. Illud quoque diligenter in hoc uerbo obseruandum est, quod uerbum *Posse* aut *non posse* aliquid, aliàs de uiribus ac factis, aliàs de iure seu licito, seu de iustè ac salutariter facto accipiatur. ut cum dicit Paulus Actorum 25, Nemo potest me illis donare, scilicet iurè ac iustè. 1 Cor. 10. Non potestis poculum Domini bibere, & poculum demoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ demoniorum: scilicet iustè ac salutariter. Nam de facto poterant, & re ipsa nimium præstabant. Hinc inepti ratiocinatores uolunt negare indignorum manducationem corporis & sanguinis, quasi de impossibilitate facti, & non iuris, Apostolus ibi loquatur. Act. 10. Num aquam quis prohibere potest eis? id est, non iustè ac licitè potest, alioqui de facto potest. secundæ Corinthiorum decimotertio: Non enim possumus aliquid aduersus ueritatem, sed pro ueritate: scilicet, iurè ac iustè, Deoque probante. Porro de posse facti est illud Romanorum octauo: Sensus carnis non potest se subijcere legi Dei. De hoc discrimine significationis etiam supra in *Impossibili* & *Regalis* Vniuersalibus dictum est. Quod porro sæpe uerba Hebræa, præsertim in futuro, complectantur in se uim uerbi *Possim*, ut Prouerb. 20. Quis dicet, Mandus sum? id est, uerè dicere poterit: in Regulis uniuersalibus ostendi. tametsi hæc locutionis uis etiam in alijs linguis reperiatur. Quod pertinet totus modus potentialis, de quo Grammatici differunt. *Dicere posse aliquid*, aliàs idem est quod *Ex animo dicere*: aliàs idem, quod uerè. 1 Cor. 12. Nemo potest dicere *IESVM* Dominum, nisi in Spiritu sancto. id est, ex animo aut toto pectore hoc nemo dixerit sine singulari motu ac impulsione Spiritus S. etiã si lingua tales uoces sonet. Porro de ueritate dictionis exemplum est Prouerb. 20: Quis potest dicere, Mandauit cor meum. id est, quis hoc uerè affirmare possit. Refertur hoc queat ad posse iuris, quia quod uerè affirmatur, iure affirmatur. *Facere aliquid posse*, aliquando idem est quod solere. Ioã. 5: Non potest filius facere à semetipso quicquam, nisi quod uiderit patrem agentem. Quæcunque enim ille facit, hæc & filius pariter facit. i.

nihil solet filius solus facere, sed agit unã cum patre. quod. Nolite furere contra hoc miraculum sanationis, quia est in sabbato factum: hoc enim nõ meum solius opus est, sed etiam patris unã operantis: uidete igitur iterum atque iterum in quem impingatis, aut quem in hoc opere blasphematis. Loquutio ergo, *Non potest facere*, ponitur hic pro non solet, non autem pro ipsa absolute potentia. Sic prius dixi, *Non posse*, de re insolita dici. Ad hoc uerbum pertinent & nomina *Potens*, *Potentia*, & *Potestas*. *POTENS* autem aliàs diuitem, aut alia politica, siue omnino huius mundi potentia instructum significat. ut, Deposuit potentes de sede, Luc. 1 & 1 Corint. 1, Non multi potentes, non multi sapientes aut nobiles, &c. Talis significatio quasi habitualiter usurpatur, pro eo qui simpliciter ac in genere est potens. aliàs *Potens* dicitur, ad unum aliquod negocium aut factum idoneus & instructus, ut potens in malicia, Psalmo 52. Vã potentibus ad bibendum, Isaiæ quinto. Sic Lucæ tertio, Potens est Deus de lapidibus filios Abraham facere. Luc. 24 Iesus Nazarenus potens fuit in sermone & opere coram Deo & hominibus: id est, fuit eloquens ac peritus theologiæ, & potuit magna miracula facere, testantibus id Deo & hominibus. Idem & de Mose dicit Stephanus Actorum septimo. Apollo fuit potens in Scripturis, Act. decimo octauo. id est, exercitatus & peritus in Scripturis & tota Theologia. Tit. 1, Qui sit potens exhortari. Sic Paulus 2 Cor. 10 dicit arma sua non esse carnalia, sed potentia ad expugnationem & destructionem. Idem ibidem 12 inquit: Cum infirmor, tunc potens sum: id est, cum destitutus sum meis uiribus, aut alijs externis uitæ ac rerum agendarum præstidijs, tunc recurro ad Deum primam causam, qui mihi potentissimè succurrit, meque confirmat, ac præclaris successibus ornat. 1 Tim. 6, Beatus & solus potes Rex regum. In Græco est *Αυτοκρατορ*, quod idem fermè est ac princeps: nec tamen admodum differt à significatione uocis *Potens*, quam supra exposui. & generalem esse ad omnem potentiam ostendi. Solus enim Deus est ille omnium potentum potentissimus, sicut mox sequitur, Rex regum. *Potentia*, aut *fortitudines*, Psal. 71 uidetur significare fortia ac præclara facta Dei, quæ uelit Psaltes celebrare. Alij exponunt de auxilijs, ac perpetuis confirmationibus Dei, quibus roboret Dauidem. Sic Psal. 106. Potentiæ Domini illustra eius facta significant: Quis effabitur potentias aut fortitudines Domini, audire faciet omnem laudem eius? Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui: Luca primo. pro, grande opus, seu magnarum uirium aut potentiæ opus. Secundum potentiam gloriæ ipsius, Coloss. 1. pro, gloriosum robur ipsius.

POTESTAS, aliàs ponitur à Verforibus pro Græco *Δυναμις*: aliàs pro *ἰσχυρία*. Variè porro hæ ipsæ uoces usurpantur. Dixi autem supra, uerbum *Possim* aliàs de iure aut iusticia, aliàs tantum de ui aut efficacia usurpari. Quare & nomen *Potestas* aliàs ipsas uires aut potentiam, seu quasi robur aut uirtutem significat, & in tali significato magis proprie uox *Δυναμις* sumitur. Matth. sexto. Quoniam tuum est regnum, robur aut potestas, aut etiam potentia. Id est, tu solus potes præstare hæc quæ petij, ideo meritò à te solo postulantur. Matth. 10. Dedit eis potestatem contra spiritus immundos, ut eos eijcere & sanare omnem morbum ac languorè possent. ubi illam uim aut efficaciam ista grandia opera parandi, uocat Euangelista *ἰσχυρία*. Sic & Mar. 3 pro efficacia sanandi usurpatur, & mox 6, & Luc. 9 est: Dedit eis potestatem spirituum. id est, uires ac robur cogendi ac pellendi spiritus. dicitur igitur potestas supra spiritus. potestas contra spiritus, & potestas spirituum. Sic Mar. 1, Cum potestate demonibus præcipit. pro, cum efficacia seu executione, ita ut cogatur facere id quod

ipse uult. ubi tamen simul etiam ius includitur. Matth. 9. Cum uero turba uidisset illud miraculum, mirata est, & glorificauit Deum, qui dedisset talem potestatem hominibus. id est, uim tanta opera efficiendi. Luc. 10. Do uobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem uim inimici, & nihil uos laedet. In praecedenti Capite, ubi agit de potestate Apostolis data super daemones, coniungit ista duo, *Aluauit & isoriat*. Sic & Luc. 22 dicit Christus militibus, eos nunquam antea potuisse sibi iniicere manus, cum quidem quotidie propalam ac inter eos uersaretur: nunc uero id facere, quia eorum hora & potestas tenebrarum uenerit. Id est, cum Deus laxauit frena Satanarum & impij, ut possent in Christum grassari. Iohan. 10. Habeo potestatem animam ponendi & sumendi. id est, possum me ipsum resuscitare. Act. 1. Tempora & momenta temporum pater reposuit in sua potestate. id est, in suis, non hominum uiribus. scientiam & uires rerum futurarum seruauit. Sic & Apoc. 9 dicuntur locustae habere potestatem cruciandi homines. & Apocal. 13, quod draco dederit magnam potestatem bestiae, quod quae ea bestia faciat omnem potestatem prioris. id est, mirabilia opera ac magnae potentiae facta. Haec igitur significatio uocis *Potestatis* ualde crebra est, ut ipsas proprias uires ac robur agendi, seu efficiendi aliquid denotet: cui significationi aut eius exemplis saepe etiam ius aliquod includitur, praesertim cum aliquid a Deo aut nomine Dei fit. Secunda significatio est, cum Potestas ius quoddam ac legitimam potentiam notat, ut supra de uerbo *Possim* dixi. Quae in ualde multas species subdividitur. Aliquod enim ius habent etiam priuati in se, suos liberos, ac rem familiarem: in quo sensu dicitur *Patria potestas*. Romanorum nono: Figulus habet potestatem luti. 1 Corinthiorum 7, Sed potestatem habet suae uoluntatis. id est, liberum ius eligendi, an uelit coniugium, aut coelibatum. Act. 5. Ager uenditus in tua potestate erat. Sic & in spiritualibus dicitur potestas uendi libertate in cibis sumendis, & reliquo usu adiphororum. 1 Cor. 8. Videte ne quo modo potestas ista uestra sit scandalo imbecillibus. Tercio, ab hac priuata potestate oritur alia significatio huius uocis, ut ponatur pro indicio potestatis per metonymiam, posita re signata pro signo. Tegumentum enim capitis indicium est mulierem esse sub potestate uiri: unde & uerbum *Nubo* de coniugio usurpatur, quod alioqui tegere aut uelare significat. Sic etiam in Germania uirgines plerumque detecto capite tanquam adhuc liberae: mulieres contra uelato in publicum prodeant. Contra Romanis tegumentum pilei, liberationem a seruitute indicauit. Quarto, *potestas* significat aliquando quoddam publicum ius, aut legitimam potentiam, quod ferme proprium est publicarum personarum seu gubernatorum, siue politicorum, siue Eccles. Rom. 13: Omnis potestas a Deo est. Sic quarunt Pharisei a Christo, Matt. 21. Mar. 11 & Luc. 20, quo iure uel authoritate eijciat uendentes & euentes ex templo, dicentes: Qua potestate ista facis? & quis tibi dedit istam potestatem. id est, cum sis homo priuatus, nec possis monstrare te uel a Deo uel ab ordinarijs gubernatoribus ad hoc opus ablegatum, non habes profectum ius ita tumultuandi in templo, & omnino uideris esse turbator ac seditiosus. Matthaei nono, Habet potestatem filius hominis remittendi peccata in terris. Sic saepe repetitur in Euangelistis, quod Christus docebat ut potestatem habens: in qua tamen locutione tum ius docendi, tum etiam singularis quaedam efficacia ac energia comprehenditur: nempe quod non timide locutus sit, sicut priuati timide aliquid publice dicunt: non dubitanter, sicut qui sunt incerti aut parum periti: non frigidè sicut parum curantes, ut Pharisei: sed ardentè. non tenui quadam (ut ille inquit) uena, aut

languide, sed amplissimis donis noticiae & eloquentiae instructus: non sine auditorum affectione, sed potenter eos permouens: non alios tantum citans, sed suam authoritatem proferens, & quasi pro suo iure arbitrioque omnia agens: ut cum toties inquit, Ego dico uobis. & miracula suo uerbo ac mandato faciens: ut, Paella ego dico tibi, surge. Neminem denique in faciem respiciens, & timens: non etiam curans quid contra Pharisei & pontifices garriant aut ganniant, prohibeant aut mandent: cuius actionis eum potestate coniunctae aliquam speciem aut umbram expresse Lutherus. Huc etiam pertinet, quod supra exposui, Potens erat in opere & uerbo. Sic Matthaei octauo, & Lucae septimo dicit Centurio, se esse sub aliena potestate, scilicet superioris magistratus, ut tribuni: & habere uicissim alios sub sua potestate, nempe decuriones & milites. Isaiae uigesimosecundo: Potestatem tuam dabo in manum eius. id est, tuam dignitatem aut functionem in eum transferam. Quinto, hinc crebro fit, ut Potestas ipsos etiam magistratus, gubernatores, ac quasuis personas potestate praeditas significet: idque non tantum in politicis, sed & spiritualibus imperijs: nec solum sacris, sed & prophanis authoribus. Suetonius: Claudius iurisdictionem quotannis magistratibus demandari solitam in perpetuum, atque etiam per prouincias potestatibus demandauit. Sic & Plinius libro uigesimo nono, Capite quarto usurpat: & etiamnum in Italia in multis locis magistratus ac praetores uocantur Potestates, et signor podesta. Sed proferamus exempla Sacrarum literarum. Romanorum decimo tertio: Omnia potestatibus supereminentibus sint subiecta. id est, hominibus potestate praeditis. Sic posses exponere illud Matthaei octauo. Sum homo sub potestate positus. id est, sub hominibus potestate praeditis. Tit. tertio: Mone eos, ut principatibus & potestatibus sint subiecti. id est, magistratibus seu hominibus magistratum gerentibus. Ephesijs tertio: Ut innotescat nunc principatibus & potestatibus caelestibus, &c. id est, ipsis met summis angelis, qui amplissimis functionibus in caelo funguntur. Sic mox sexto: Lucta est nobis, non aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi dominos, & tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales nequitas in caelestibus. id est, contra summos & nequissimos diabolos, qui in regno tenebrarum maximis functionibus praesunt. Ephes. primo, Suscitauit & collocauit Christum ad dexteram longè supra omnem principatum, potestatem, potentiam & dominium. id est, super omnes potentes. Coloss. secundo Spoliatus principatus & potestates ostentauit publice. id est, principes & potentes. Sic 1 Pet. tertio, Subiectis ei angelis potestatibus & potentatibus. Sexto, potestas aliquando ipsam dignitatem, aut quasi felicitatem significat. Ioan. 1. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. id est, dedit eis eam dignitatem, & illud summum decus aut gradum, ut essent filij Dei. Non significat hic Potestas aditum ad filiationem (ut ita loquar) aut ad filialitatem: sed illam ipsam dignitatem, aut plus quam regale decus, ut sumus filij Dei. Impie ergo hoc alij ad liberum arbitrium, ac primum assensum, alij ad primam gratiam, quae de condigno regnum caelorum mereri possimus, trahunt, quasi potestas hic illas primas uires notet. Sic ipsa dignitate, felicitate, beato statu ac summo gradu ponitur haec uox crebro, ut 1 Corinth. 15: Cum traderit regnum patri, cumque aboleuerit omnem principatum ac potestatem. id est, omnem aduersariam potentiam ac dignitatem debellauerit, sibique subiecerit. Col. 2 dicitur, Christum esse caput omnis principatus & potestatis. id est, Dominum & authorem omnis dignitatis

dignitatis & potestatis: ideoque ait, & pios in ipso esse completos ac perfectos. quæ significatio uel maximè conuenit cum loco Ioannis, ubi nostra adoptio uocatur potestas seu dignitas. Sic & Luc. 21 dicitur Christus in extrema die uenturus cum potestate & gloria multa. Et Matth. 28 affirmat, sibi traditam esse omnem potestatem: ubi omnia simul comprehenduntur, ius, potentia, & dignitas. Septimò, significat nonnunquã potestas ipsum locum dominij alicuius, sicut & uox *Regnum ac principatus*. Sic Ezechias dicitur monstrasse legatis omnem opulentiam totius suæ potestatis: id est, sui dominij. Ephes. 2, Secundum principem potestatis aeris, id est, principem regni aeris. Col. 1, Qui nos liberauit ex potestate tenebrarum, id est, ex regno diaboli, & transtulit nos in regnum Christi. Lucæ quarto: Dabo tibi omnem istam potestatem, id est, totum istud regnum totius mundi. Sic Lucæ uigesimotertio: Resciscens quòd sit ex potestate Herodis, id est, de regno aut dominio eius. *Potestas alicuius* non tantum dicitur actiue, qua ipse est potens in alios: sed etiam passiue, qua alij sunt potentes in eum. Marci sexto: Dabat eis potestatem spirituum immundorum. 1 Corinthiorum nono: Si alij potestatis uestre sunt participes, non multo magis nos: id est, potestatis in uos multo iustius nos participare deberemus. Iohannis decimonono glorietur Pilatus, se habere potestatem crucifigendi & dimittendi Christum, contra Dominus negat eum habiturum fuisse, nisi ei concessa esset desuper. Videtur omnino uterque loqui non tam te iure, quàm de ui exequutiua aut potentia. Nam Pilatus non habebat ius dimittendi eum, si fuit nocens: nec crucifigendi, si innocens. Christus quoque sic prius monuerat eius milites, eos non fuisse habituros in se potestatem, nisi uenisset hora, qua Deus id Sathanæ & ipsius satellitibus concessisset: sicut prius non habuerant, cum nondum eius hora uenerat. Dixerat enim: Quotidie eram docens in templo, & non apprehendistis me. Sed hæc est hora uestra, & potestas tenebrarum.

POST præpositio Græca *μετά*, uel etiam *διὰ*, Hebraicè *אחרי* Achere, aut *מִן* Min, multas obscuras locutiones aut Hebraismos parit: quorum quosdam hic recensabo. *Post aliquem esse, ire, aut sequi*, significat ei obedire, seruire, eum uel sectari, ac etiam colere. 1 Samuelis duodecimo: Eritis uos & reges uestri post Dominum, id est, longo tempore bene beateque uiuetis colendo Deum. 2 Sam. 2. & 1 Regum duodecimo: Tantum domus Iehuda fuerunt post Dauid, aut post domum Dauid id est, ei paruerunt. 1 Regum decimo sexto: Dimidia pars populi fuit post Thibin. Porro phrasi *ire post aliquem*, aliquando additur uerbum Implere: ut, *implere ire post Dominum*, quod significat plenè sequi, aut obedire Deo. Numeri decimo quarto: Caleb habuit alium spiritum, & impleuit ire post me, id est, plenè me Iehouam secutus est. obediuit que mihi in illa sua legatione. Num. 32, Non adimpleuerunt ire post Iehouam. Etiam sine *ire* ponitur interdum Implere: ut, Deuteronomio 1, Caleb impleuit post Dominum. Ios. 1, Ego autè impleui post Iehouam, id est, plenè obediui ei. Psalmo nonagesimo quarto: Ad iusticiam redibit iudicium, & post illud omnes recti corde, id est, tandem iudicium aut causa iusticiam suam obtinebit, omnes que iustæ causæ assentientur. *Ascendere post aliquem*: id est, sequi eum. 1 Samuelis uigesimo quinto: Ascenderunt post Dauidem. 1 Regum primo: Ascendetis post Salomonem, id est, comitabimini eum. Sic 2 Samuelis undecimo: Egressum est post Vriam donum regium: id est, ferculum regium mox sequutum est eum. *Errare post idola*, est, errando ea colere. Ezech. quadragesimo quarto: Qui errauerunt à me post idola, id est, errando à me defecerunt, & secuti sunt idola. Declinare, aut esse

post multos. Exodi uigesimotertio: Neque loqueris in causa, aut declines post multos ad peruertendum iudicium: id est, ne patiãre te multitudine errantium à uero iustoque abstrahi. Sic ibidem: Ne sis post multos ad mala. *Adiuuare post aliquem*, est eius partes aut sectatores iuuare. Primo Regum primo: Qui adiuuerunt post Adoniam. Aspiciabant post Moysen. Exod. 33, id est, obseruabant eum abeuntem. *Auferre, exterminare post aliquem*. 1 Regum 1, Adduco malum supra te, & auferam aut exterminabo post te, id est, non tantum te perdam, sed & posteros tuos prorsus delebo. Sic 1 Regum decimo quarto. Remouebo post domum Ieroboam, sicut remouet quis sterquilinum. *Post* interdum ponitur pro **D E**. Post matrem consolationem accipere. Genesis uigesimo quarto, Isaac post matrem suã consolationem accepit, id est, de morte matris. Nam si cut doluit de matre mortua: ita ducta Rebecca in uxorem, consolatione illum maternum luctum leniuit. Aliquando uidetur significare idem quod præterea, uel insuper, aut ulterius. Actor. 5 dicitur, quòd post Theudam seditiosum fuerit Iudas Galilæus. Iosephus contraria serie eos ponit, ac primùm dicit fuisse Iudam, libro 18. deinde Theudam, lib. 20. Quare aliqui illud *Post*, pro *Præterea*, hoc in loco exponendum putant. Sed fortè alius quispiam Theudas prius fuit. *Illoquere se post aliquem*, Deuter. 12, Caue tibi ne illaquees te post eas, id est, ne imitando cultum Ethnicarum gentium, implices te in peccata ac pœnas. Vasta & anathematiza, aut *extermia post eos*. Ieremiæ 50. pro, persequendo eos omnia uasta ac dele: *Lamentari post Dominum*. 1 Samuelis septimo, Lamentata est uniuersa domus Israel post Iehouam, id est, pœnitentiam egerunt reuertentes ad Dominum, & deplorantes peccata ac idololatrias suas. *Præcipere post se*, est quasi Testamento aliquid post mortem suam mandare ac ordinare. Genesis decimo octauo: Scio quòd Abrahamus præcipiet post se, ut filij sui me timeant, id est, ut posteri ipsius mortuo ipso me uerum Deum colant. *Post se proijcere*, est prorsus cõtemnere & deserere aliquid. Psal. 50. Proiecisti post te omnia uerba mea, id est, abiecisti omnem curam ac metum uerbi Dei. Sic Deus dicitur abijcere post tergum omnia peccata nostra. *Pastorem esse post Iehouam*. Iere. 17, Non repudiaui, ne essem pastor post te, id est, ne fungerer officio docendi, te prælucente & præeunte, qui es summus pastor & archipastor sicut à Petro uocatur, cum hoc dicto pulchrè consonat illud Christi Ioan. 10. Omnes qui uenerunt **A N T E** me, fures fuerunt, & latrones. de quo in præpositione **A N T E**. Aliquando huic præpositioni aliquid subintelligendum est. Os. 5. Post te, Benjamin, subintel. imminet hostis. Post uiam occasus solis, Deuter. 11 pro, in latere uisus regis, tendentis ad occasum. *Post dies hosce*, aut aliquos. pro, post aliquod tempus. Fuit autem, post dies pugnauerunt: id est, accidit ut post aliquod tempus. Sic reuersus Samson post dies: Iud. 14. pro, post aliquod tempus. *Depost aliquem ascendere*, est desinere eum persequi. 1 Samuelis 14, Ascendit depost Philistim. 2 Sam. 20, Ascendit omnis Israel depost Dauidem. Ios. 22, Quæ est ista præuaricatio, ut auertamini hodie depost Iehouam? Ezek. 4. Ne errent Israel ultra depost me. 1 Reg. 22. Videntes quòd non esset rex Israelis, reuersi sunt depost eum, id est, cernentes non esse regem Israelis, sed Iehuda, deserunt eum persequi. Expulit eos Ieroboã depost Iehouã: 2 Reg. 17. pro, quasi ui eos priuauit cultu Dei. Fornicabitur terra depost Iehouam, Os. 1. pro, amplexa idololatrias deseret uerum Deum. 2 Paral. 25. Recelsit Amasias depost Iehouã. *Clamare post aliquem*: Matth. 15, Dimitte illam, quia clamat post nos, id est, sequitur nos clamando. Porro, quòd *post* sit quidem plerunque præpositio, nonnunquam tamen etiam aduerbiũ, notum est ex Gramma

Grammaticis. Significat autem ordinem uel rerum uel temporum: ut, Post caput est ceruix, post domum est ortus, post herū aut regem sunt famuli, Venit post nubila Phœbus. Verūm in descriptione temporis aut alius spacij diligenter obseruandum est, non tantum hanc præpositionem, sed & alias quæ metas rerum, locorum aut temporum indicant (ut sunt Ante, usque, post, ab, & similes) quinetiam omnes temporis aut aliorum spaciorum circumscriptiones, idque fermè in omnibus linguis, aliàs includere, aliàs excludere indicatas metas. ut præpositio Ante diem paschæ, aliàs includit, aliàs excludit diem illam: cum tamen à multis ita accipiat tanquam excludat. In usitatis numerationibus dierum & mensium, quinto, quarto aut tertio nonas, idus aut calendas, omnes subintelligunt Ante: quāsi plenè dicerēs, quarto aut tertio die ante nonas, idus uel calendas: ubi non excluditur dies nonarum, iduum, aut calendarum, sed simul numeratur. cū eo enim est quarta aut tertia dies ea, quæ indicatur. Sic Priscianus putat subaudiri præpositionem Ante, in locutione, Natus est decem annos, aut XX: pro, ante 10 aut 20: cum quidem de eo intelligatur, qui agat annum 10, aut 20, ut talis loquutio simul includat decimum annū imperfectum: non autem sit sensus, quod sit natus ante hosce 10 plenos ac perfectos annos in extremitate undecimi. Sic etiam, dum uulgò dicimus, Ab ea die cœpit me odisse aut amare: simul illam diem includat, non excludat. Sic præpositio Post, non semper excludit metam temporis quā notat, seu à qua incipit: ut cum dico, Post duos aut tres dies hoc aut illud fiet, non significat debere integrè præterire illas duas aut tres dies, & tertia aut quarta demum id fiet quod est indicatum. Quod autem hæc sit uis præpositionis Latinæ Post, ut aliquando includat diem indicatum, sicut etiam præpositio Ante: potest multis exemplis idoneorum authorum probari. Nos nunc tantum unum proponemus. Cato libro de Re rustica, cap. sexagesimo quinto inquit: Oleum uiride sic facito. Oleam quam primūm ex terra tollito: à folijs & stercore purgato: postridie, aut post tertium diem quā lecta fuerit, facito. Vbi, sicut postridie de sequenti ipso die intelligi necesse est: ita post tertium diem, de ipso tertia die. Iubet enim fieri oleum secunda aut tertia die à collectione nō peracta, aut exacta demum tertia die, nempe quarta die. Sic cum dicitur, cras aut postridie proficiscar: (quod aduerbium quidam sic componi & esse uolunt idem, quod post tertium diem) non indicat me elapsa demum tertia die, nempe quarta, sed ipsa tertia abiturum. Septuaginta, ubi ita legitur, Factūque est à fine trium dierum, postquam percussierant foedus cum eis, audierunt illos esse uicinos suos, quodq; in medio ipsorum habitarent, & proficiscentes filij Israel peruenierunt die tertio ad ciuitates eorum. ubi auditionem uicinitatis illorum ponit post diem tertiam abiecto foedere, cum mox dicat eos ipsa die tertia ad illos peruenisse: ut necesse sit illud à fine trium dierum, seu (ut Græcus habet) *μετὰ τῆς ἡμέρας μετὰ τὸ διαβῆναι αὐτῶν διαβῆναι*, non excludere, sed includere tertiam diē, quā mox dicuntur ad illos peruenisse, eis quæ pepercisse. *μετὰ τῆς ἡμέρας* ergo, est illis uersoribus idem quod *τῆς ἡμέρας*, quod mox ibi sequitur: seu in Hebræo est, die tertio. Sic Deuteronomij trigessimoprimum in Hebræo est, *מִכֶּזֶק* Mikez, à fine septem annorum. Græca habet, *μετὰ ἑπτὰ ἔτη*, post septem annos: cum agatur de ipso septimo anno, seu remissionis, ut ex sequentibus apparet, tamen quidam Rabini dissentiant. Sed obseruanda est cum primis etiam Hebræa præpositio *מִכֶּזֶק* Mikez à fine: quæ cum etiam magis uideatur excludere præcedens tempus, quā uel Græca *μετὰ*, uel Latina Post, ut quæ dicat post finem tot dierum, ipsum que

etiam finem excludere uideatur: nihilominus non raro includit illud, multo ergo magis Latina & Græca. Clarum ac perspicuum exemplum huius significati istarum particularum est, quod Euangelistæ promiscuè utuntur, In tribus diebus, aut tertia die resurgam. Locutus Matthæi uigesimosextimo est in primis notatu dignus, ubi dicunt pharisæi Pilato: Domine, recordati sumus, quod ille seductor dixit, Post tres dies resurgo, iube ergo muniri sepulchrum usque ad diem tertiam, *ὡς τῆς τρίτης ἡμέρας*. ubi si non concedas, istas præpositiones Usque & Post includere metas temporum, aut dies in quos desinunt, & à quibus incipiunt, ineptissima & absurdissima erit illorum in suo prauo instituto uigilantissimorum hominum oratio: quod scilicet sepulchrum sit tantum illo primo biduo custodiendum, & porro negligendum: quando quidem Iesus dixerit, se elapso triduo, quarta demum die resurrecturum. Sic enim non fuisset custoditum sepulchrum eo tempore, quo id maximè custodiri oportuisset. Contrà uerò Matthæi uigesimosexto uidetur præpositio Post excludere metam aut diem, post quem aliquid fieri debeat. Cum enim Christus dicit, Scitis quod post biduū pascha fiet: uidetur, quod tertiam, non secundam diem notet. Prima enim die cœnauit in Bethania in domo Simonis leprosi, ubi offensus est Iudas profusione unguenti: secunda abiit Iudas ad sacerdotes, eis que promisit prodicionem Domini, unde cœpit querere ac captare occasionem prodendi eum, ut in textu est: tertia denique die uesperis fit pascha, & Iudas prodit Dominum. Nam illud, Ex eo tempore quærebatur oportunitatem ut eum proderet: omnino indicat, intercessisse aliquid moræ inter conuentionem aut contractum prodicionis, & ipsam prodicionem. Hanc uulgarem rudemque obseruationē si notassent doctissimi uiri, tum recentiores Annotatores Testamenti noui, tum & ueteres, non adeo sese torssissent in conciliandis istis dictis, Tertia die, aut post tertiam diem resurgam. Sophistæ aut Iuristæ recentiores hanc ambiguitatē animaduertentes, soliti sunt adijcere duas istas uoculas Exclusiue aut Inclusiue, ante aut post tres dies inclusiue: .i. includendo in hoc numero dierum, etiam illā diem quæ pro meta ponitur: aut contrā, excludendo eam. Verūm ut præpositio Post & *μετὰ* tanto magis innotescat, adscribam locum ex Annotationibus cuiusdam recentioris supra Marci octauū: non quod putem eū commodissimè illum locum exposuisse: sed quia multa exempla adducit ex scriptoribus, unde uis Græcæ præpositionis perspicui aliquanto clarius potest. Tribus post diebus, *μετὰ τῆς τρίτης ἡμέρας*, Vulgata & Erasmus ad uerbum, Post tres dies: quæ interpretatio non modò est obscura hoc quidem loco, sed etiam (ut existimo) falsa. Itaque magnas peperit controuersias inter doctissimos uiros, qui hunc locum cum alijs multis conciliare student: in quibus disertè dicitur Christus non post tres dies, sed ipso die tertio resurrecturus. Dicam igitur & ego quod sentio, ut eruditiores iudicent. Qui ad synecdochen confugiunt, non penitus expediunt nodum: quia nemo Latine dicet, post tres dies fieri, quod fit intra illud tempus. Quid ergo? Certè genus dicendi quo usus est Dominus in suo sermone, minimè ambiguum fuisse declarat Pharisæorū oratio Matthæi uigesimosextimo, petentium à Pilato ut iubeat muniri sepulchrum in tertium usque diem: Quia (inquit) meminimus impostorem illum dixisse, cum adhuc uiueret, *μετὰ τῆς ἡμέρας ὑψίστου*. Hoc igitur dicendi genus si ambiguum fuisset, trium dierum mentionē non fecissent pharisæi: quibus elapsis, se nihil metuere testantur, quum in id duntaxat spacium à Pilato præsidium petunt. Hoc igitur quum uideret Stapulensis homo tam pius quā eruditus, alia uia aggressus est hunc

hunc nodum explicare. Ostendit enim ex Apollonio Grammatico præpositionem *μετά* interdum poni pro *ἐν* apud Græcos: ueluti quum dicunt, *μετά χερσῶν ἔχουσιν*, pro *ἐν χερσῶν*: id est, in manibus habere. Sed hoc fateor non satis conuenire, quum in eiusmodi exemplis, quæ lia permulta reperiuntur, nullum temporis interuallū significetur. Erasmus igitur aliam excogitat rationem: nempe, ut triduum supputetur à captiuitate Christi, non ab occisione. Sed hanc interpretationem satis refutat illud, quod ex Phariseorum oratione collegimus. Deinde, quum resurrectio morti opponatur, constat tempus futuræ resurrectioni constitutum, potius ab ipsa morte quàm à captiuitate initium ducere. Quid igitur? Nempe hoc affirmare non dubito, fieri non posse ut in hoc dicendi genere & similibus, *μετά* respondeat Latinæ præpositioni *post*. Nam primū omnium (ut in proposito nobis exemplo maneamus) qui post tres dies futurum aliquid pronunciat, nullū certum diem constituit, non quartum, non quintum, non sextum, non septimum, non denique ullum aliū. Itaque nemo sic loqui solet: neque (ut opinor) creditor ullas est, qui mutui solutionem uelit hac formula stipulari. Deinde id ipsum liquet ex illa Phariseorum petitione. Nam si *μετά τρεῖς ἡμέρας* declarat, Post tres dies, quid tandem ineptius fingi potest hac oratione: sube muniri sepulchrum in tertium usq; diem, quia iste post tres dies sese dixit resurrecturum? Nam potius ante tertium diem exactum nihil illis metuendum fuisse, aut certè post tertium diem maximè fuisse custodiendum sepulchrum, ea loquutio declarat. Ex quo efficitur, interpretationem illam stare non posse. Tandem igitur, ut ad nostram accedamus, dico, *βηθ* præpositum uocabulis apud Hebræos, quum propriè respondeat Græcæ præpositioni *ἐν*, & Latinæ in, tamen interdum idem ualere quod *μετά*, id est, post: id quæ interdum, ita ut res non post tempus exactum, sed intra ipsum geri dicatur, sicut accipitur Leuitici duodecimo. Quinetiam interdum pro *μετά* accipitur, ita ut tempus præteritum excludatur: ut Deuteronomij quarto, & eiusdem libri nono, & Esaiæ uigesimo. Itaque cum in hoc dicendi genere, *ἐν τρισὶν ἡμέραις*, sit locus *βηθ* Hebræorum: nihil mirum est, Euangelistas ita Græcè scribentes ut plerunq; hebraizent, illud *βηθ* modò per *ἐν*, modò per *μετά* expressisse: eodem tamen sensu. Denique, ut hæc ratio Hebraici sermonis non satisfaciat, hoc etiam dico, apud ipsos disertiores Græcos præpositionem *μετά* sæpè pro *ἐν* & *ἐξ* usurpari: id quæ etiam cum certum aliquod tempus nondum præteritum declaratur. ut in illo uersiculo Homeri *Ὀδυσσ. χ. μισυθῆσι μὲν ἀεισθούσῃ μετὰ δάκρυα*: id est, *ἐν δάκρυ*, seu potius *μετὰ δάκρυ*, aut *παρὰ δάκρυα*, pro quo Latini dicerent, inter prandendum, aut in prandio: non autem, post prædium. Sic Eurip. *βῆλεχου: τὰ δ' ἰδρὰ νόστον ἢ μὲν ἡμέραν τινῶν*, id est, interdum, quod & apud Aristophanem, & apud Plutarchum reperias in dialogo *πρότῃ τῶν σῶν προνομίσθαι*: ubi de ranis loquitur. Apparet igitur, *μετά* non semper declarare consequens tempus, sed etiam interiectum, & adhuc uigens. Quamobrem Deuter. trigessimoprimo, pro eo quod in Hebræo legitur, *Α' fine septem annorum*, Græcus interpret uertit, *μετὰ ἑπτὰ ἔτη*: 60 quum tamen de anno remissionis, id est, de ipso anno septimo agatur, sicut declarant ea quæ proximè consequuntur. quamuis nonnulli Hebræorum interpretes aliter sentiant. Videtur enim etiam illud *γὰρ μὴ κέζ* respondere præpositioni *μετά*, pro *ἐν* usurpatæ, in hoc quidem dicendi genere, quod Galli sic ad uerbum exprimerent, au bout de sept ans: septimum ipsum annum intelligentes, eum quæ uel inchoatum, sicut accipitur manifestè Deuteronomij decimo quinto: uel penè peractum, ut eo loco quem paulo antè citauī. Græ-

ci uerò nonnunquam per *μετά*, ut modò ostendimus: interdum per *ἐν*, ut infra decimo quinto capite, *ἐν τρισὶν ἡμέραις*: uel per *διὰ*, ut Deuteronomij decimo quinto, & infra decimo quarto capite, & Matthæi uigesimo sexto, *διὰ τριῶν ἡμερῶν*. uel per *ἐξ*, præsertim cum de futuro agitur: ut Aeschines, *ἐξ ἧμερῶν πιαχθῆσται*. Itaque (ut ad rem redeam) *μετά τρεῖς ἡμέρας* idem omnino declarat, atque *ἐν τρισὶν ἡμέραις*, uel *διὰ τριῶν ἡμερῶν*, uel *ἐξ τριῶν ἡμερῶν*: id est, ut ipse Matthæus explicat decimo sexto capite, *τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ*: id est, ut loquuntur Latini, tertio post die, uel tribus post diebus. quam interpretationem germanā esse, uel illud declarat, quod si eam sequaris, optimè cohærebit illa Phariseorum petitio, nempe ut ad diem usque tertium muniatur sepulchrum, eo quod dixisset ille sese tribus post diebus resurrecturum. His enim loquendi formulis tertium ipsum diem à Latinis intelligi, satis constat ex oppositis dicendi generibus: in quibus scilicet usurparatur præpositio Ante. ueluti quum dicimus præcisè IIII, IIII, uel V Nonas, Idus, Calendas, & sic deinceps: quum sit plena loquutio IIII, uel IIII, uel V die ante Nonas, Idus, Calendas: sicut semel loquitur Cornelius Tacitus libro duodecimo. quum inquam id dicimus, præpositio Ante non excludit diem ipsum Nonarum, Iduum, Calendarum: sed significatur dies II, uel III, uel IIII, ante Nonas, Idus, Calendas. sic etiam Priscianus, quum ita loquimur, annos X natus, existimat subaudiri præpositionem Ante: quum tamen id de eo dicatur qui decimum ipsum annum agit. Vtramuis igitur harum interpretationum sequaris, nempe intra tres dies: uel tribus post diebus, siue tertio post die, rectè (ni fallor) expresseris illud, *μετὰ τρεῖς ἡμέρας*.
POSTREMUM, *acherith* *אַחֶרֶת*, est expositum supra in uoce *Nouisimum*: hoc unum nunc tantum addam. Psalmo centesimo nono est, *Sit postremum eius ad excindendum. pro posteris eius excendantur. id est, deleantur, extirpentur fieri alicuius posteriora peiora prioribus. dicitur de recidiuis morborum corporaliū ac spiritualium, cum multo maiora sunt mala, peius uè habet recidens in morbum post sanationem, quàm ante sanationem habuerat. Quod Petrus secundæ 2, & Christus Matthæi duodecimo usurpat de ijs qui post penitentiam, iustificationem, & renouationem denuò redeunt ad uomitum, aut recidunt in regnum peccati, & contra conscientiam amisso spiritu sancto peccant. Posteriora Dei uidere, Exodi trigesimo tertio, Deus Moysi petenti uisionem sui pollicetur, se posteriora monstraturum: quod multi exponunt de exitu operum Dei, unde cognosci potest, quod sint opera Dei, quod quæ (ut ita dicam) Deus ibi adfuerit, cum initium eius operum aliàs pertriste ac noxium, uel etiam imbecillū esse uideatur, & minimè præ se ferat diuinam omnipotentiam aut bonitatem, ut in liberatione Aegyptiaca: contra Satanæ opera, ut hæreses, monastica, seditiones & similia initio lætam speciem præ se ferant, & post sedemum (ut uulgò dicitur) fœtorem relinquunt: sicut in lapsu primorum parentum cernere est. Aliqui exponunt etiam de incarnatione Christi postremis temporibus sequutura, ex qua, aut per quam Deus uerè cognosci potuit. ille enim est uia & aditus ad patrem, sicut ipse inquit: Qui uidet me, uidet & patrem.
PRÆCEDO aliquem, nonnunquā significat ducem aut ductorem eius esse, eiq; prospicere. Deuteronomij I: In hoc uerbo nō credidistis Iehouæ Deo uestro, qui præcessit nos, ut prospiceret uobis locū, &c. i. qui non tantum uiam nobis monstrauit, sed etiam de omnibus necessarijs prospexit. Sic & Exod. 32 flagitant Israelitæ ab Aarone ut sibi fabricet deos qui eos præcedant. i. præcedant ducendo, opitulando, alendo, defendendo & consulendo.*

consulendo. Actorum septimo: Et mox facto aut fuso idolo clamant: Isti sunt dii tui, qui te eduxerunt ex Aegypto. Idem igitur est præcedere populum, quod educere. Præcedere Dei misericordiam aliquem. Psalmo 79, Ne recorderis nobis iniquitatum priorum: Festina, & præcedant nos misericordiam tuam, quoniam attentuati sumus nimis. id est, citò nobis contingat tua misericordia & beneficentia: alioqui nisi id citò fiat, actū erit de nobis. Sed de hoc significato in uerbo. *Præuenio*. Ignis ipsum præcedet & inflammabit in circuitu aduersarios eius: Psalmo 97. Descriptio est omnipotentiam & seueritatis Dei contra impios, facta allusione ad illam terribilem speciem Dei, qua apparuit in monte Sinai. Proverbiorum decimoquinto & decimosexto dicitur, gloriam quidem præcedere humiliationem ruinam autem superbiam: id est, Deum solere primū humiliare eos quos uelit exaltare, homines uerò solere superbia sibimet accersere exitium. Meretrices & publicani præcedent uos Phariseos in regno cælorū, Matthæi 21. id est, anteuertent uos, potius aut citius saluabuntur quàm uos: quia illi agnoscere coguntur sua peccata, eoq; procliuius illis est ad misericordiam Dei confugere, quàm uobis Phariseis, qui confidentes de uestra iusticia, misericordiam Dei, & meritum Christi contemnitis, propriamque iusticiam statuere conantes, iusticiam Dei subiecti non estis. Ob remissionem præcedentium peccatorum, Romanor. tertio. Hinc aduersarij conantur illam suam blasphemam doctrinam extruere, quòd Christus satisfaciatur tantum pro peccatis ante baptismum aut primam iustificationem commisisis: sed pro sequentibus, Misis aut bonis operibus nostris aut aliorum esse satisfaciendum. Verum ille est uerus sensus, quòd omnis remissio peccatorum fiat tantum de præteritis, non autem de futuris, ut aliqui indulgentiarum præcones olim factitarunt, & multa priuilegia papalia faciunt. Exempli gratia, ut alicui liceat carnes uetitis diebus comedere. Quid enim aliud est uetita in religione concedere, quàm futura peccata condonare? Tale nihil docet uera Theologia. Quare rectè ait Paulus, Ob remissionem præteritorum peccatorum. Rectè etiam dicitur. Paulum potissimum ad præteriti temporis tenebras & regnum peccati inter & super gentiles respicere: & ueluti de illa tota expurgatione stabuli Augiæ aut cloacæ diaboli, nempe totius gentiliti: quod sæpe facit, respiciens non tam ad singulorum hominum iustificationem, quàm ad omnium redemptionem. Ideo mox addit, In præsentis tempore, ut præteritum tempus ac statum gentilitium, à Satana in omni impietate ac iniusticia detentorum, cum præsentis redemptione ac liberatione eorundem per Christum conferat. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Erasmus putat legendum esse, Processit. Verisimile sanè est, sic olim uersum fuisse. nam id magis Græco respondet. Sensus autem est, iam auroram esse, cum nox propemodum prætergressa sit, & dies immineat. Respicit uerò in hisce metaphoris etiam perspicuitatem doctrinæ, eius uel reuelatione: uerum ad propagationem Euangelij, quæ nondum erat plenè peracta, sed radios tantum instar auroræ per orbem terrarum sparserat. De peccatis præcedentibus ad iudicium, dictum est supra in uoce Peccati. I Tim. 5. Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium: quorundam autem sequuntur. loquitur de iudicio Ecclesiæ, quæ multos maturè agnoscit ex eorum manifestis sceleribus aut erroribus: ut Simonem Magum, cui ideo noluit imponere manus. Sed hypocritarū fraudes sæpe tardius resciscuntur ut Saulis & Iudæ, & illorum qui in extrema die dicent. Domine Domine non ne in nomine tuo prophetauimus? Luc. 22. Qui maior est inter uos, fiat sicut minor: & qui

est præcessor, fiat sicut minister. In Græco est, Dux, qui cæteris doctrina & exemplo præit.

PRÆCELLERE, est idem quod antecellere, aut excellere. Romanorum 3, Quid ergo præcellimus nos Iudæi gentiles? id est, in quo tandem sumus potiores, aut in qua tandem re est melior nostra conditio? Siue regi, ut præcellent: siue ducibus, ut ab eo missis. I Pet. 2. id est, summum gradum dignitatis & autoritatis in hoc mundo diuina ordinatione tenenti, à quo omnes alij inferiores magistratus suam dignitatem ac potentiam accipiant, & unde toti dependant.

PRÆCEPS: uide supra in uerbo FESTINO.

PRÆCEPTOR, est doctor, docens aliquem. Hebraicè Rabi, Græcè *καταχρησται*. Christus Matthæi 23, uertans sibi dicere aut habere præceptorem in terris, ostendit esse duplicem ordinem doctorum. Alterum superiorem, qui auditur citra exceptionem, ac sine omni probatione: sicut olim Pythagoram sui audiebant, dicentes, Ipse dixit. Talis in religione nemo à nobis haberi agnosciq; debet, præter unum Christum. Alterum ordinem inferiorum doctorum, qui uocem Christi sonant, & eatenus audiendi sunt, quatenus solius Christi uocem ac doctrinam afferunt. Eadem ratione Augustinus exponit hunc locum de prohibitione ambitionis, in Sermone super uerba Domini ex II Matth.

PRÆCIDO uerbum nihil obscuritatis aut Hebraismi habet: tantum igitur duo loca attingam. Isaiæ 38. Præcidi ueluti textor uitam meam. id est, ueluti textor in medio opere, & cum summo ardore pergit laborare, subito rupto filo in suo curriculo aut opere impeditur: sic meam uitam in medio curriculo mors abruptit, Atroposque filum meæ uitæ præscindit. Isaiæ 51, Respicite ad petram unde excisi estis, & ad lacum unde præcisi estis. Sunt metaphoræ, sumptæ à latomij & fodinis, unde lapides, arena, aut argilla in aliquos usus effoditur, ad generationem liberorum translate.

PRÆCIPIO uerbum, *קצף* ziffa, est superius in uerbo Mando, & Præceptum in Mandato expositum: idè enim hæc duæ uoces in Sacris literis ualent.

PRÆDA suas quasdam phrasas habet: de paucis dicam. Num. 23. Non accubabit, donec comederit prædam, & sanguinem occisorum biberit. id est, donec perfecta uictoria & præda plenè potiatur. Verum ista locutio, sanguinem bibat, magis respicit ad adiunctam similitudinem leonis, quàm ad ipsum Ifraelem. Ita enim habet integer locus: Ecce populus quasi leo grandis consurget, & quasi leo eleuabitur. Non accubabit, donec comedat prædam, & sanguinem occisorum biberit. Exterminabo de terra prædam tuam: Nahum 2. id est, Efficiam ut porrò non diripias in terra alias gentes.

Præda igitur, pro prædatione accipitur. *Esse* alicui suam animam in prædam, est incolumem ex bello aut periculo euadere, sine ullo alio lucro. Ieremiæ 39, Quoniam liberando liberabo te, ut in gladio non cadas: & erit tibi anima tua in prædam, quoniam in me confisus es. Id est, tu ex tanto periculo incolumis euades, & lætabere, perinde ac si magnam prædam tecum asportasses. Ieremiæ 45. Dabo tibi animam tuam in prædam, in omnibus locis ad quæ tu perrexeris. id est, ex omnibus locis ac periculis incolumis euades. *Montes præda*, Psal. 76. pro regnis tyrannicis ponitur, quia plerumque potentes grassantur prædando in alios imbecilliores. Dicit igitur psaltes de regno Iuda, id est, de Ecclesia: Fortis es tu, & magnificus præ montibus prædæ. id est, Ecclesia est gloriosior & stabilior quàm tyrannica mundi regna, quæ sicut aliquandiu omnibus terribilia & molesta sunt, ita tandem ab omnibus spoliuntur. Amos 3, Num rugiet leo, si non cæpit prædam? Nam hæc uox tribuitur & militibus, & rapacibus animalibus. Nunquid auferetur præda forti, aut quod captum fuerit à robusto,

robusto, saluum esse poterit: *Isaiæ 49.* In Hebræo est, quod captum fuerit à iusto, זדיק zaddik. Credo sanè melius habere hic Vulgatam, & in Hebræo pro zaddik legendum esse ariz, ut mox ex sequenti inuersione aut antithesi apparet, ubi est ariz, quod tyrannum & potè-rem ac robustum notat. Sensus quoque id flagitat. nã tali haud facillè aufertur quod semel rapuit.

PRÆDESTINO, & PRÆDESTINATIO: Sunt aliquot cognatæ uoces, aut etiam res in Sacris literis, perdifficiles, & quasi adhuc in reconditis mysterijs seclusæ, aut certè non prorsus plenè patefactæ: ut sunt, Propositum, præscientia, electio & prædestinatio, aut præordinatio Dei. Sophistis *Præscientia* est, quædam Dei præcognitio futuræ bonitatis, aut meritorum priorum hominum, & prauitatis ac peccatorum impiorum: ob quã præuisam bonitatem aut improbitatem, Deus porrò prædestinauerit aut præordinauerit, hos quidem ad exitium, illos uerò ad salutem. Sed impiã esse hanc sententiam, uel inde apparet, quòd & prædestinationè in fundamento nostræ probitatis, non Christi meriti collocat: & quòd tum Originale peccatum, corruptionè aut malitiam, qua omnes homines ex æquo infectos esse constat: tũ & Christi ac Spiritus sancti efficaciam, ex qua sola omnis nostra pietas & probitas dependet, in uniuersum abolet & tollit. Verùm de Sophistarũ sententia postea aliquid adijciam: nunc eruditorum quorundam descriptiones harũ uocũ ad scribam. Hieronymus igitur indicat eam differentiam esse inter *προποσιμὸν* & *πρόδοσιμ*, hoc est, inter prædestinationem & propositionem siue propositum: quòd illud pertineat ad ea quæ multo antè definiuimus in animo, antequam fiant: hoc, cum iam uicina est machinatio, ut penè cogitationem sequatur effectus. Erasmus porrò super Romanis 8. de hisce uocibus aut rebus ita scribit: Secundum propositum *κατὰ πρόδοσιμ*, id est, iuxta animi destinationem: ut Propositum, referatur non ad sancti, aut ad hominem recti propositi, sed ad prædestinationem Dei. Ita Origenes ac Thomas: etiam si Ambrosius utrunq; uidetur attingere. quanquam & Origenes aliquantò inferius explicans qui dicantur uocati, & non electi, qui uocati & electi, non nihil à seipso distinet, interpretans *Secundum propositum uocatos* dici, qui priusquam uocarentur, propenso iam tum erant animo ad cultum diuinum, quorumq; promptæ iam uoluntati tantum deerat uocatio: uidelicet ut propositũ non ad Deum destinantem, sed ad hominem in animo statuentem pertineat. Nisi fortè interpres hæc adiecit de suo. Ambrosius sequitur Augustinus in Libello de correptione & gratia, cap. 7. Electi, inquit, sunt, qui secundum propositum uocati sunt: propositum autem non suum, sed Dei. nam Paulus proximo huius Epistolæ cap. simili sensu dixit propositum Dei, &c. Rursus ad Ephes. cap. 1. &c. Et paulo post: iam superius adnotauimus, apud Græcos hoc uerbum *πρόδοσιμ* aliquoties accipi pro statuit, siue decreuit, quod cognitio coniuncta sit deliberationi: & uidentur hæc non tam genere aut ratione inter se dissiidere, quàm gradibus quibusdam & interuallis inter se distincta connecti: quò magis rem Paulus exponat oculis, ut *προγνώσιμ* sit deliberãtis ac statuentis, quod tamen aliquo modo possit immutari, ut hominum more loquamur: deinde *προορίζεσιμ* siue *δρίζεσιμ*, quod decretum fuerit iam palam pronunciantis: quod fieri nõ solet, nisi quum ita decretum est aliquid, ut mutari non possit. Porrò ubi pronunciaris quod decreuisti, superest ut exhibeas ac præstes quod es pollicitus. Incipit autem exhibere, qui uocat & inuitat. Deinde ne uideatur frustra uocasse, uocatos iustificat etiam, sine quo non sumus capaces promissi. Denique iustificatis datur præmium. Igitur *πρόδοσιμ* Deus ab æterno, quos decreuit ac statuit ad immorta-

litatem uocandos esse: *πρόδοσιμ*, de quibus iam per prophetas suos, ac multo magis per filium pronunciauit, promulgato decreto suo. Vocauit autem per prædicationem *ΙΗΣΥ*, iustificauit per mortem illius, glorificauit per resurrectionem ac præmium immortalitatis. Siue, uocauit per doctrinam Euangelicam, iustificauit per baptismum, glorificauit per dona Spiritus. Ad hũc modum Paulus gradibus quibusdam, ab eo quod est omnium primum, peruenit ad id quod est omnium summum, quò res esset firmior & absolutior. Quod si quis durius existimet, me tollere præscientiam hoc loco: sciat ad eum modum interpretatum esse Theophylactum, Græcum interpretem: & quo quidam credent libentius, recentem, qui hoc putat interesse inter *πρόδοσιμ* & *προορίζεσιμ* siue *δρίζεσιμ*, quòd illud sit minus firmum, hoc firmius, quinetiam ubi Petrus scribit *προορίζεσιμ* γὰρ πρὸ τοῦ καταβολῆς τοῦ κόσμου, quo loco Præscitos erat uertendum iuxta horum sententiã, nec Lyranus ueretur exponere præordinatos. Et Thomas indicat fuisse, qui hoc loco Præscientiam aliud quiddam fuerint interpretati: nempe præparationem ad gratiam, quàm pro tempore Deus ostendit in Sanctis, ne uideelicet nihil interesset inter Præscire & Prædestinare: quorum commentum idem meritò reijcit. Quanquã nec Origenes hoc loco probat, ut *πρόδοσιμ*, id est, Præscientiam, iuxta cõmunem sensum accipiamus, iuxta quẽ Deus & perituros præsciuit. ut iã falsum sit, quoscunq; præscierit, eosdem & prædestinasse. Verùm sicuti diuina Scriptura, iuxta consuetudinẽ sermonis sui, cognosci dicit eos quos Deus affectu cõplectitur, Nõ noui uos, &c. nouit Dñs uiam iustorum: ita hic præcogniti dicuntur. Neq; uerò me clãm est, quosdam ex hoc loco quæsisse campũ exercendi ingenij, in quo de præscientia, deq; prædestinatione Dei philosopharentur: uidelicet Origenẽ, diuũ Augustinum, Thomã Aquinãtẽ: & post hos, omnes Theologorum scholas, quorum ego industriam non improbo. Alius porrò quidã exactius & acutius istas uoces, earumq; significata trutinat, utinã etiã uerius. *πρόδοσιμ* non tantum noscere declarat, sed etiã decernere, & quidem decreto approbare, quũ electis peculiariter applicatur, ut infrã ca. 11. & 2 Tim. 2 & Galat. 4, & 1 Pet. 1. Si quis tamen subtilius malit distinguere, *Propositum* dixerim quasi uniuersalẽ esse deliberationẽ, & eã quidẽ non incertam, & quasi adhuc fluctuantẽ (ut existimauit Erasmus post Theophylactũ) sed ita firmã ac certã, ut omnium rerum firmitas hoc solidissimo fundamento nitatur. Præscientiam autem illi subtexi, qua scilicet Dñs iam incipiat quod in genere decreuerat distribuere. Verbi gratia: Proposuit Dñs gloriam suã illustrare, hoc sit propositũ propriè uocatũ. Deinde constituit, quorũ hominũ salute glorificetur: ita ut illos habeat in cõspectu, quos peculiari fauore dignetur suis momentis. hæc sit præscientia, uel prænotio. Postremò huic præscientiã atextitur *προορίζεσιμ* prædestinatio, qua s. Dñs certis gradibus suos illos destinat ad se uocare, ut quẽadmodũ proposuit, eorũ salute glorificetur, cuius prædestinationis fons & caput est Christus. Ita fiet, ut electio utrunq; illud. i. tũ præsciẽtiã illã de qua dixi, tũ et prædestinationẽ cõprehendat. Iam uerò, quia certũ est Dei definito cõsilio & præsciẽtiã nõ illa modò fieri quæ in sese bona sunt & approbãur, sed et ea quæ nõ quatenus Dei consilio & manu prædestinata sunt ut fierẽt, sed quatenus à peruersis & corruptis instrumẽtis fiũt, planè sunt sceleratissima, & ipsi et Deo execrãda (ut Act. 2 & 4, & alijs innumerabilib. locis) hac ratione licuerit Propositũ aut generale decretũ accipere, quod ad reprobos et pertineat: & præsciẽtiã illi adiungere, qua fiat ut Dñs omnia ac singula prospiciat: itẽq; prædestinationẽ, docedi causa, ad utrãq; partẽ porrigere, qua electos misericordia

ricordiæ in Christo, reprobos uerò indurationi in Adamo destinari: ut in utriusq; oppositū gloriæ suæ exequatur. quæ itē prædestinatio non ad ultimū finē dūtaxat, sed ad omnia ēt singularissima pertineat. Qui uerò præsciētiae nomē referūt ad qualitates in hominib. præquis, quib. Dñs ad eligēdū uel reprobandū ducatur, puta fidē uel incredulitatē, perseverantiā aut defectionē, bona uel mala opera, illi sciant se esse ita ineptos & imperitos, ut ne refutatione quidē indigeant. Sed inter Electionē tamē, & prædestinationem, si subtilius omnia scrutemur, quū alioquin Electionis nomē latius pateat, hoc intererit, quòd electio respicit partim Dei, propositū, partim oppositū reprobōrū membrū: quū mutuò se respiciant electi & reprobi: prædestinatio uerò respicit partim ipsius, propositi executionē, ac, p̄inde totū tū causarū, progressum, quo Deus suos deducit, ut quū hic dicimur prædestinati ad adoptionē, alibi uerò ad opera bona, alibi ad ferendā crucē, ut Rom. 8. & ad cognoscendā Dei uoluntatē, Act. 25. partim fines quos sibi Deus in eligēdo, proposit, nēpe uitā æternā in honore electorū, ut Act. 13, Rom. 9. & gloriā ipsius Dei, qui finis est ultimus, ut Ephe. 6. Synonyma. n. sunt, προορισμ, προορισμ, & similia, in quib. omnib. προορισμ declarat cōsiliū Dei, quod quidē nō modò euentus, sed ēt causas ipsas ex omni æternitate antegreditur. Sanē hæc subtiliter omnino, & limatē dici uidentur, de quibus nunc pronunciare nō libet ob graues causas, præsertim quòd (ut dixi) ardua & quasi in mysterijs Dei adhuc abscondita esse uidentur. Addā igitur adhuc tantum quædā paulò crassiora, nō tamē negligenda. προορισμ significat decernere & præfinire. Vtuntur ea uoce Apostoli, cū loquuntur de talib. Dei decretis, quæ quidē suo tēpore fuerūt occulta: sed tamen postea in uerbo Dei reuelata sunt. Nā Act. 5. cū Apostoli uolunt indicare, iā impleri ea quæ in Psalmo scripta sunt, Quare fremuerunt gentes: dicunt ea nunc fieri, quæ manus Dei & cōsiliū Dei præfinijt: hoc est, quæ Deus reuelauit in uerbo futura esse. Rom. 8. Quos præsciuit, illos ēt προορισμ prædestinauit: hoc est, decreuit & reuelauit in uerbo suo, quod oporteat eos conformes fieri imaginis filij sui. 1 Cor. 2. Loquimur sapientiam in mysterio absconditā, quā Deus προορισμ: hoc est, decreuit reuelare. Eadem fermē significatione προορισμ usurpatur Act. 2 & 17: & ἐπιλεγειν Ephes. 1: & προορισμ, præordinare, 1 Pet. 1. Synonyma ēt ferē sunt προορισμ, 1 Pet. 1, Act. 2: & ὁρισμὸν θεοῦ, præfinitum cōsiliū: Act. 2. καὶ τὸ βουλὴ τοῦ θεοῦ, manus & cōsiliū Dei, Act. 5. ὁδοποιεῖν τὸ θεοῦ βουλὴ, beneplacitū Dei uoluntatis: Ephes. 1. προορισμ, propositum. Ibidem: βουλὴ τοῦ θεοῦ, cōsiliū uoluntatis diuinæ, ibidem. Videntur autem Apostoli hanc ob causam huiusmodi phrasib. uti, ut moneant, opera Christi & res in Ecclesia euenientes non casu accidere, sed à Deo olim præuisa & decreta, & in uerbo ipsius reuelata esse. Rom. 1. habet Vulgata, Qui prædestinatus est filius Dei in uirtute. In Græco est propriè, Declaratus, demonstratus, aut certò comprobatus, quòd sit uerus uiuentis Dei filius. Non tantum igitur aberrauit Verbor à uero loci sensu & uoce Græca, sed etiam impię sententiæ occasionem præbere uisus est: quasi Christus nō sit essentialis Dei filius, sed adoptiuus ex prædestinatione solum, sicut & alij pij. Alioqui ratione officij aut muneris rectè dicitur Christus præscitus ante iacta fundamēta mundi, 1 Pet. 1. Præscientia Dei, omnino aliàs noticiā sine efficacia indicat. ut, 2 Reg. 19, & Isa. 37. Ego præsciui (aut noui) sessionem tuā, exitū tuū & introitū tuū, & furiosam cōmotionē tuā contra me. Aliquando uerò noticiā efficacē, & ordinantē efficientemq; futura indicat. Act. 2. Hunc Iesum definito cōsilio & præscientia Dei deditū, accipientes interfecistis. 1 Pet. 1. Electi secundū præsciētiam Dei patris, in

sanctificatione Spiritus, in obedientiā & asperisionem sanguinis Christi. Rom. 11. Non abiecit Deus populum suū, quē præcognouit, aut præsciuit. Quod alij de æterna prædestinatione intelligunt: alij, quòd Iudaicū populū sibi prius adsciuerit aut adiunxerit, quā gentilē: sicut inquit Deus ad Israelitas Amos 3: Tātum uos cognoui ex omnib. familijs terræ. & Hof. 13. Ego cognoui te in deserto, in terra arente siti. id est, mihi adiūxi, tuiq; curam habui specialē, neglectis alijs gentibus. PRÆDICARE, κηρύσσειν, Hebraicè קרא Kara, est clara, aut etiā intēsa uoce aliquid, aut aliquē celebrare. Hęc certē uis, præsertim Latini uocabuli est. Noui ergo Testamēti scriptores sumpta dictione à præconibus, & sunt regū & gubernatorū ministri, ac intēsa uoce populo uoluntatē aut decretū magistratuū denunciant, eorūq; uocantur κηρύκται, à prædicto uerbo κηρύσσειν, ob quā dā similitudinē personarum, rerum aut functionis, ministeriū & propagationē Euangelij expresserunt, ut indicarent, Euangeliū clarē, publicē & liberē cū quadā dignitate ac autoritate omnib. tradendū ac inculcandū esse: sicut olim præcones solebāt astante aut sequēte rege. Sicut & in Propheta dicit Deus, doctorem debere exaltare uocem suam, ut tuba facit, ac indicare populo peccata sua. Significat autem fermē idem quòd docere. Quare nihil necesse est de hac perspicua uoce prolixius differere. Quomodo porrò Christus prædicauerit in inferno spiritibus, in uoce INFERNI superius plenē indicatum est. PRÆFECTURA κτηνη pekuda in Hebræo, perim de p̄ functione accipitur, sicut in Latino sermone Proincia. Num. 3. Et præfectura custodia filiorum Merari asseres tabernaculi, & uerbes eius. id est, functio eorum erit gestare hæc. Numer. 4. Præfectura Eleazar filij Aaron oleum luminaris, &c. id est, eius officium aut functio erit hæc rectè curare. PRÆGNANTIVM & parturientiū periculosa conditio cum summis periculis, mœrorib. dolorib. ac difficultatibus conferri solet. Isa. 26. Sicut prægnās, cum appropinquat partui, dolet, clamat in doloribus suis: sic fuimus à facie tua Iehoua. pro, in tales difficultates nos perduxisti. Sic & rex Ezechias dicit Isa. 37. Venerunt filij usq; ad matricem, & non est uis parienti. Matth. 24, & Luc. 21. Christus prædicens summam tribulationem suo tempore in gente Iudaica sequaturam, inquit, Væ prægnantibus & lactantibus: non illis singulariter malum minatus, sed indicans fore ingentes calamitates & necessariam fugā. Tales uerò mulierculæ eiusmodi onere impeditæ, parum sunt idoneæ ad fugam, aut uitandas irruentes clades. Est ergo tantum amplificatio quædam magnitudinis calamitatum. uide supra uerbum PARIO. PRÆLIVM. uide infra in uoce PYGNA, & supra in uoce BELLVM. PRÆMIVM, aut MERCEs, Matth. 5 uidetur significare causam præmij, ac ueluti meritum. Si dilexeritis diligentes uos, quam mercedem habetis? Non ne & publicani idem faciunt? Aliqui putant illud Habebitis, per futurum Habebitis exponendum esse. Sic Præmium in suo natiuo significato intelligendum esset: & sensus foret, quod tandem præmium meritò consequemini. PRÆMITTO, pro Deduco uertit Vulgata, ad uerbum προτίμνω. Tit. 3. Zenam legisperitum studiose deducito, ne quid eis desit. PRÆOCCVPARE: uide infra PRÆVENTIRE, aut PRÆVERTERE. PRÆORDINARE, est iam olim constituere ac ordinare aliquem ad aliquid. Vsa est Vulgata uersio hoc uerbo Act. 10. Deus manifestauit Christum post resurrectionem non toti populo, sed tantū testib. præordinatis ab eo. in Græco est, Prius ab eo delectis: i. quos

quos ipse iam olim ad hanc rem delegit. Sic dicit Act. 22 Paulus, Est præordinatum ut cognoscat illum iustū, & audiat uocem ex ore eius. In Græco est, Designauit aut delegit. Denique & Act. 13, Crediderunt quotquot fuerunt præordinati ad uitam. In Græco est Ordinati: id est, quos Deus pro sua bona uoluntate suo spiritu ordinauit ac direxit ad salutem æternam.

PRÆPARARE uerbum, in Vulgata uersione alibi aliquid obscuritatis habet. Est autē in uereri Testamento in talibus locis plerumq; כונן Cun, quod non tantū præparare, sed & erigere, constabilire ac consolidare, significat. De Græco uocabulo, & die Parasceues, supra dixi: ad uerbum autē idem sonat, quod præparationis: quia ea die se ad sequens festum ritē ac sine omni contaminatione & impedimento agendum præparabant, purificādo se, fermentum expurgando, & alia cōparando ac ordinando. Psal. 24, Dominus terrā fundauit super mare, & super flumina præparauit eam. In Hebræo est potius cōstabiliuit, aut (ut alij uolunt) construxit. *Veritatem præparari*, Psal. 89. Misericordia ædificabitur, in cœlis præparabis ueritatem tuā. i. cōstabilis, ratāq; ac firmā facies. Ibidem: *Vsq; in seculū præparabo semen tuū, ædificabo solium tuum. i. cōstabiliam, aut etiam perpetuō propagabo posteros tuos. Ibidem, Iusticia & iudicium sunt præparatio sedis tuæ.* In Hebræo מכון Mechon, habitaculum aut stabilimentū. In die præparationis eius, Nahum 21. pro, expeditio nis seu armationis, cū se ad bellum parat aut armat. Isa. 2 & Mich. 4 est, quod mons Domini erit præparatus: i. regnum Christi erigetur, & omnes ad se inuitabit ac at trahet, cunctis alacriter ad id accurrentibus. Is. 14, *Præparate filios eius ad occisionē: id est, occidite eos: uel certē ita omnia agite ac dirigite, ne euadant, sed omnino occidantur.* Præparauit Deus bona opera, ut in eis ambulemus: Eph. 2. Videtur idem esse quod ordinauit, mandauit, nisi quis id uelit referre ad singularia aliqua opera, miracula, propagationem Euangelij, & similia maiora facta, nō ad communia opera Decalogi, & quotidianæ uitę officia. Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis: Ephes. 6. quod dictum aliqui referunt ad prædicandum Euangelion, ut simus calceati & præparati ad annunciandum Euangelium pacis. Alij malūt intelligere, esse expositionem eius quod præcedit, Calceati pedes: nempe instructi, & probē eruditi, Euangelio docēte pacem, seu amicitiam cum Deo: quando quidem ibi non tantum ministri, sed etiam omnes Christiani erudiuntur. Locutio: *In præparatione Euangelij*, potest uel instrumentaliter intelligi, quod ea re debeamus esse ueluti calceati, armati ac parati: uel finaliter, hoc est, functione seu munere: quod in hoc seu ad hanc rem debeamus esse calceati aut instructi. Vterq; sensus est pius, ac fidei analogus. Ad quod & illud adijci potest, quod tunc ob paucitatem ministrorum, & multitudinem messis, ut Christus loquitur, seu numerositatem conuertendorum, fermē omnes pij per occasionem docebant, & Euangelion pacis propagabant. Notantur alioqui Euāgelistę per pedes, ut, *Quam pulchri sunt pedes euāgelizantium pacem?* & ob discur sationem per orbem terrarum, quę propagandę ueritatis causā fiebat, oportebat eos habere pedes ualentes, & probē munitos.

PRÆPUTIUM, primū ac propriē notat illam membranulā, tegentem extremitatem membri uirilis: cuius significationis innumera exempla sunt. Genes. 17. In hoc sensu uox hæc accipitur, cum Saul despondet filiam suam Michol Dauid, ob allata 200 præputia Philistæorum, 1 Sam. 18, & 2 Sam. 3. Hinc ab abscissione præputiorum, uocatus est collis præputiorum: Ios. 5. Secundō, uox hæc per metaphorā significat primi triennij fructus arborum nouarum. Leuit. 19. Quando

ueneritis ad terram Canaan, & plantaueritis arbores frugiferas, præputiabitur præputium fructuum eius: tribus annis erunt uobis præputia, nō comedentur. id est tribus primis annis habebitis eos fructus pro immundis & prophanis, eosq; abijcietis, sicut uestra præputia soletis. Tertiō, itidem per metaphoram indicat hæc uox natiam carnalemq; cordis nostri cæcitatem, per ueritatem ac prauitatem, quæ omnino à piorum mentibus remouenda sit: nempe totum ueterem Adamū, aut corruptam hanc naturam, quatenus ex utero matris nascitur. Deut. 10, Circumcidetis igitur præputiū cordis uestri, & ceruicem uestram non indurabitur amplius. Ibidem cap. 30, Circumcidet ergo Dominus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Deum in toto corde tuo, & tota anima tua, ut uiuas. id est, Dominus excidet cor tuum lapideum (ut Ezech. cap. 31 loquitur) & dabit tibi cor nouum ac spiritule, seu renouabit ac regenerabit te per uerbum, aquam & spiritum sanctū. Sic & Hier. cap. 4 inquit: *Auferte præputia cordis uestri.* Et 9, *Ecce dies uenient, quibus uisitabo omnem circumcisum in præputio. id est, qui licet sit exterius circumcisus, tamen intus in corde gerit præputiū, aut est præputiatus.* Sic mox sequitur: *Omnes quidem gentes sunt incircūcisę aut præputiata, tota uerō domus Israel est præputiata seu incircūcisā corde.* Colof. 2, *Vos eratis mortui delictis, & præputio carnis uestre.* Huius præputij circūcisionem Paulus Rom. 2 prædicat, & à Iudęis requirit. Quartō, præputium per metonymiam, posito signo pro re signata, significat ipsos gentiles, sicut circūcisio Iudęos. Rom. 3, *Deus est qui iustificabit circūcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Rom. 2, *Si præputium custodierit iustificationes legis, &c.* Ibidem: *Naturale præputium legem faciens iudicabit te literalem aut legalem circūcisionem.* Sic Paulus Galatis 2 suam prædicationem inter gentiles uocat Euangelium præputij, & uicissim Petri Euangelium circūcisionis, & Apostolatam circūcisionis: id est, prædicationem gentilibus aut Iudęis proposita. Quintō, significat præputium per synecdochen aliquādo totum gentilismum, seu gentilem uitam, religionē ac conditionem, quam Paulus Ephes. 2 hisce uerbis describit: *Vos olim uocati præputiū, fuistis alieni à Christo, à politia aut Ecclesia Israelis, extranei à pactis & promissionibus, spem non habentes, & sine Deo in mundo. id est, fuistis impij, & caruistis uero Deo.* Hanc totam conditionem aut sortem Ethnicorum uocat *Præputium*: quod idem est ac si diceret, *Gentilismum.*

Sextō, aliquando tantum partem gentilismi, quę quasi adiaphora est, seu externam illam speciem uocat præputium. Rom. 2, *Nonne præputium illius pro circūcisione reputabitur?* Præputium hic significat, id quod prius dixerat Gentes, quę legem non habent: nempe carentiam circūcisionis externę, ministerij externi, & cęremoniaram & obseruationum Mosaicarum, seu totius illius cęremoniarię pietatis, aut speciei pietatis. Sic ibidem inquit: *Si legem non seruaueris, circūcisio tua præputium facta est. id est, tua ista cęremoniaria iusticia, si uera pietate cordis caret, est ipsissimus gentilismus, est tibi perinde ac si non haberes eam, sed es impius gentilis.* Præputium ergo hic plenum gentilismum denotat. Sic Paulus hæc duas uoces usurpat, cum 1 Corinth. 7, & Galat. 5 & 6, negat uel præputium uel circūcisionem quicquam esse: id est, non tantum præsentiam aut absentiam illius pelliculę, sed & totam æternam ac cęremoniariam illam iusticiam aut pietatem Iudęorum, aut contrā gentilium, liberam, & illis obseruationibus carentem uitam. Atq; hæcenus dicit Paulus se Gentilibus factum Gentilem, & Iudęis Iudęum. id est, quod attinet ad illam externam speciem uitę, quę per sese reuera neque uerē pia, neque

impia est. Item quod 1 Corinth. 7 iubet unumquemque manere in suo genere uitæ: si sit uocatus circumciscus, non accersat sibi præputium: si præputiatus, non circumcidatur. id est, si fuit Iudæus, cum conuersus est, maneat in illa externa forma Iudaicæ uitæ: si fuit incircumciscus, aut gentilis, maneat in illa. Vbi non est Græcus aut Iudæus, circumcisio aut præputium, Scythia aut barbarus, seruus aut liber. id est, ubi nullius est momenti, ex qua gente, aut quibus maioribus quis sit natus: sed tantum in eo tota res sita est, ut sit Christianus. 10
 Quod est ex natura præputium, iudicabit te, &c. Rom. 2. id est, natus gentilis, & ex gentilibus: sicut contra Galat. 2, Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores. *Credere per præputium*: pro, in præputio, seu in gentili uita. Rom. 4, Ut esset pater omnium credentium per præputium. id est, qui alioqui sunt in gentili uita. Sic Rom. 2, Præputium iudicabit te per literam & circumcisioem transgressorem legis. id est, qui in litera & circumcisioem exiitens, seu habens hæc, uel licet hæc habeas, nihilominus legem transgredieris.

PRÆSENS, id quod uel coram alicui, uel etiam hoc tempore existit, seu quod præsens tempore aut loco est. *Præsentia*, 1 Cor. 3, omnia huius uitæ mala aut bona, sicut Futura alterius significat. Sic & 2 Cor. 4 uertit Vulgata, Quod in præsentem est momentaneum. Sic Gal. 1, Christus dedit semetipsum, ut nos eximeret ex præsentem seculo prauo. id est, prauis istis hominibus, eorum moribus, & pœnis æternis. Præsentem esse Spiritu, absentem corpore, quid sit, infra declarabitur in uocabulo **SPIRITVS**. Præsens refertur aliis ad eos homines qui loquuntur: sicut sæpe in Sacris legitur, Usque in præsentem diem. aliis ad eos ad quos fit sermo: ut 2 Petr. 1. Periti estis & confirmati in præsentem ueritate. id est, in religione quam habetis. Hebr. 13. Sint mores sine auaricia, & sitis contenti præsentibus. id est, quæ habetis, aut facile consequi potestis. Aliis etiam ad rem de qua agitur: Hebr. 12, Omnis castigatio in præsentem quidem non uidetur esse gaudij sed tristitiæ. At postea fructum paciferum iustitiæ affert ijs qui per eam fuerint exercitati. Præsentia corporis imbecilla, & sermo 40 nihil aut contemptus: 2 Corinth. 10. id est, cum coram Paulus adfuit illorum iudicio, nullam dignitatē, multo minus maiestatem præ se ferre uisus est: sicut & apud gentiles scriptores dictum est, Minuit præsentia famam, &c.

PRÆSEPE, nota uox. 1 Reg. 4 dicitur Salomon habuisse 40000 præsepiorum. id est, præsepia tot equorum capacia, ut præsepia singulorum equorum significent, non integros illos canales aut scaphas, multo minus integra stabula. *Præsepe Domini sui cognoscere* dicitur asinus, Ita. 1. ut ostendatur, plus rationis ac recti officij esse in brutis in suo uitæ genere, quam hominibus in suo. Asinus aut alia iumenta norunt, quò sese alimenti causa recipere debeant, nempe in heri sui stabulum. At homo nec querit opem à Deo, nec ullam partem obedientiæ illi præstat, aut eum omnino pro suo domino agnoscit. Prouerb. 14. Vbi boues non sunt, præsepe uacuum est. At multæ fruges crescunt, ubi est robur bouis. id est, ubi laboratur, ibi adest lucrum ac proventus seu necessaria uitæ. At ubi nemo uult laborare, ibi mox 60 est tristis egestas.

PRÆSTO, uaria significata apud Latinos habet, sed in Vulgata uersioe sæpissimè significat aliquid boni alicui facere, aut officij exhibere: quæ notio in Latino sermone non perinde est crebra.

PRÆSUMO, *Præesse* aliquibus: pro, regere eos, siue in Politia, siue in religione, crebrum est in Sacris literis. Sed Tit. 3 bis legitur, præesse bonis operibus: pro, administrare aut tractare negocia, aut opera honesta ac utilia in hac uita. Simili ratione dicunt Latini, Præ-

esse annonæ, erario, militiæ, aut alijs rebus ac functionibus: pro, administrare ac gubernare illa rectè. Vult igitur ibi Paulus, ut & Christiani discant artificia, & alias huic uitæ utiles functiones aut actiones.

PRÆSUMO: pro, ante alios sumo. *προλαμβάνω*, est 1 Corinth. 11, in uersioe Vulgata, Unusquisque propriam cœnam præsumit in comedendo. id est, ante alios sumit, non expectatis alijs occupat edere cœnam Dominicam. Alij uertunt, Occupat, aut præoccupat.

PRÆTER, nonnunquam significat etiã contrã: sicut in Andria, Præter ciuium morem atque legem. Sic & Rom. 16, Obseruate dissidiorum & scandalorum auctores, præter doctrinam quam uos didicistis: id est, contra eam. Sic Hebr. 11 Sara dicitur accepisse uim concipiendi, & pariendi præter ætatem: id est, contra ac de crepita ætas ferebat. Sic posses & illud Galat. 1 expone re: Si quis aliud Euangelium docuerit, præter id quod accepistis. Sic in Heaut. Terentij: Quod mihi uidere præter ætatem tuam facere, & præterquam res te adhortatur tua. id est, contra ætatem & diuitias.

PRÆTERIRE uerbum habet in Sacris quædam paulò obscuriora significata. Primum, quia quæ præterierunt, nõ amplius in suo statu aut rerum natura sunt: ideo præterire aliquando significat interire, euanescere. P sal. 18, A splendore coram ipso nubes præterierunt. Osee 13, Sicut ros matutinus præteriens: pro, euanesceus. P salm. 144, Homo uanitati similis, dies eius sicut umbra præteriens: pro, euanesceus. Sic Christus dicit Matth. 24, & Luc. 21, Generationem illam nõ præterituram, donec omnia illa fiãt. id est, (me iudicio) Iudaicam gentem non abolendam usque ad extremam diem, sed experturam ac perpeffuram omnia illa tristia mala. Sic ibidem dicit, Cœlum & terram præterituram: id est, interituram. Sic credo pro euanesceat aut perire accipitur hoc uerbum 1 Corinth. 7, Præterit species huius mundi. Sic enim illud *παράγει*, præterit, id est, *παρίστα*, interpretantur Græca Scholia: quæ expositio mihi uidetur maximè consentanea illi quod supra dictum erat de angusto temporis spacio. Mauult tamen Stapulensis (quem sequitur Alciatus libro *παρίστα* 2, cap. 30) interpretari *παράγει*, id est, fallit seu decipit, blanda scilicet specie homines alliciens. Budeus uerò neutram interpretationem secutus, exponit *παράγει*, id est *παράγει* *ωρα*, transuersum agit. Nam hoc quoque significat *παράγει* *ωρα*. Pro hoc uerbo sæpe reperitur *Transico*. Inde uulgo theologis *Trãstoria* uocantur caduca, de quo suo loco. Secundò, uicinium huic significationi est, cum præteri re indicat irritum fieri, suo sine carere, aut frustrari. ut cum Christus Matth. 5 dicit, unum iota aut apicem nõ præteriturum, donec omnia fiant: id est, irritum aut falsum fore. Sic Matth. 24 legitur, potius cœlum ac terram præterituram, quam uerbum ipsius. Tertio, *Præterire* aliquando significat negligere. Iob 6, Fratres mei præterierunt me. id est, neglectim ac non curates transferunt. Sic Leuita & Sacerdos dicuntur Luc. 10, saucium illud uiatorem præterijisset: scilicet, negligendo eum. Quarto, *Præterire* sæpe significat peccare, siue quia præcepta ac ius sunt quasi quædam rectæ lineæ, quas peccantes transgrediuntur: siue quia peccantes neglectim pertrãseant mandata ac uerbum Dei, non curantes quid nõ ille uel mandet, uel uetet: sicut in præcedenti significatione ostendi, uerbum *Præterire* significare negligere. Deuteron. 26, Non præteriui de præceptis tuis, neque oblitus sum. Ios. 23, Eo quòd transgressi estis præceptum Domini, quod mandauit uobis, & abiistis, & coluistis deos alienos. Eadem locutio est & Ierem. 5, & 34, Præterierunt sermones meos. Luc. 11, Præteritis iudiciũ & charitatẽ: id est, negligitis, aut uiolatis. Sæpe ònino reperitur uerbum *παράγει* Abar in hac peccãdi significatione in ueteri Testamẽto: sed admodũ crebrò est uer sum

sum per uerbū *Transco*, *Transgredior*, aut *Pertransco*. unde sunt nomina usitatiss. in Sacris, *Transgressio* & *Transgressor* pro peccatore. Aliquando in hoc sensu absolutē ponitur sine casu sequenti: Statui, ne transeat os meum. i. ne peccet. Hab. 1. pro, prateribit, derelinquetq;. *Prætereire os Dei*, Num. 24. Si dederit mihi Balac domum suā plenam argento & auro, non potero prætereire, transire, aut transgredi os Domini, ut faciam bonum aut malum de corde meo. Quod Dominus loquitur, id loquitur. Exponit Bileam ibi semetipsum. uide infra uerbum **TRANSECO**. *Prætergredior*, aut *Pertransco*, seu *Prætereo peccatum*: Prouerb. 19, Intelligens uir differt irā. & gloria ei est prætereire præuaricationem. id est, dissimulante & quasi conuiuendo transire offensas: ut supra indicaui, uerbum *Prætereundi* aliquando neglectiōnem complecti.

PRÆUARICOR uerbum, pro diuersis Hebræis Vulgata uersio usurpat. Significat autem peccare aut uiolare mandatum Dei. Actor. 1, quasi pro deficere ponitur: Ut accipiat sortem ministerij huius & Apostolatus, à quo præuaricatus est Iudas, ut abiret in locum suum. id est, unde desciiuit aut digressus est, uel aberrauit. Crebra admodum hæc uox cum suis deriuatis in Sacris est. Sic & 2 Regum 8, Præuaricatus est Edom de sub manu Iuda. id est, defecit. Sic Iosue 22, Quæ est ista præuaricatio, ut auertamini hodie de post lehouam. id est, quæ est ista apostasia? Dare præuaricationem in Iehouam. Numerorum 31. pro, præuaricari contra Iehouam. Hieremiæ 12, Omnes præuaricantes præuaricationem: id est, qui impudentissimè præuaricantur. Idē est Isaiæ 24, Præuaricatores præuaricati sunt, & præuaricatione præuaricati sunt. Prophetæ eius, uiri præuaricationum, Zophoniæ 3. pro, apostatæ. Isaiæ 43, Interpretes tui præuaricati sunt. & Hieremiæ 2, Pastores tui præuaricati sunt: scilicet, spargendo falsam doctrinam, corrumpendo religionem. Crebrum est, Præuaricari fœdus & legem Dei. Deducitur autem Latinum uerbum à uaricibus. Præuaricari in similitudine præuaricationis Adæ, infra in uoce **SIMILITVDINIS** exponetur. *Dare præuaricationem*, est impellere. Num. 31. Ecce ipse fuerunt ad dandam præuaricationem contra Dominum. pro, impulerunt Israelitas ad præuaricandum.

PRÆVENIO, multa habet synonyma, quæ aliquando pro eodem uerbo Hebræo קדמון *Kadam*, & Græco προλαβο in Sacris usurpantur: ut sunt. *Occupo*, *anteuerto*, *præuerto*, *præoccupo*, *anticipo*, & similia: quæ tum in bonam, tum & in malam partem accipiuntur, præsertim in metaphorica significatione, siue ea sit à cursoribus in stadio sumpta, quod ibi uictor præuertit seu anteuertit alterum tardiozem: siue à re bellica, ubi aliquis loca idonea, prædam, aut alia commoda prius aduersario occupat. Omnino siue in bonam siue in malam partem accipiat, quasi quandam uictoriā simul includit. Dicamus sanè primū de illa, ut ita dicam, deteriore significatione. 1 Machab. 6, Et nisi præuenis eos uelocius, maiora quàm hæc facient, & non poteris eos obtinere. id est, nisi opprefferis eos priusquàm inualescant, aut anteuerteris eorum conatus, &c. Psal. 16, Species eius est sicut leonis auidi ad prædandum, & sicut catuli leonis sedentis in latibulis: Surge Domine, præueni aut præuerte eum, ac fac ruere, libera animam meam ab impio suo gladio. id est, perde eum prius quàm me iugulet. Psal. 18, Præuenerunt me laquei mortis: id est, antequam eos præuidere ac cauere possem, sic me ceperunt ac intricauerunt, sicut fera à non præuiso laqueo capitur. Sic ibidem mox: Præuenerunt me in die calamitatis meæ, sed Dominus est factus mihi in sustentationem. Ionæ, Præoccupauit aut præuertit fugerem. Psal. 88, Mane oratio mea præueniat te: 70

scilicet, antequam me perdas, aut perire finas, admittite quæso ut te precibus meis expugnem. Sic à re militari, & hostili fraude sumpta uidetur esse illa huius uerbi metaphora, Galatis 6, Fratres, si quis fuerit præoccupatus aut præuētus aliquo lapsu, &c. id est, subito antequam præuidit aut uitare potuit obrutus, tum uos succurrite lapsu. Vicinæ sunt hisce uerbis illæ Germanicæ locutiones, *Dem feind, krankheit oder schaden für kommen, einen vberreilen, vberreischen*. 1 Machabæorum decimo: Anticipemus facere pacem. In bonam porro partem accipitur, cum alius alium re bona ac beneficijs præuenit aut præuertit, ueluti uictoriam ibi quoque querens & captans in optimo genere certandi. Romanorum duodecimo: Honore uos inuicem præuenite: id est, certate tempore & quantitate, uter alterum honore præueniat: ueluti si uulgo diceremus, uter alterum honorans prius caput aperiat. Psalmo nonagesimo quinto: Venite, iubilemus Domino, præueniamus faciem eius confessione. id est, celebratione beneficiorum eius. Mich. sexto: In quo præueniam Dominum, incuruabor Deo excelso? Nunquid præueniam eum in holocaustis & uitalis anniculis? id est, num illis eum mihi deuinciam, demerebor, anticipando eius gratiam? Sic uidetur illud Pauli esse Romanorum undecimo: Aut quis prius dedit, ut reddatur illi beneficiū? id est, quis præuenit eum benefaciendo, aut officijs? quis eū sibi prior deuinxit aut obligauit muneribus, ut quæ iā ille à Deo percipiat, quasi iure ac meritò consequatur? Deus misericordiæ meæ præueniat me, & faciat me uidere in hostibus merè. id est, citò mihi succurrat, & uictoriam largiatur. Psal. 79, Festina, præueniant nos uiscera tua, quoniam attenuati sumus ualde. id est, citò succurre nobis antequam pereamus, quia in extremis difficultatibus hæremus. Præoccupo aliquando eandem uim habet cum præcedentibus. Verum 1 Cor. 11, significat ante alios occupare aut capere: Vnusquisque propriam cœnam præoccupat in uescendo. id est, heluado præuertit, nō expectatis alijs. uide supra **PRÆVENIO** & **PRÆCEDO**.

PRANDIUM, sicut & **CŒNA** aliquando splendidum conuiuium significat. Luc. 14, Cum facis prandium aut cœnam, noli inuitare diuites aut cognatos, &c. Matth. 22, Ecce prandium meum parauit. id est, laetum conuiuium.

PRÆCATIO, & **PRÆCES**: uide supra in **ORATIONE**.

PRECIOSVS, pro charo aut grato ponitur, quia res magni precij aut caræ, sunt etiam ualde charæ aut dilectæ possessoribus. Psal. 72, A fraude & uolentia redimet animas eorum, & preciosus erit sanguis eorū in oculis eius. id est, Deo dilectus & studiosè conseruatus, quem non facillè fundi patietur: uel quod ualde accepta est mors martyrum in iudicio Dei. Eadem sententia est Psalmo 110, Quam preciosi mihi fuerunt amici tui Deus, uel cogitationes aut dogmata tua? Hieremiæ 51, Annon filius preciosus mihi Ephraim. id est, dilectus. Lucæ septimo Centurionis cuiusdam seruus malè affectus moribundus erat, qui illi erat preciosus: id est, ualde charus. Nullius rationem habeo, neque animā meā habeo preciosam mihi, Actorum 20. id est, non tā diligo uitam meam, quàm cupio perficere curriculum meum. Sic posset exponi illud Iacobi ultimo, Agricola expectat preciosum fructum terræ. id est, dilectum ac desideratum, *Das uolgethēt*. *Preciosus* pro raro, seu pro eo quod non facillè reperiri & acquiri potest: quia plerunque omnia rara cara. libro primo Samuelis, capite tertio: Verbum Domini fuit preciosum in illis diebus. id est, non aderant prophetæ docentes, & Deus rarissimè apparebat: non quod nimis magnificum sit. Nam plerunq; in raritate uerbi etiam cōtempus

ptus accedit. Prouerbiorum uigesimo quinto: Preciosum fac pedem tuum à domo sodalis tui, ne satur tui fiat, & oderit te. pro, rarius eum accede. Dedi precium tuum Aegyptum, Isa. quadragesimo tertio: uel precium redemptionis lytron: id est, quasi permutatione facta, cladem, quæ tibi impendebat à Sennaherib, conuertit in Aegyptios, ut ex mox sequentibus clarè apparet. *Preciosum esse alicui aliquid: pro, parcere illi.* 1 Samuelis 26, Non malefaciam tibi amplius, eo quòd preciosa fuit anima mea coram te. id est, magnificans me, uitamque meam pepercisti mihi. 2 Regum 1, Vir Dei, sit anima mea & horum quinquaginta seruatorum tuorum preciosa in oculis tuis. id est, parce obsecro mihi & hisce quinquaginta, ne nos cælesti igne exuras ut priores, & ueni quæso ad regem. Habet & contrariam significationem nõ parcendi. Psalmo quadragesimo nono: Frater non redimet quenquam, neque dare potest Deo precium redemptionis. Nimis enim preciosa est redemptio animæ eorum, ut Deus illis perpetuò parcat, & uiuant in seculum, nec uideant sepulchrum. id est, nemo est tam diues, ut possit Deo numerare sufficiens precium, ne mori cogatur: quare occidet eos Deus? Isaia decimo tertio: Preciosorem reddam uirum auro obryzo, & hominem massa de Ophyr. id est, efficiam ut hostes malint interficere uos quàm ullum precium redemptionis à uobis accipere. Sicut mox sequitur: Suscitabo Medos, qui non curabunt aurum & argentum, sed pueros allident. Ita charam aut preciosam esse alicuius animam: aliàs parci ei, ac conseruari eum, aliàs contrà perdi ac interfici eum cupidissimè significat. *Preciositas, pro honore.* Esther. 1, Ut omnes mulieres exhibeant preciositatem maritis suis. Esther. 6, Qualis facta est preciositas ipsi Mardochæo propter hanc rem: id est, honos habitus. Ibidem: Et fauebit rex facere preciosius magis quàm mihi. Psalmo 49, Homo cum in preciositate esset, non pernoctauit. id est, non perseuerauit in ea tam nobili conditione aut sorte. Iob 31, Si uidi lunam preciosam ambulantem. id est, pulchrè fulgèrem, non sum admiratus, nec adorauit. Zach. 14, Non erat lux preciositatum. Ecclesiast. 10, Musca mortua facit foetere & exhalare unguentum pigmentarij. Qui preciosus est ob sapientiam, priuatur honore modica stulticia. Vas precij labia scientiæ. Prouerb. 20: id est, unde nobilissimus liquor funditur. Preciosum alicuius rei, ponitur pro eo quod est in ea re præstâtissimū. Inimici Domini sicut preciosum agnorum consumuntur. Psal. 37, id est, sicut pinguedo hostiarum, quæ in igne mox resoluta, uel in flammam uel in fumum resoluitur. Alij preciosum pratorum: id est, minutum illud ac mobile gramen, quod facile disperit uredine solis, aut uentorum orientalium ibi spirantium. Preciosus spiritu, qui non facile impetu affectuum abripitur. Prouerb. 17, Parcus est in uerbis, qui habet scientiam, & intelligens est preciosus spiritu. id est, rarus, parcus in affectibus. *Preciosum* aliquando ponitur pro salutari. Psal. 36, Quàm preciosa est misericordia tua, & filij hominum in umbra alarum tuarum sperabunt. pro, quàm salutaris hominibus. *Preciosum à uili separare.* Hier. 15, Si eduxeris preciosum à uili, sicut os meum eris, reuertentur ipsi ad te, & non tu ad eos. Id est, si accuratè separaueris uerâ doctrinam à falsa, faciam ut tandem te pro uero doctore habeant, tuamque doctrinam tanquam oracula mea amplectantur, atque ita tandem tibi cedant, tuamque doctrinam sequantur. Filia regum inter preciosas tuas, Psal. quadragesimo quinto: id est, inter intimas ministras. Cadetis sicut uasa preciosa, Hier. uigesimo quinto: id est, prorsus peribitis. Nam uasa preciosa, ut sunt crySTALLINA, ALABASTRINA, UITREA, & similia elegantis operæ aut preciosæ materiæ, facile franguntur, nec possunt amplius in integrum restitui. Dan. 11 est, 70

quòd Antichristus colet Deum argento, auro, & lapidibus preciosis, alijsque magni precij rebus. Hoc in Patu manifestissimum fuit. Vbi summus & acceptissimus Deo cultus existimatus est ingentes thesauros tæplum congerere, omniaque ibi efficere marmorea, sericea, aurea, aut argentea, & gemmea.

PRECIUM: Genes. 31. Precium nostrum comedit, in Hebræo est, argentum: id est, precium pro nobis suis filiabus à nostro marito exegit, & in suum usum fructumque conuertit. Deuteronomij uigesimo tertio: Non inferes mercedem meretricis, aut precium canis, in domum Domini. id est, non offeres. Argentum tempore Salomonis nullius precij putabatur. id est, præ nimia copia non magnificabat. *Nescire precium alicuius rei, est, esse eam ualde preciosam.* Iob uigesimo octauo: Nescit homo precium sapientiæ. id est, est inæstimabilis precij, aut incomparabilis precij. *Sine precio uendere.* Psalmo quadragesimo quarto: Vendidisti populum tuum sine precio, nec auxisti ualorem eorum. id est, facile ac sine ulla cunctatione nos tradidisti alijs gentibus, nullam legitimam causam contra nos habentibus. Sic dicit Deus Isaia quinquagesimo secundo: Gratis uenundati estis, gratis etiam redimemini. *Precium sanguinis est, dicunt Pharisei de proditoria illa pecunia Iudæ, Matth. uigesimo septimo: ideo non licere eam inferre in templum.* Precium sanguinis autem dicitur, quia data fuit pro exitu aut interitu **I B S V.** Precio empti estis: primæ ad Corinth. sexto, & septimo: non ociose pleonasmo dicitur, sed cum singulari quadam emphasi: ut, Hisce oculis, aut proprijs oculis uidi. Isaia uigesimo octauo, & prima Petri secundo: Ecce pono in Sion lapidem firmum, angularem, electum, preciosum: id est, præstantem, & meritò plurimi faciendum. *Precium, pro corruptela.* 1 Samuelis duodecimo: De cuius tandem manu accepi precium: scilicet, iniqui iudicij, aut alterius actionis uel gubernationis.

PRESBYTER, Græca uox, seniore[m] significat, & quia tales plerumque sunt sapientiores ac honoratiores, inde factum est, ut uox hæc nonnunquam significet in Sacris gubernatores: ut Actorum 15. Ut ascenderent Hierosolymam ad Apostolos & presbyteros. id est, qui unâ cum Apostolis regebant cœtum. Inde porro etiam tertia significatio uenit, nempe ut doctores Ecclesiæ notet. Actor. 14, Per singulas ecclesias eis presbyteros constitue. Tit. 1 Constitue per singulas ecclesias presbyteros, sicut ego ordinaui. Iacobi 5. Inducat presbyteros Ecclesiæ, & super eum orent. Disti igitur sunt presbyteri, quia plerumque seniores sunt, aut ex senioribus deligebantur, sicut & Senatores apud Romanos. *Presbyterum, est ipsum totum collegium, aut cœtus presbyterorum.* 1 Timoth. 4. Cum impositione manuum presbyterij. id est, omnium collegarum. Duos porro ordines presbyterorum fuisse, inde apparet, quia Paulus 1 Tim. 5 dicit: Presbyteri, qui bene præsumt, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in uerbo & doctrina. Ergo alij presbyteri erant doctores, alij uerò tantum seniores quidam & prudentiores populi (ut Actor. 15 nominantur) qui unâ cum doctoribus gubernabant Ecclesiam, & curam doctrinæ, religionis ac discipline habebant, sicut illi Act. 15. cum Apostolis.

PRIMITIÆ, erant apud Iudeos primi fructus, potissimum de frugibus terræ, qui primum maturecebant. Quamprimum enim in aliqua parte agri seges matura uidebatur, cogebantur diuino mandato in aliquot manipulos demerere, & certo ritu ad tabernaculū sacerdotibus offerre: ut præcipitur potissimum Leuit. 23. Antequam id fecissent, non licebat eis segetes attingere, aut ad ullum suum usum inde quicquid accipere. Vulgata alioqui uersio sepe usa est uocabulo Primitiarum, pro alijs Hebræis, ut Exodi 22, Leuit. 25. Hinc

Hinc per metaphoram traducitur hoc uocabulum etiam ad alias res, sed plerunq; prestantes ac excellentes. Dan. II, Euadent de manu eius primitiæ filiorum Ammon. id est, præcipui Ammonitæ, melior aut optima eorum pars. *Primitiæ fortitudinis*. Primogenita uocantur in Sacris literis primitiæ fortitudinis, quod tunc parentes sunt in primo ac optimo uigore ac flore. in fructibus quoque terræ singularis quædam uis soli elucet in illis quæ primò crescunt, ac maturescunt: sicut contra, quæ serò proueniunt, uiribus matris terræ destituta fuisse uidebantur. Deut. 21, iubetur pater primogenito dare duplicem partem hæreditatis, etiam si habeat plures uxores, & is sit filius minus dilectæ uxoris: ut Lea Iacobi fuit. Redditur autem ibi ratio huius præcepti, quia sit principium uirtutis, aut fortitudinis patris. Sic & Iacob Genes. 49 inquit ad primogenitum: Ruben, primogenitus meus, tu uirtus mea, & principium roboris mei. id est, excellentia dignitatis, & excellentia roboris. Sic & Psal. 78 legitur, Percussit omne primogenitum in Ægypto, primitias fortitudinum in tabernaculis Cham: idem intelligens per primogenita & primitias roboris, uirtutis aut fortitudinis. Eadē locutio est & Psal. 105. Num. 24 paulò aliter hæc uox accipitur: Primitiæ gentium Amalek sed postremum eorum peribit in seculum. Chaldæus uertit, *Primitiæ bellorum* Israel: quia Amalechitæ primi inuaserunt Israelitas, exeuntes ex Ægypto in Raphidim. Ideo etiam in Deuteronomio fertur à Deo sententia, de eorum extrema internectione, quæ in primo Samuelis executioni mandatur. Pij dicuntur habere primitias Spiritus, Rom. 8: quia non percipiunt in hac uita plenitudinem efficaciam Spiritus, non plenè renouantur. 1. ad Corinth. 15, Christus bis dicitur esse primitiæ dormientium: quia primus ex mortuis ad uitam ac gloriam æternam excitatus est. sicut Coll. 1, nominatur primogenitus ex mortuis. Rom. 11, Quod si primitiæ sanctæ, sancta etiã maffa: & si radix sancta, etiam rami. pro, si illi primi patres Abrahamus, Isaacus & Iacobus, fuerunt accepti Deo: proculdubio & posteri eorum sua quadam ratione placent. Omnes hæc significationes huius uocis sunt metaphorice. 2. Thess. 2: Quod elegit uos Deus primitias: habet Vulgata. Græca, à principio.

PRIMITIARUM. Ezech. 47. Mensibus suis primitiabit arbor. id est, singulis mensibus novos fructus proferent arbores. Rom. 16, Epænetus primitiæ Achaia, aut (ut Vulgata habet) Asia dicitur, quia primus in Achaia Christo credidit. Sic 1. Corinth. 16 domus Stephanæ appellatur. Sic & Hierem. 2, Israel res sancta Domino, & primitiæ frugum uocatur: quod lædentes eum perinde sese onerabant ira Dei & pœnis, ac qui primitias Deo debitas inuadebant.

PRIMOGENITVS dicitur is, qui parentibus primo loco natus est. nec id tantum de hominibus, sed & de brutis usurpatur. Vox igitur hæc ob triplicem primogenitorum proprietatem celebris est. Primum, quia est initium, aut primus effectus uiriliter roboris procreantium. Secundò, quia omnia primogenita, sicut & primitiæ, Deo debentur. Tertio, quia primogeniti inter filios magnam prærogatiuam habebant, nempe primam benedictionem, duplicem partem hæreditatis: Deut. 21: Sacerdotium & regnum ante Moysen: & denique, quia Deus omnia primogenita Ægyptiorum interfecerat: Exod. 12. Vendicauit autem sibi Deus duplici iure omnia primogenita & primitias: primò, ut & ipse ostenderet exigendo, & nos ea dando fateremur, omnia bona ac fructus, nosque ipsos esse proprios, & quasi mancipia Dei, omniaque nos de manu ac benedictione eius accepisse: Exod. 13, & 22, iuxta legem ibi laudatam, & Lucæ 2 repetitam: Omnis masculus primogenitus sanctus erit Domino. Fuit nihilominus etiam

inde ab initio mos, primogenita Deo offerendi, sicuti Abel de primogenitis ouium sacrificium offert, Gen. 4. Alterum ius obligatio primogenitorum fuit in cæde Ægyptiorum primogenitorum expressum, ut nempe mactatis Deo primogenitis ostenderetur, omnia illi esse rea mortis, seu obligata ad pœnam. Debemur enim morti ac pœnæ nos, nostraque omnia. Aliqua porro brutorum primogenita, nempe quæ munda fuerunt, uoluit sibi Deus offerri: alia uerò immunda, & hominis primogenitum, iussit redimi. Num. 3: Deus dicit se accipere Leuitas pro omnibus primogenitis Israelitarum, quasi quadam commutatione facta. Primogenitus uocabatur is, qui primus nascebatur, sanctusque Domino esse putabatur, & certa ratione pro eo erat sacrificandum, siue nasceretur porro plures, siue non: sicut Hieronymus ad Heluidium scribit, inquit: Primogenitus non tam is est, post quem & alij, quàm ante quem nullus genitus est. Sic uocatur IESVS primogenitus Mariæ, Matth. 1, & Lucæ 2, ac ibi pro eo secundum legem primogenitorum sacrificia offerunt. Nunc enim abolita illa lege, nobis primogeniti uox tantum ad secundò genitum, & tertio genitum respicit. Quod est obseruandum, ne quis hinc argutetur, Mariam plures filios habuisse. *Primogenitus mortuorum*: Apocal. 1, & *Primogenitus ex mortuis*, Coloss. 1, idem sunt. id est, qui primò ex mortuis ad æternam uitam resurrexit, nempe ipsemet IESVS filius Dei. *Primogenitus* aliquando idem ualeat quod acceptissimus ac dilectissimus filius. Sic uocat Deus populum Israeliticum suum primogenitum: Exod. 4: Dices ad Pharaonem, Filius meus, primogenitus meus est Israel. Hieremiæ 31: Ephraim primogenitus meus est, id est, perinde eum uehementer diligo, ac solent parentes suos primogenitos filios. Mattheæ sexto: Nunquid dabo primogenitum meum pro præuaricatione mea: id est, dilectissimum filium. Zachariæ duodecimo, Amaritudine afficientur propter eum, sicut amaritudine quis afficitur ob primogenitum. id est, ob mortem dilectissimi filij. Primogenitus uidetur etiam indicare principem ac gubernatorem aliorum. Solebat enim primogenitus cæteris imperitare, sicut etiam nunc inter filios regis Gallia. Rom. 8: Nam quos præsciuit, eos & prædestinauit conformes fieri imaginij filij sui, ut is sit primogenitus inter multos fratres. id est, ut sit primus ac summus, ad quem omnes alios aggregari, eique conformari oporteat. Sic etiã rectissime exponere posses locum Coloss. 1, Filius Dei est imago Dei inuisibilis, & primogenitus omnis creaturæ. id est, princeps ac dominus omnium rerum: sicut in sequentibus prolixè hunc intellectum eius uocis exponit, & tandem concludit: Ut ipse sit primas tenens, aut princeps in omnibus. Ideoque etiam mox affert rationem, cur eum uocet primogenitum: id est, principem ac dominum omnis creaturæ: quia omnia condiderit. Hoc eodem sensu dicitur filius Dei principium omnis creaturæ, aut creationis Dei, Apoc. 3: quia omnia condiderit, & omnibus imperet. Hebr. 1. Rursus cum inducit primogenitum in mundum dicit, Adorent eum omnes angeli. ubi Christus uocatur primogenitus cum ratione diuinitatis, tum ratione huius dignitatis, quod ei largitur primogenituram: id est, regnum totius mundi, quod ei donat nomen supra omne nomen, facitque ut eum adoret omne genu: Philip. 2. Primogenitum pro eximio aut præcipuo ponitur, interdum etiam in brutis, atque adeò mortuis rebus. ut Iob 18: Deuorabit membra eius primogenitus mortis. id est, grauissimus & acerbissimus morbus, ac ueluti princeps inter morbos, seu inter filios mortis. *Primogenitari Domino*: propter primogenituram cedere, aut deberi Domino. Leuit. 27, Primogenitum, quod primogenitabitur Domino, non sanctificabitur, quia alioqui Domini est.

Primogenita, in Vulgata uersione, notant ipsa iura, aut quasi priuilegia primogenitorum: sic dicitur Esau uen didisse primogenita sua Iacobo, Gen. 25, 27: & Heb. 12.

PRIMVS, easdē fermē significaciones habet in Sa- cris quas in prophanis scriptoribus & communi usu: nempe, ut aliās significet primum tempore, aliās ordi- ne, aliās gradu aut dignitate, siue is gradus sit bonus, siue malus. *Bonus gradus*, ut Matth. 20, Mar. 10: Qui uo- let inter uos esse primus, sit omnium seruus, id est, qui uolet esse primus apud Deum & Ecclesiam dignitate, id est, fit animo & officio ultimus: id est, omnibus subiectus. *Primi ciuitatis*, Act. 13. *Primi populi*, Act. 25: *Primus insulae*, Act. 28. *Primi Galilee*, Mar. 6, id est, primarij, præcipui aut primates, Matth. 19, Mar. 10: Multi erunt primi ulti mi, & ultimi primi: ubi in priore quidē loco Primi pos- sis intelligere uel de tempore, quod primi sint cōuersi: uel de gradu ac dignitate, quod fuerunt initio arden- tissimi in uera pietate. Vltimi autem, notat abiectos, alienos à Deo. In posteriore uerò loco, Primi idem est quod pientissimi, & Deo acceptissimi. In malam par- tem accipitur, cum Paulus dicit 1. ad Timoth. 1: Chri- stus Iesus uenit in mundum, peccatores saluos facere, quorum primus sum ego: id est, primarius, seu unus ex præcipuis ac summis peccatoribus, utpote persecutor. Nisi uelit intelligere, Paulum dicere, se esse primum ex illustribus exemplis hostium mirabiliter cōuersorum, sicut mox sequitur: Vbi in me primo ostendebat om- nem clementiam. Sic de gradu aut intensiōe etiam il- lud Matth. 6 accipiendum est: Quærite primum regnū cœlorum, deinde omnia alia adijcientur uobis. id est, 30 summo ac intensissimo studio præcipuaq; diligentia illud quærendum esse. Contrā dicit Satyricus homi- nes uociferari,

O ciues ciues quærenda pecunia primum est,
Vrius post nummos. —

id est, præcipuo summoq; studio opes sunt sectandæ. secunda demū cura adhibenda est in assequenda uir- tute & honestate. Sic Scriba quispiam Marci 12 quærit, quod nam sit primum præceptum: id est, summū, ma- ximum, præcipuum. Quare in Matthæo est capite ui- gesimo secundo: Quod est mandatum magnum in le- ge: id est, maximum, posito positio pro superlatiuo. Sic illud Rom. 3: Quæ est igitur præstantia Iudæi: Pri- mum quidem, quod concredita sint eis oracula. id est, primum, aut primarium, seu præcipuum est illud.

PRIMUM aduerbium, pro prius sepe ponitur. Mat- thæi decimo septimo: Heliam oportet uenire primum. id est, priusquā ueniat Meschias. Iohan. 15: Si uos mun- dus odit, scitote quod me primum uobis oderit. id est, priusquam uos. Venit & Nicodemus, qui uenerat pri- mum ad Iesum. id est, prius. Matth. 12. 2. Pet. 2. Fiant po- strema illius hominis peiora primis. id est, posterior impietas & offensio Dei fit deterior, grauiorq; priore. 2. Thess. 2. Vltima dies non ueniet, nisi primum ueniat defectio: id est, prius. Gen. 25. Primus est egressus rus- sus & pilosus. id est, prior filius fuit talis. Primum non semper gradum aut ordinem in sermone significat, nec requirit ut mox sequatur secundum aut tertium. Ro- manorum primo, Primum quidem gratias ago Deo meo: ubi ut aliqui uolunt, particula *πρῶτον* primum, nō seriem aliquam partium indicat, sed est tantum sermo- nis initium, quasi dicat Paulus: Ut loquendi initium fa- ciam, gratias ago, &c. Cuiusmodi & illud initio Liui- anæ hiltoriæ est, iam primum omnium satis constat. Sic Matth. 10: Primus Petrus, & Andreas eius frater. ubi non id agit, ut exponat quis sit primus, secundus, aut tertius. Theophylactus putat dici primum Petrum & Andream, quia primi sint uocati. Quod si quis in Ro- man. 1, omnino uelit intelligere de ordine dicere pos- set, secundum esse quod sequitur, Reuelatur ira Dei de 70

cœlo. quasi diceret, post gratiarum actionem, secundo loco uolo uobis proponere summam doctrinæ Chri- stianæ. Quod autem particula Secundo non sit addi- ta, id Hebræorum consuetudini tribui posset, qui mul- ta subintelligunt, & in quibus non adeo exactè poste- riora prioribus, quod ad styli æquabilitatem attinet, conferruminantur. Aliqui Primum pro præcipuè, aut in primis exponunt: ut non sit ordinis, sed præstantiæ indicatiuum. Primam fidem irritam facit, 1. Timoth. 5, supra in uoce **FIDEI** expositum est. Primum dicunt Iudæi unum, posito numero cardinali pro ordinali. De quo in uoce **VNVS**. Secundo primum sabbatum, Lu- cæ sexto, ita doctiores explicant, quod licet continui septem dies azymorum in solennitate Paschæ fuerint celebres, ac festa seu sabbatha sint uocati: tamen prima & ultima (quæ fuit septima dies) azymorum fuerint cæteris intermedijs diebus celebriores: quare etiam duo primaria sabbatha dicta sunt. Prima dies fuit pri- moprimum sabbatum, aut festum: id est, dies & nume- ro aut ordine prima, & in dignitate altera ex duobus primarijs festis aut sabbathis. Vltima autem fuerit eti- am altera ex duobus primarijs festis, sed tamen ordine posterior, ideo dicta sit secundoprima *δευτεροπρωτη*, cu- ius nominis prior pars ordinem aut tempus noter, & respiciat ad illud prius ac summum festum aut sabbat- um: posterior autem particula *πρωτη* prima significet dignitatem, & respiciat ad reliquas intermedijs dies, inter quas ista quoque ultima fuit primaria & summa seu celeberrima. Sed & de hac re aliquid infra in uoce **SABBATHI**. Prima Sabbatorum aut una Sabbatorum, exponetur infra in uoce **SABBATHI**. Prima deserta pto, aut census. Disputant aliqui de dicto Lucæ 2, Hæc descriptio prima facta est præsidente Syriæ Cyrenio: an ea in uniuersum prima fuerit: aut, ex ijs quæ sub hoc præside factæ sunt, prima. De quo non usquequaq; est facile aliquid certi pronunciare. Nos uerò hoc ipsum li- cet non adeo magni momēti dubium, moneat, uocem istam, & alias ei similes ac dissimiles, alias aliò respice- re. Verisimilius tamē est, hanc simpliciter fuisse primā, eiusq; ideo quoque in narratione natiuitatis Meschias mentionem factam, ut indicaret tum Iudæam prorsus sub alienigenarum imperio fuisse, eoq; prophetiam Ia- cobi Gen. 49 fuisse impletam, & tempus aduentus Me- schiæ adfuisse. Prima stola, Luc. 15, est primaria aut præ- cipua stola. Christus dicitur primus ex resurrectione mortuorum, Act. 26: id est, primus ex ijs qui ad æternā uitam amplius non morituri resurrexerant. Nam qui prius ab Helisæo fuerant suscitati, aut ab ipso met Chri- sto, denuò debuerunt mori, ut Lazarus. Primus Moy- ses dicitur Rom. 10. scilicet ex ijs qui Sacras literas scri- pserunt, quæ extant, primus Moyses ita de Israelitis p- nunciat. *Primus & nouissimus*, de Deo dicitur Isaia 41: & in Apocalypsi, quod sit primus & nouissimus, & u: id est, æternus, carens principio & fine, ante mundū con- ditum fuit, & post consumptū aut exustum erit. Simul uerò includitur, quod sit fons & finis omnium rerum, quod ex ipso, per ipsum, & in ipsum omnia sint. Nun- quid tu primus inter homines natus es, & ante colles formatus? Iob 15. id est, tantum tibi arrogas, ac si esses primus homo, ac author humani generis: ut nos om- nes alij, quasi tui filij ac discipuli à te habendi & cōtem- nendi simus. Similis est huic illa Paulina locutio, 1. Co- rinth. 14: An à uobis sermo Dei profectus est, an ad uos solos deuenit? Prima ecce uenerunt, & noua ego in- dico, antequam oriantur audita uobis facio: Isaia 42. Prima ibi significat, prius prædicta. Affirmat enim illos inde suam diuinitatem agnoscere debere, quod tum ea quæ iam olim prædixerat, opere ipso effecta dede- rit: tum & in posterū uentura, iam nunc prædicat. unde liqueat, eum non tantum futura præscire, sed etiam mundi

mundi gubernatorem esse, qui tum puniat, tum liberet ac benefaciat hominibus, eoq; ipsum solum merito colendum esse.

PRINCEPS mille, princeps centum, aut quinquaginta: Deut. 1. lib. 2. Sam. cap. 18, & aliàs crebrò, sunt nomina officiorum aut dignitatum militarium. *Collocare aliquem cum principibus*, est exaltare, & potentem reddere. Psal. 113. Qui de stercore eleuat pauperem, ut faciat eum sedere cum principibus, cum principibus populi sui. *Princeps adolescentiarum* alicuius, pro marito in adolescentia accepto. Prouerb. 2. Quæ deserit principem adolescentiarum aut pueritiarum suarum: id est, quæ deserto olim accepto marito aufugit. *Princeps Dei*: Genes. 23. id est, princeps seu gubernator (ut ita dicam) spiritalis aut Ecclesiasticus tu es inter nos: Tu circumfers inter nos ueram uiuentis Dei religionem, Chald. Tu es magnus coram Deo, quare merito tibi omnes sepulchra sua cõcedent. *Princeps domorum*: id est, familiarum, sæpe reperitur, sicut & tribuum. *Princeps potestatis aeris*, ad Ephes. 2: Secundum principem potestatis aeris, id est, qui potestatem habet in aere, seu principem potestatem, *ἡσουλὸς τῆς ἀέρος*: nempe secundum diabolum, sicut mox sexto inquit: Pugna nobis est aduersus spirituales nequitas in cœlestibus. *Princeps gentis*. Matth. 20. Principes gentium dominantur eis, id est, quorumcunq; populorũ, seu ciuiles principes. In Germanico dicitur perspicuè, *Die Vuellichen Fursten*, mundi principes. Quasi diceret Dominus: In politia quidẽ necesse est esse principes, reges, & alios magistratus qui alijs imperitent & uulgas ad officium, & quietam uitam compellant, externaq; latrocinia & scelera prohibeant: at in Ecclesia nihil tale fieri debet. *Principes sacerdotum*, pro summis pontificibus, alijsq; superioribus sacerdotibus. *Principes populi*, pro gubernatoribus eius. *Princeps Synagoga*, Iairus & Solthenes, Lucæ 8, & Act. 18. id est, gubernator aut doctor in Synagoga præcipuus. *Princeps publicanorum*: id est, summus uectigalium exactor, uel unus ex præcipuis publicanis. *Princeps dæmoniorum* Beelzebub: id est, summus rex in regno inferorũ. Matthæi 12: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. *Princeps mundi*. Sæpe Christus Satanam uocat principem mundi: quia totus mundus in maligno positus est, omnia illi militant, præsertim homo perpetuis peccatis, quin & tota rerum natura uanitati seruiens: Rom. 8. Hunc principem mundi ait Christus iudicari, & eijci foras: Iohan. 12. id est, frangi eius uires & opes: & Iohan. 16 ait, Principem mundi iam iudicatum damnatumq; esse, eoq; falsa mundi iudicia ab hoc prauo spiritu inspirata, non amplius præualitura esse. Huius uictoriæ Christi contra principem mundi euidentis iudiciũ est, quòd postea eius subditi passim sunt ei adempti, dum ex falsa religione ad ueram transferuntur, quodq; eius religio corrui. Iohan. 14. inquit Christus: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam, id est, Diabolus cum suorum homicidarum aut persecutorum satellitio nunc appropinquat, me capturus & iugulaturus: uerũ cum propriè ac ratione meę personæ non sim peccator uel iniustus, nihil habet in me carnifex ille, iuris: sed quod me nihilominus capiet ac interficiet, illud fiet ex mea uoluntaria receptione reatus seu imputati peccati aut iniusticiæ, & obedientia erga patrem, qui me fecit peccatorem: quod manifestè ostendo hac mea occurssione cõtra istam turbam, & Satanam meum carnificem. *Paruus in Principibus Iuda*. Populus Israeliticus erat diuisus primũ in tribus, deinde singulæ tribus in millia: cum ante occupatam Cananæam, Exod. 18. 32. Num. 1. tum & postea, cum & homines & loca ubi habitauerunt uocata sunt millia, ut de hominibus legitur 1. Sam. 10: Nunc igitur statuite uos coram Domino secundum tribus uestras, & millia ue-

stra. De locis uerò aut sedibus, 1. Sam. 23. Scrutabor eũ per omnia millia Iuda, inquit Saul de Dauide. Porro, quia illa millia, id est homines & loca, habuerunt certa capita: ideo etiam sunt dicta Duces, aut Ducatus, seu principatus, *ὑγμῶν*: sicut & in Hebræo eadem fermè uox est, certè ex eodem primitiuo aut themate uenit, Alup dux, & Elep mille. Quare locum Micheæ 5: Et tu Bethlehem parua ad essendum in millibus Iuda, ex te oriatur mihi dux, qui pascet populũ meum Israel. uertit Matthæus cap. 2: Et tu Bethlehè terræ Iuda, nequaquam parua es in principibus Iehuda. Ex te enim exibit mihi dux, qui pascet populũ meum Israel. De quo loco multi ac eruditi disputarunt, quomodo sit conciliandus Propheta cum Euangelista: cum ille dicat, esse paruam: hic uerò neget esse paruam, & potius magnã esse asserat. Alij aliter conciliant. Sanè posterior uersiculus omnino indicat, Prophetam uoluisse aliquã eximiam magnitudinem ac celebritatem Bethlehem indicare, quandoquidem esset productura summum ducem, aut Dauidem longè celebriorẽ illo priore. Quare tacita quædam antithesis uidetur inesse priori uersiculo, ut & concedat aliquam exilitatem aut paruitatem Bethlehemi coram hominibus, nempe infrequentiam & paupertatem loci: & tamen asserat eius magnitudinem aut nobilitatem coram Deo, ut qui cogitet unũ Bethlemitico ciui totum orbem terrarum subijcere: quam sequenti uersiculo orituri inde Ducis aut Messchiæ declarent. Illæ sanè duæ uoces *זַיִר לִי הַיְהוּדָי* Zair li heiot, parua ad essendum, omninò uidentur adhuc aliquod uerbum finitum requirere: scilicet, Cõcedo paruam uideris hominibus ad essendũ, aut in oculis & opinione hominum uideris parua: cui subintelligatur tacita antithesis. At mihi meoq; iudicio nequaquam es parua, quandoquidẽ Messias inde est mihi nasciturus, quasi dicat, Fateor sanè, hominibus uideris parua & cõtempta: sed mihi posthac nequaquam eris parua. Omnino ad uerbum sonat, Uideris quidem parua, sed ex te oriatur mihi summus monarcha. *Du scheinst zuol klein zu sein vor den menschen, aber ich hab viel andere gedanken von dir*. Si liceret etiam in re tanta diuinare, posset & hic intellectus haberi: Tu Bethlehem hæctenus ab hominibus perinde numerata es inter chiliarchias, sicut aliæ minores ciuitates, cum suis pagis: at nũc & posthac parum hoc mihi est, ut tu sis æqualis uulgaribus chiliarchijs, hoc est nimis infra tuam dignitatem. Quare eris præcipua ciuitas, ac ueluti metropolis, utpote quæ dabis Regem toti Israeli, atq; adeò toti mundo, nempe uerum Meschiam, quasi dicat: Tu Bethlehem parua ad essendum in chiliarchijs uulgaribus, eis uel equalis, cum sis summa ac præcipua ciuitas & mater totius regni ac Regis. Talis aliqua uel tacita, uel etiam aperta celebratio Bethlehemi in hisce uerbis à sequente uersiculo omnino flagiturat. Atq; hanc interpretationem prophetæ maximè probo, quam postea reperi etiam Forsterũ esse sequutum. Huc facit, quòd Zair non Zaira in feminino habetur: ut cum Bethlehè cõstrueretur. Quare potest per aduerbiũ reddi: & infinitiuus aut gerundium *lirioth*, per futurum exponi debet. Quòd ergo propheta prædicat eam fore magnã & supra alias chiliarchias, hoc Euangelista in præsentem exponit eam iam non esse paruam, sed eximiam. Hieronymus quoq; affirmat septuaginta habere negatiuæ *οὐ μικροτέρα* est, quæ negatio nunc non adest. Posses etiam interrogatiuè legere, Num parua es inter millia Iuda? Hisce rationibus facillimè Euangelistam cum Propheta concordaueris. Similis planè locutio est etiam Isaiæ 49: Leue est esse te seruum mihi ad erigendas tribus Iacob, & ad instaurandas ruinas Israel. ponam enim te in lucem gentium, &c. Confer istas duas locutiones Isaiæ & Micheæ.

PRINCIPATVS, aliquando ipsos principes, eorumque potentiam notat: sicut supra in uoce **POTES-TAS** prolixius ostendi. Ut traderent eum principatui & potestati praesidis: Lucae 20. id est, iuri & iudicio praesidis, seu in manus praesidis. Angeli non seruaerunt suum principatum: Iudae Epistola rectius, suum principium aut originem, de quo mox in uoce **PRINCIPIVM** dicam. Catachrestice princeps uocatur in Sacris, quiuis primarius suo ordine: sicut & Latini dicunt, Principem Philosophorum, Oratorum, aut Poetarum, item Principem pubis, Senatus, populi, Principes ciuitatis, & similes. 1. Corinth. 2. Sapientiam, quam nemo principum huius mundi cognouit. Sic Psaltes dicit de ueris ac summis doctoribus: Constitues eos principes. Utile porro est considerare, quam uarijs nominibus Scriptura principes nominet, ut inde eorum dignitas aut etiam prauitas, conditiones, aut necessariae uirtutes expendantur. Scriptura potentes, hoc est, reges, principes, Cedros Libani uocat, Psal. 20. Cerui appellantur eodem Psal. Tauri Libani, Psal. 93. Capita, Isaiæ 20. 2. Psal. 119. Congelati montes, Psal. 21. Tauri pingues, Tauri Basan, Psal. 67. Socij furum, Isaiæ 55. cap. Principes Edom, Robusti Moab uocantur: item, Fundamenta montium conturbata sunt: Montes, Psal. 17. Isaiæ 14. Lupi uespertini Prophetæ reges catulos leonum uocant. Plaustra, Isaiæ 41. Porta, hoc est, iudices, principes, qui sub porta iudicabantur: per ciuitatem autem, reliquum uulgus: ut Isaiæ 14: Vlula porta, clama ciuitas. sicut Montes alibi reges, Colles autem plebeios. Elohim, hoc est deos, sicut Scriptura uocat: Exod. 24. Nimroth robustus, Genes. 10. 30 Tauri, Esaiæ 19. Abietes, Buxi, Pini, Esaiæ 15. & arbores, & alibi, Potentes terra, Psal. 47. Scuta terra, eodem Psal. Anguli eorum, apud Sophoniam. Alias Caesarem, Barbam, Montes, &c. Hebraei hircos terra uocant principes: sicut enim hirci gregem caprarum antecedunt, ita reges & principes plebi praesunt. Pingues uacca: item Leones, unde symbolum est regum: & tribui Iuda dictum, quod quasi leo accubuerit. nam inter bestias principatum gerit, Prouerb. 30. Sed & rapacitatem significat. Psal. 7. Ne quando rapiat ut leo animam meam. quo sensu & diabolus leo est. Per leonem quoque & draconem intellige in Scriptura ferocissimos reges. Denique scuta terra appellatur. Sic enim filij Corah, Psal. 47. Scuta terræ principes uocantur, sicut Deus hoc nomine à sanctis appellatur: propterea quod defendit suos, & mala auertit, uti scutis auertuntur iacula, & seruantur quos illa tegunt. Hofeæ 4. cap. Clypei populi sunt, ut supra, &c.

PRINCIPIVM aliàs magis tempus notat, quod plerumque fit in Sacris literis: aliàs rei negocij uel alicuius initium, quod Aristoteles definit esse, id ante quod est nihil, eius quidem rei & post quod necessario aliquid sequitur. Magni uerò momenti est hæc uox in Sacris literis: eoque necesse est aliqua loca Scripturae declarare, ac indicare quid ibi hæc uox significet. Primum autem dicamus de initio Iohannis, In principio erat uerbum. Vox igitur hæc tres significationes habere uidetur. Primum significat initium alicuius rei: deinde est uox ordinis, & habet se relatiuè ad secundum & tertium: denique idem ualet quod æternitas. Nunc igitur in quanam harum significationum hoc loco accipiatur, quaestio est. Ordinem hæc uox hinc significare non potest: non enim hinc successio quaedam rerum similium eiusdem uel naturæ exponitur. Deinde de rerum omnium mundi que inchoatione multi eam intelligunt, quasi diceret: Cum mundus totaque rerum natura crearetur, iam tum **BRA T** Verbum, seu filius Dei. Non ergo tunc primum cum alijs creaturis esse cepit. Hic sensus non incommodus est: tota autem uis eius consistit in uerbo **BRA T**, de quo supra diximus. Verum me maxime mouet initium primæ Epistolæ Iohannis, ubi 70

haud dubie eisdem uerbis idem quod hoc loco, dicere Euangelista uoluit: sicut & Augustinus in Quaestionibus ex utroque Testamento probat. Oportet autem ibi per uocem *Principij* omnem æternitatē intelligi: quandoquidem dicit, Verbum fuisse **AB** initio, aut à principio. Filius autem Dei non à creationis initio cepit: sed inde ab omni æternitate, semper fuit. quemadmodum & secundo capite inquit, bis repetens: Hæc scribo uobis patres, quoniã cognouistis eum qui fuit ab initio: id est, ab omni æternitate, nempe Deum, aut eius filium Dominum **IESVM**. Quare cum in Epistola huius eiusdem Euangelistæ uox *Principij* in eadē materia æternitatem significet, hic quoque eam idem significare necesse est. Accedit ad confirmationem huius significationis, quod Prouerb. 8. eadem hæc uox æternitatem denotat. Verba hæc sunt: Dominus possedit me initio uisus. Ante opera eius iam eram, ab æterno ordinata sum, & ab initio ante terram. Quem locum multi intellexerunt, & adhuc intelligunt, de æterna generatione filij. Ponit autem hic Salomon duas istas uoces, initio, & ab æterno, tanquam æquiuales. Sic hanc uoculam & Græcus Scholiastes Chrysofostomus & Bulgarius intelligunt. Nonnus quoque inquit, ἀρχῆθεν. Cæterum de initio epistolæ Iohannis uide præposit. **A**, uel **AB** supra. Porro Genesis primo, In principio creauit Deus cælum & terram: significat initium rerum ac temporis, cum simul & res & tempus esse incoepissent, neutro antea existente, sed tantum Deo solo in æternum uiuente. Aliqui ibi exponunt principium de ordine. quasi dicat Moyses, Deum primo condidisse illam rudem massam, materiam aut Chaos cæli & terræ: deinde coepisse ea digerere ac distribuere. Verum magis probatur, ut ipsam rerum ac temporis inchoationem denotet, tametsi simul etiam seriem operis indicat. Sic & Epistola ad Hebræos recitat ex Psalmo, Tu Domine initio, aut in principijs terram fundasti. Iohan. 8 dicitur diabolus fuisse homicida à principio: sicut & 1. Iohannis 3 legitur, diabolus peccare inde ab initio: id est, mox à condito mundo. Ut uerò aliquanto clarius & ille ipse locus Iohan. 8 & uox hæc intelligatur, adscribam alterius cuiusdam annotationem. *À principio, ἀρχῆθεν*: Quotiescunque fit principij mentio, significationem illius ad id de quo agitur, accommodare necesse est. Quum ergo hic Iohan. 8. agatur de homicidio, cuius arguitur reus Satan ab initio, certè necesse est ut (quod etiam facit Nonnus) ad ipsius mundi, atque adeo hominis initium referas, non autem ad fatanæ ipsius initium, nisi quatenus cepit esse homicida: nedum ut hinc constituas, ab æterno diabolus extitisse: aut illud testimonium de filij Dei æternitate eludas, de quo dictum est supra Iohan. 1. cap. Neque enim hic simpliciter dicitur diabolus fuisse ab initio, ut quid dicitur Sermo ab initio fuisse, id est extitisse: & quidè per præteritum imperfectum, ut sciamus eius hypostasim antiquiorem omnium rerum creatione, id est æternam esse. nihil inquam eiusmodi hic dicitur de diabolo: sed de qualitate ipsius agitur, quã dicitur iam inde ab initio creati mundi induisse, quum scilicet factus est homicida. Augustinus quem etiam Pseudocyrillus citat, ad initium peccati refert. uerè id quidem, si rem ipsam spectes (si quidem cum fatan per peccatum hominem interemerit, hinc demum cepit esse homicida, quum peccatum ingressum est in mundum:) sed tamè subtilius. Malo igitur paulò crassius hæc interpretari, de ipsius humanæ gentis exordijs: neque rursus subtiliter hæc refero ad illud primum momentum quo creatus est homo, sed principium hoc etiã extēdo ad tēpus creationi mundi ac ipsius hominis uicinū, quo scilicet homo est à diabolo occisus. Eodem modo & Matth. 19. de diuortiorum nimia licentia pronunciat Christus, Ab initio,

initio, aut à principio non ita fuisse. ubi etiam inquit: Qui fecit ab initio hominem. ubi principium, etiam de prima illa mundi ac omnium rerum conditione & dispositione intelligi fermè, ut in Genesi, necesse est: nisi quòd iuxta Regulam paulò antè indicatà, oportet accommodari hanc uocem, & eius significationem, ad id de quo agitur. Sæpe tamè hæc phrasîs plenius legitur, addita uoce Creationis, scilicet mundi: ut Mar. 10. 13. & 2. Pet. 3. Vnde clarius cernitur, de quònam initio sint tales phrasîs intelligendæ, cum ita absolutè de rebus antiquissimis ponuntur. Iohan. cap. 1. suæ primæ Epistolæ inquit: Scribo uobis præceptum uetus, quod habuistis à principio. Vetus hoc præceptum est, sermo ille, quem audistis ab initio. *Principium*, aut *initium*, significat hic instaurationem legis, aut formationem populi Israelitici in gentem ordinatam ac Ecclesiæ constitutam, quod factum est in eductiõe ex Ægypto. Accommodanda igitur est huius uocis significatio, uti dictum est, ad rem scopumq; præsentem. Iohan. 6 est, Christum nouisse ab initio qui nam non crederet. Itè 16 inquit: Hæc nolui uobis dicere in initio, quia uobiscum fui. Vbi principium ad rem præsentem accommodandum est, nempe ad prædicationem Christi. In Epistola Iudæ dicuntur lapsi angeli non seruasse suum principium, aut originem: id est, suam illam originalem natiuamq; bonitatem, nempe imaginem Dei, ad quam initio facti formatiq; fuerant. Illud igitur suum bonum principium non conseruauerunt, seu illà initialem indolem. Sic Christus dicit, eos non perstitisse in ueritate. *Principium* ergo, aut *origo*, ueluti nomen abstractum ponitur ibi more Hebræorum, pro subiecto, & ipsius concreto: Origo pro originali, ac ipsissima diuinitus informata (ut ita dicam) aurea substantia aut bonitate, seu imagine Dei. Sic & alij linguæ sæpe *Principium* pro prima conditione & sorte, uel etiam pro prima parte rei ponitur. Matth. 24, principia dolorum ea sunt. Tecum principium in die uirtutis tuæ: habet in Vulgata Psal. 110. qd nihil significat. In Hebræo est, Populus tuus spontanei aut prompti, scilicet ad cultum tuum, in die uictoriæ tuæ, seu cum uiceris ac debellaueris hostes tuos, & populum tuum redemeris. *Principium*, aut *caput uerborum tuorum ueritas*, & in seculum omne iudicium tuum iustum. Vbi possis per *Caput*, tum tēpus intelligere, quòd semper inde ab initio sermo Dei uerax fuerat: tum per aliā metaphoram, pro summa rei, & quòd præcipuum in re est. in qua significatione uoce *Capitis* etiā Latini utuntur. Si nō posuero Ierusalem in principio aut capite læticiæ meæ: Psal. 137. id est, Si non erit Syon aut Ecclesia Dei præcipuum meum gaudium, quòd præcipue oblectabor. *Principium* sapientiæ timor Domini. Prou. 1. 9. & sæpe aliàs. Rectè sanè ac utiliter in sacra Scriptura toties inculcatur, quòd initium sapientiæ sit timor Domini. multæ enim sunt eius rei causæ. Primum quidè, quòd qui timet Dominum, is & regitur ab eo, & donis uarijs ornatur tum in noticijs, tum & in uoluntate, actionibusq;. Secundò: qui timet Dominum, is etiam ei obedire studet, ac ad eius uoluntatem mores actionesq; suas componit: nihil turpiter, temerè, audacter, furenter, aut alioqui reprehensibiliter facit: quòd uerè ac præctice sapientiæ propriū est munus. Tertio: qui timet Dominum is meditatatur in lege eius die ac nocte, ubi est mirifica & uerè diuina sapientia. Nam ipsa prima elemēta Christianismi longè maximam, mundoq; ignotam sapientiam cōtinent: ut scire, esse tantum unū Deum, esse causam & gubernatorem omnium, unde omnia bona ueniant, & petenda sint: hominem sic conditum, sic lapsum, corruptum, redemptum, qui eius finis ac beatitudo, quòd uerum officium. Postremò, ipsa uerè ac uiua fides in pectore pij hominis existens ac uigens, mirificè eum dirigit ac gubernat, ut stabili quadā

ratione uitam suam regat, non quauis aurula, rumusculo, spe, metu, aliorum persuasionibus aut affectibus impulsus huc atq; illuc uacillet, modò hoc modò illud probet, improbet, uelit, nolit, &c. *Principium Euangely*, Paulus Phil. 4 uocat principium suæ prædicationis Euangely, in Macedonia factæ. Sic Oseas cap. 1, Principium sermonis Iehouæ ad Oseā. id est, prima patefactio, prima prophetia. Iohan. 8, cum Christus interrogatus quis nam ipse sit, respondit: Principiū, quòd & loquor uobis. In quo loco multi interpretes ueteres ac moderni sese uehementer torserunt. Simplicissimus autem, & proculdubio uerissimus sensus est, quòd Dominus eis respōdeat, se eum esse, quem se toties sit professus: nempe uerum Meschiam ac seruatorem totius mundi. Verum adscribam alterius cuiusdam prolixum annotatum super hūc locum, ut eo magis omne dubium de uero sensu dicti illius rudioribus eximatur. Id quòd à principio dico uobis, *τὸν ἀρχαῖον ὅτι ἔγει λέγω υμῖν*. Hæc expositionem etiam affert Stapulensis. Sed quia hic locus infinitis penè modis fuit expositus, & uera eius explicatio à significatione uerborum pendet, primū expli cabo, cum bona lectoris uenia, diuersas interpretationes: deinde paucis dicam, quomodo putem esse intelligendum. Augustinus ergo (ut Eras. obseruauit) *τὸν ἀρχαῖον* putat nomen esse: & quia uidet parum conuenire quartum casum interrogationis formulæ, sic conatur hoc excusare, ut dicat illud, Tu quis es, perinde ualere ac si dixissent Iudæi, Quem te esse dicis, aut què te esse credemus? Et quasi sic interrogassent, Christum respōdisse quarto casu, Principium. id est, Quæritis quid de beatissimis credere? Credite me esse principium. Deinde particulā *ἔστι*, pro causali interpretatur, hoc modo, Quia & loquor uobis: id est, quia humilis ppter uos factus, ad ista uerba descendo. Nam si principium, sicuti est, maneret apud Patrem, & non acciperet formam serui, & homo loqueretur hominibus, quomodo ei crederent, quum infirma corda intelligibile uerbū sine uoce sensibili audire non possint? Ergo credite, inquit, me esse principium: quòd ut credatis, non solum sum, sed & loquor uobis. Hæc ille. quæ sanè sunt magis detorta, q̄ ut refutatione indigeant. Ambrosius (ut idem Eras. annotat) in eadem est sententia, nisi quòd pro Quia legit Qui: id est, *ἔστι* uel *ἔστι*, repugnante omnium codicū fide. Is, cuius cōmentariorum in Iohannem libros quatuor Clichtoueus ille sophista sub Cyrilli nomine edidit, eandem prorsus interpretationem affert, atq; Ambrosius. Reliqui omnes eruditi quos mihi contigit inspicere, *τὸν ἀρχαῖον* accipiunt pro aduerbio (ut omnino poscit Græcæ linguæ ratio) sed diuerso sensu. Alij enim expli cant, Principio, id est primo loco, id uobis scilicet respōdeō, me eum esse qui uobiscū loquar. Verum hæc expositio & coacta est, & frigidam sententiam habet: denique etiam Græcis codicibus repugnat, in quibus legitur *ἔστι*, non *ἔστι*. Alij sic exponunt, Principio id sum quòd etiam dico uobis: id est, non statim uobis indignis explico quicquid sum, sed hoc primū dico, dum scilicet aptiores eritis reliquis audiendis, me missum esse à Patre & præconem uitæ. Sed hæc quoq; expositio (ne quid aliud dicā) longius est petita. Quid Chrysostomus & Theophylactus senserint, difficile est expli care: quia singulis uerbis non insistant, & obscurè sanè hæc connectant. uidentur autem in summa sic interpretari: Quæritis qui sim? indigni estis quibus id dicam, sed digni quos grauiter arguam: ac quidem in primis, quòd uobis sim loquutus, quò beneficio ostenditis uos esse indignos. Atq; hæc etiā expositio nō uideo quomò cū uerbis ipsis cohæreat. Eras. præter oēs istas interpretationes, existimat posse etiā hæc cōnecti cum eo qd dixerat, In peccatis uestris moriemini, ut sit hic sensus: In peccatis uestris moriemini, primū ob id ipsum

ipsum quod hæc loquar uobis. Deinde pro eo quod subijci oportuit secundam & tertiam aliquam rationem, addit in genere: Multa habeo de uobis dicere. Sed quorsum ista interrogatiõe spreta, tam obscure loquatur Dominus? Quidam deniq; ex recentioribus exponit, Prorsus id quod loquor uobiscum: id est, planè illud ipsum uerbum sum, quod loquor uobiscum, quia Christus est uerbum Patris: & quia se uerbum esse testatur, uult in uerbo cognosci. Hæc uerò interpretatio multo planior est quàm cæteræ omnes superiores, neque ullum uerbum detorquet. Nam apud Græcos constat *πλὴν ἀρχῶν* interdū declarare *παντελῶς καὶ ὅλως*. Sed mihi tamen uidetur nimis arguta, si eos spectemus quos alloquebatur Dominus, quorum etiam ruditati omnibus modis sese accommodat. Deinde cur non potius dixisset *ὁ καὶ λαλῶ*, uel *ὁ καὶ λαλῶν ὑμῖν*, id est, qui loquor uobis: quum præsertim *ὁ λαλῶ* apud Græcos masculino genere efferatur. Superest una Nonni expositio (neq; enim omnes libuit commemorare) quam ultimo loco adscripsi, quod eam cæteris antepoſui. Quæ fierunt, inquit, Iudei, *τίς σὺ πάλαι; καὶ χεῖρος ἀνίστασθαι, ὅτι πρὸ ὑμῶν ἐξ ἀρχῆς ὁ ἀείρων, ἔχωρ ὑβρίδια δικάσει καὶ λαλῆσει, ἀλλ' ὅτι ἐτύτυμοσ' ὁ με γρηθὴν ἀνδρομένη προέειπε*. Hi sunt illius uersiculi: quos eo libentius adscripsi, quod uulgò legantur corruptissimi, & uideam à plerisq; non fuisse commode explicatos. Apparet autè ex illis, *πλὴν ἀρχῶν* nihil aliud declarare quàm *ἐξ ἀρχῆς*, idq; per traiectionem construendum esse cum uerbo *λαλῶ*: deinde *ὁ*, *π* scribendum esse, ita ut non sit coniunctio, sed prouocabulum. Postremo, repetendum esse *ἀπὸ τοῦ κοινῶ* uerbum *ἔμι*: ut in summa intelligamus, Christum quærentibus Iudæis quid esset? respondere, se id esse quod ab initio ipsis dixisset: id est, quod iam pridem toties & tot modis illis inculcarat. Quid enim aliud tot cõcionibus conatus est illis exponere, quàm & quis esset, & unde esset, & cur in hunc mundum uenisset? Cur autem hanc expositionem præ cæteris amplecterer, plurimis rationibus sum adductus. Nam quod ad rem ipsam attinet, plana est sententiã, neq; subtilis, neq; detorta, sed ad quæstionem maximè accommodata. Deinde uerò, in uerborum explicatione seruat genuina ac propria explicatio. Nam quod ad traiectionem attinet, infinita penè similia exempla occurrunt, quæ passim annotauimus. ut Rom. 12, & apud Lucam sæpe, & infra in hoc ipso 8. cap. *ὁ* *π* uerò, non *ὁ* *π* scribendum esse, docet maxima pars superiorum interpretationum & ita etiam legitur in Theophylacto Romano. Postremo, hæc est natura respõsionum, ut in ijs repetatur uerbum positum in quæstione: ut hoc loco planè sit germana repetitio uerbi substantiui, quod fuerat in quæstione usurpatum. Quod autem attinet ad particulam *καὶ*, quamuis ea possit nō incommode accipi pro *Etiam*: tamen malui tanquam redundantem præterire. Est enim hic pleonasmus in Græco sermone non modò usitatus, sed etiam elegans, idq; in eodem prorsus dicendi genere, & eodem sequente uerbo: ut apud Synesium, *ὁ ἀδελφὸς ὁ πρῶτος λέγει*. Ut sciamus quid ille dicat. Sic apud Gregorium sæpe, *τί χρὴ καὶ λέγειν*: Deinde utitur præſenti tempore *λαλῶ* Euangelista, non sine emphasi, quasi diceret: Ego id sum quod ab initio dixi uobis, & nūc etiam dico: nimirum lux, uita, ueritas, &c. Christus in Apocalypsi dicitur principium & finis, primus & ultimus, *α* & *ω*: quia ante omnia in æternum fuit, & postea in æternum permanebit, ut supra in uoce *primus* dixi. Quis ascendet nobis in principio ad bellum? Iudic. 1. id est, quæ nam tribus ducatum & primam pugnam habebit? 1. Paral. 11. Quicumq; interfecerit lebulæum in principio.

PRINCIPALIS Spiritus Psal. 51 habet Vulgata, Spiritu principali confirma me. propre significat alacri, prompto & parato ad cultum Dei, cõfessionem & cru

sem propter Deum, eiusq; ueritatem. Ratio autem est cur LXX uerterint *ὁ γυμνοῦν*, quia *גדי* nadib significat tum liberalem, munificum ac uoluntarium in benè agendo, tum etiam principem. Græcam porrò uersionem sequuta est Vulgata in Psalterio, planè ad uerbum.

PRO præpositio Hebraicè plerunq; *אני* Tachar, uaria significata habet: aliàs quasi uicem alterius, seu quasi commutationem quandam indicat, sicut & Latinis & Græcis *αὐτὶ*, Ezech. 4, Diem pro anno dedi tibi. id est, singulos dies pro singulis annis. Genes. 30. Num ego pro Deo, qui prohibuit à te fructum uentris tui? Id est, habes ne me pro Deo, ut à me petas liberos: cū à Deo, qui tibi hætenus obstitit, id exorare deberes. Sic Ioseph dicit ad fratres Gen. 50, Num pro Deo ego sum? Exod. 7, Dedi te pro Deo ipsi Pharaoni. id est, uolo ut eum minis ac miraculis & pœnis ita molestes ac infestes, ac si Deus eius esses. Sic 4. cap. ibidem ait Deus ad Moysen: Loquetur Aaron per te ad populū: erit ille tibi pro ore, & tu eris illi pro Deo. id est, ipsius os loquetur pro tuo ore: & ille te uicissim perinde in omnibus agendis ac dicendis cõsulet, ac si Deus eius esses. Prouerb. 11, Iustus de angustia liberatur, impius autem uenit pro eo. id est, succedit in pœnas loco eius. Paruus pro centum, magnus pro mille. id est, præstabat fortitudinem tot militum, seu æquandus erat tot hostibus. 1. Paral. 12. 1. Corinth. 11, Coma mulieri pro uelamine data est. id est, ut ea loco uelaminis aliquatenus utatur, utpote quæ eam ornet. Cum dico, Pro pecunia dedit mihi cibum, aut accepi cibum: significat commutationem, aut uicem. Aliàs, *Aliquid pro aliquo fieri*, significat, in commodum illius. Iob. 13, Nunquid pro Deo loquebar tibi iniquitatem? id est, in fauorem & commodū Dei, uel ut eius causam contra me tueamini? Exod. 18. Esto tu pro populo coram: id est, age causas populi coram, eorum negocia ad illum refer, eumq; consule, ac eius opem misericordiamq; illis implora. Animam suam dedit pro multis: Marci 10 Matthæi 20. id est, in multorum commodum aut salutem: tamen & hic aliqua commutatio subsit. Matth. 17. Da staterem pro me & pro te. id est, in nostrum commodum, ut istorum exactione ac molestatione liberemur: tamen & hoc uicè aut locum alterius indicet. Animam ponere pro fratribus, inquit Iohan. 1. id est, in commodum fratrum, seu ut illi periculo eximantur. Luc. 9. Qui non est aduersus nos, pro nobis est. id est, in nostrum commodum agit & laborat, nobiscum stat ac pugnat. Sic Iohan. 10, animam suam dare pro ouibus suis, est pro eis fortissimè usq; ad mortem depugnare, ut illæ à lupis exitioq; liberentur. *Pro aliquo orare*, idem ualeat, nempe in eius commodum aut bonum. Sanctifico me pro eis: Iohan. 17. id est, offero me tibi in sacrificium. Vnum hominem mori pro populo. id est, ad totius populi salutem. Aliquando causam finalem, seu ut aliquis aliquid assequatur, ut dare pecuniam pro pane aut ueste uel libro. Hebræor. 12. Vendidit sua primogenita pro cibo. Ibidem: Christus sustinuit crucem, pro proposito sibi gaudio, id est, ut potiatur illo gaudio, illa fœlicitate, utq; accipiat à patre nomen supra omne nomen. Luc. 5. Mar. 1. Offer pro mundatione tua. id est, ut mūderis. Carnem meam dabo pro mundi uita. id est, ut uitam acquiram mundo. Iohan. 6. Sic Actor. 27. Accipite panem pro salute uestra. id est, ut uiuatis, in salutem uestram. Nonnunquam *Pro* idem ualeat quod propter, & quasi causam efficientem: ut cum dicimus aliquem puniri pro suis sceleribus aut facinoribus. Sic Luc. 19 dicitur Hierosolyma punienda pro eo quod nō agnouit Meschiã. Et Actor. 12. Herodes esse punitus pro eo quod nō dederit gloriam Deo. Ac deniq; Ephes. 5 dicitur: pro hoc, *αὐτὶ τὸς* derelinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ. id est, propter hanc Dei ordinationem

tionem aut coniugium, quandoquidem Deus sic ordinavit, & naturæ penitus implantauit. Deut. 19, & Mat. 5. Oculum pro oculo, dentem pro dente. id est, propter excussum dentem aut oculum priuari lædens debet dente aut oculo. Sic sæpe pati pro Christo & Euangelio dicimur: id est, propter. Non raro Pro in Vulgata uersione noui Testamenti significat De. Sic sæpissime ait Paulus, se agere gratias pro Romanis, Corinthiis, Ephesiis. item, gloriari pro tali homine. 1. Corinth. 12. Glorior Macedonibus pro uobis. id est, de uobis. Spes mea est firma pro uobis: 2. Corinth. 1. id est, de uobis. Isaias clamat pro Israele, Romanorum 9. id est, de, uel super. Vnusquisque pro se rationem reddet Deo: Roman. 4. Sollicitum esse pro aliquo, ualde usitatū in Sacris literis, & communi sermone: 1. Corinthiorum 12. Phil. 4. Sentire pro uobis omnibus. id est, de uobis: Philip. 1. Deus pro nobis melius aliquid prouiderat. Hebr. 11. pro, de nobis. Pro Christo legatione fungor: id est, ipso iubente ac mittente. 2. Corinth. 5. Deus est qui operatur in uobis uelle & efficere, pro gratuita sua beneuolentia. id est, ex gratuito fauore. Valde usitata est hæc significatio Latinis. ut, Pro illius erga me amore faciet: pro, eius liberalitate, aut auaricia, aut iracundia faciet hoc aut illud. causam efficientem, aut propter, notare uidetur. Locus celebris, & tamen non nihil obscurus est Ioan. 1. Ex eius plenitudine omnes accepimus gratiā pro gratia. Cōmodissima tamen cum textui, tum & ædificationi piorum est illa sententia, quod pro gratia Christi nos accepimus gratiam à Deo: quia prius dixerat eū habere plenitudinem gratiæ & ueritatis, iam addit, nos omnes ex illa plenitudine haurire: quod perinde est ac si diceret, Propter immensum fauorem & amorē, quo pater filium completitur, etiam nos eius fratres ac mēbra diligit. Sicut alibi inquit: Dilexit nos in dilecto. Hic quoque Pro uidetur significare Propter. Exauditus est pro sua reuerentia: Hebræorum quinto, Græcè est ἀπὸ αὐτοῦ, ponitur loco propter. Colophonis porrò uice adscribam etiam alterius cuiusdam sententiam de significationibus particulae Græcæ αὐτοῦ, & Latinæ pro. Ego uerò apud idoneos Græcæ linguæ scriptores duplicem tantum reperio significationem huius particulae: quarum una est propria, quum scilicet accipitur pro uice seu loco, ut αὐτοῦ βρέφους loco pueri, αὐτοῦ πολλῶν multorum loco, αὐτοῦ βρώτων, Hebr. 12. idem aduerbū, pro edulio: agitur enim de permutatione. altera translaticia, quum accipitur pro ἀπὸ, id est propter: ita tamen ut causam non finalem, sed quæ uelut origo est, declaret. ueluti quum dicimus αὐτὸ ὄνον & αὐτὸ ὄνον, ut Luc. 19. Act. 12. & αὐτοῦ τῶν, ut Ephes. 5. His duas alias adiungo, quas sacris scriptoribus peculiare opinor. Vnam, quum accipitur pro ὅτι, & commodum ac utilitatem declarat: qua significatione reperio positū tribus locis, & quidē semper personæ coniunctū, non rei: nempe Matt. 17 & 20. item Marc. 10. Alteram, quum finem designat, quomodo reperio duobus duntaxat locis usurpatum, nempe 1. Corinth. 11. & Hebr. 12. Ex his quatuor significationibus (neque enim plures reperio) deligat prudens lector quam uolet.

PROBO, ἀποκρίνω, primū significat examino, exploro, diiudico. 1. Corinth. 3. Vniuscuiusque opus, qualenam sit, ignis probabit. id est, perinde explorabit & examinabit ignis spiritualis tentationum, persecutionis, & etiam ignis Spiritus sancti, quo baptizati sumus: sicut externus ignis probat aurum, argentum & metalla alia. Eadem locutio & similitudo aliquanto plenius posita est. 1. Pet. 1. Sic Dominus dicit Pharisæis Luc. 12. Faciem terræ & cœli nostri probare: id est, diiudicare & discernere. Sic 1. Thess. 5. Omnia probate. Tertullianus in de Præscrip. hæreticorum: Omnia examine, inquit, & quod bonum est retinete. Hebræorum 3, Pro-

barunt me annis 40. Homo probet semetipsum: 1. Corinth. 11. & 2. Corinth. 13. id est, examine, diiudicet. Nā 1. Corinth. 11, quod prius dixerat, Probet semetipsum: mox synonymo uerbo quasi repetit, Si nos ipsos diiudicaremus, non iudicaremur. id est, castigaremur à Domino. Nec significat ibi ἀνακρίνω diiudicare seipsum, quibusdam castigatiunculis afflictere, ut Papistæ hunc locum uiolenter ad suas satisfactiunculas rapiunt. Probate spiritus an ex Deo sint: 1. Ioann. 4. id est, iudicate, examine, diiudicate, discernite. 2. Corinth. 8. Quem fratrem explorauimus in multis probum esse. id est, experti re ipsa sumus. Opus suum unusquisque probet: Galat. 6. id est, diligenter diiudicet. 1. Tim. 3. Atque ij, presentur primū, postea ministrent, si inculpati reperti fuerint. id est, explorentur hominum iudicia, ac testimonia Dei. Sic ille Luc. 14 dicit se emisse par bouum, uelle ire ut probet eos. Sic & Columella loquitur: Probate boues. Sic Ouidius, *Exitus acta probat*: id est, diiudicat. & Cicero: Probate amicos. Sic & Italis hoc uerbū nunc est in usū, prouar, prouado e experimentado. In Psalmis & Veteri testamento sic innumeris uicibus accipitur. Hebræum est כָּוַן. Crebrò etiam illa similitudo de igne probate metalla, cum hominis probatione confertur. Prouer. 17, Sicut igne probatur argentum, ita corda probat Dominus. Sic ibidem 27, Ierem. 9, Daniel. 12. Zach. 13. Iob 23. Psal. 12, dicuntur eloquia Domini perinde munda esse ac argentum probatum igne septies. Secundò significat, post examinationem agnoscere aliquid, seu perspicere. Rom. 14, Renouemini spiritus mentis uestræ. ut probetis. id est, agnoscat, quæ nam sit Dei uoluntas bona & perfecta. Idem planè dicit Rom. 2. Nosti uoluntatem Dei, & probas eximia: id est, agnoscis quæ sint coram Deo recta ac probata. Idem prorsus, eodemque modo ut Rom. 2, dicit etiam Phil. 1. Oro Deū, ut excellatis cognitione & omni iudicio: ad hæc, ut probetis eximia. Tertiò, significat amare aliquid tanquam probum, suo assensu amplecti ut probum. 1. Thess. 2. Sed sicut probati sumus à Deo, quibus crederetur Euangelion. id est, placuimus tanquam si probi essemus. Sequitur mox, Qui probat corda nostra. ubi possis exponere, Explorat: aliqui tamen malunt, Approbat. Sicut non probauerunt Deum habere in cognitione, Rom. 1. id est, non sunt ex animo assensu, non id seriò egerunt ac effecerunt, seu re ipsa præstiterunt, sicut debebant, ut permanerent in uera Dei cognitione: seu, ut Deum eiusque cultum retinerent in percepta cognitione, sed mutauerunt gloriam Dei in idola, &c. Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. id est, Beatus qui bona conscientia, & non dubitando ac hæsitando amplectitur aut agit, quæ agit uel sequitur Rom. 14. Probare ergo hic, pro opere sequente probationem ponitur. sic Ioan. 6. est Voluerunt eum accipere in nauem. id est, cupidè libenterque acceperunt, licet prius perterriti a horrent ab eo. Qui in talibus seruit Christo, gratus est Deo, & probatus hominibus. id est, acceptus. 2. Tim. 2. Stude te ipsum probatum operarium præstare Deo. id est, probum ac laude dignum. Diuersa est hæc à præcedenti significatione, & conuenit cum sequenti propemodum. Quarto, significat alicui testimonium dare: ut experimentis probat, comperio. 1. Corinth. 16. Quoscumque probaueritis per Epistolas, eos mittam, ut auferant gratiam uel eleemosynam uestram. Sic & Latinis probare interdum est laudare, approbare, comprobare, &c. Vicinum huic est, quod ἀποκρίνω experimentum, aliquando significat iudicium probitatis, quod testimonio suo alicuius probitatem comprobat. 2. Corinth. 2. In hoc enim scripsi, ut cognoscerem probationem uestri, si ad omnia obediētes sitis. id est, ex obediētiæ externæ præstatione in tali casu uestram pietatem perspicere.

Sic mox 13, Experimentum quæritis loquentis in me Christi. id est, indicium, testimonium huic rei dans aut approbans, quod Christus in me sit, & per me agat. Quinto, probatio aliquando ipsam bonitatem rei aut personæ notat: ut 2. Corinth. 10. Non enim is qui semet ipsum commendat, probatus est, sed quem Deus commendat. 1. Corinth. Oportet etiam hereses esse, ut qui probati sunt in uobis, patefiat. id est, qui probi sunt. Iacob 1. Quia probatus factus accipiet coronam. id est, probus. Phil. 2. Cognoscite probationem eius, quod ueluti cum patre filius mecum seruerit in Euangelio. id est cognoscite eius ueram probitatem, aut seriam pietatem, quandoquidem ita se gessit. Quoniam porro ἀδίκως probatus, significat spectatum aut compertæ bonitatis hominem: ideo contra ἀδίκως, quod plerumque uulgata uertit reprobum, significat non probum. non autem simpliciter reiectum, aut ad æternum exitium destinatum, ut multi accipiunt. 2. Cor. 13. Non ut nos probati appareamus: sed ut uos bonum faciatis, nos uero ueluti reprobos simus. id est, dum caremus causa uos castigandi, ueluti destituti Spiritualibus uiribus, & inermes appareamus.

PROBATIO aliquando actiue, aliquando passiuè accipitur. Actiue, Rom. 5. Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Vbi probatio significat experientiam qua scilicet patienter ferendo crucem, & Deum implorando, Dei ueritatem, liberationesque re ipsa experimur. Vnde fit, ut spes nostra crescat, quæ etiam in posterum lætos euentus experitur. Passiuè porro usurpatur 2. Corinth. 8. Quod in multa probatione afflictio nis redundauit gaudium ipsorum. id est, quod multæ illæ afflictiones, quibus eos Deus tentauit, ac explorauit eorum alacritatem, non modo non extinxerunt, sed etiam auxerunt & illustrarunt. Sic quoque ἀσκήσιον fidei, probatio aut exploratio fidei, Iacob. 1. 1. Pet. 1. passiuè accipitur, nepe qua piorum fides exploratur. Preponit iacobus probationem patientiæ tanquam causam: cum Paulus, ut modo audiuius contra patientiam probationi præponat. Sed causa est, quæ nunc audiuius, nempe quod est diuersa uox, & significat Iacobo idem quod Paulo in sua gradatione tribulatio.

PROBRUM, in Sacris literis significat tum ignominiam, tum & contumeliam, ignominiosa maledicta, & omnem infamiam. Hebr. 11. Moses fide potius elegit cum populo Dei malis affici, quam temporariis commodis peccatis frui: maiores arbitratus diuitias probum Christi, quam thesauros Ægyptiorum. Probrum Christi uocat eas cruces, calamitates, ac infamias, quas omnes sustinere coguntur, qui pie uolunt uiuere in Christo, quod antea dixerat κακοῦ χόδα, malis affici, malè haberi aut tractari. Ezek. 26. Ne accipiatis amplius probrum famis inter gætes. id est, ne alij populi posthac uobis obijciant sterilitatem & penuriam. 2. Sam. 1. Ego, quo abire faciam probrum meum, id est, quomodo me tanta ignominia liberabo? Ponam probrum istud super totum Israel. 1. Samuel. 11. pro, hac eos infamia onerabo, hanc eis ignominiam notam inuram. Memento quod tu lerim in sinu meo multorum populorum probra, Psal. 60 octuagesimonono. id est, contumeliosa maledicta multarum gentium. Sed plura de hac uoce uide supra in Opprobrium.

PROCIDERE, aut procumbere solebant coram hominibus & Deo Israelitæ, uel honorantes, uel suppliciter petentes aliquid ab aliquo: quem eorum morem etiam Liuius Decad. 3. indicat, cum Carthaginensium legationem ad Scipionem describit. Hæc est etiam uis illorum uerbi נָשָׁח Schacha. Hodierna quoque die Turcæ & alij Orientales incuruatione corporis reuerentiã exhibent, quibus non est mos aperire caput: quæ con-

suetudo iam etiam à Christianis usurpatur.

PRODIGIA, portenta ac signa, pro eodem ferme usurpat uulgata uersio, nec in Hebræo etiam sermone admodum magna significationum discrimina monstrari possunt: nõ quod ex origine thematis non queat diuersa significatio produci, sed quod usus est ualde promiscuus. Quid prodigia uocet Ioel 2. & Acta cap. 2. exponitur in textu: Dabo prodigia in celo superius, & infra in terra, sanguinem, ignem, & uaporè fumi. Sic Deut. 6. Deditque Deus signa & prodigia magna & mala in Ægypto coram Pharaone, & cuncta familia eius. Qualia illa signa aut prodigia fuerint, ex Exodi narratione notum est. Sic Christus dicit Matth. 24. Pseudoapostolos & seductores edituros magna signa & prodigia. Sic & 2. Thes. 2. Antichristus dicitur editurus signa & prodigia, sed mendacia: id est, tantum speciem habentia prodigiorum, cum sint uel præstigie diaboli futuræ, uel etiã figmèta seductorum, tum etiam ad mendacem falsamque religionem ac cultum inducentia. Christus quoque & Apostoli edentes miracula, signa & prodigia fecisse sæpe in Sacris dieuntur. Act. 2. 15. Rom. 15. 2. Cor. 12. Vocat Scriptura prodigia aut portenta etiã illas mirabiles actiones ac gestus Prophetarum, qui externis aliquibus notabilibus factis, ut gestatione iugi, catenarum, simulatione obsidionis, & similiu, aliqua futura ex mandato Dei prænunciabant. Quin & ipsimet prophetæ cum filiis uocantur prodigia. Isa. 8. Ecce ego & pueri quos mihi dedit Dominus in signa & prodigia in Israel. Quia filijs eius iusserat Deus imponi nomina Hesbaz & Seariasub, ut ipsis etiam propriis nominibus futuras calamitates indicarent. Sic Capite 20, iubetur nudus & discalceatus incedere, ut eo signo aut prodigio indicet Ægyptios & Æthiops nudos in captiuitate à Chaldeis abducendos esse. Sic Ezekiel. cap. 12 & 24. ob similia signa dicitur esse portentum à Deo Israeli propositum: quia sua simulata fuga & migratione, Iudæorum calamitatem portendit: sicut & suo lectu ob mortuam uxorem. Viri prodigiorum sunt. Zach. 3. id est, idonei ad facienda prodigia, instructi ui patrandi miracula.

PRODIRE, idem quod egredi. Psal. 17. A facie tua iudicium meum prodeat. id est, tu ferto sententiam de mea iusta causa. eamque exequitor me liberando, & hostes perdendo. Vide supra Egredior.

PRODUCO, idem quod educo, foras ducò, nihil habet obscuritatis. Iud. 6. dicunt patri Gedeonis, sui populares: Produca huc filium tuum. id est, exhibe aut dede eum nobis, ut ipsum lapidibus obruamus, ob subritum altare Baal, & succisum lucum. Sic Actor. 12. uolebat Herodes mox post pascha Petrum, quæ in carceribus diligenter asseruabat, ad populum producere. id est, aliquo acerbissimo supplicio ipsius gratum spectaculum populo præbere.

PROFANVM. Triplices res ac homines sunt: primum quæ dicuntur sanctæ aut sacræ, quæ peculiariter sunt Deo eiusque cultui destinatæ: deinde cõmunes, quæ hominum usui & cõmuni uitæ: postremò immundæ ac impuræ, quæ tũ Deo suo quodam modo displicent, tũ hominibus sunt illicitæ. Vox igitur Profanus, sicut & Cõmunis, aliàs res cõmuni uitæ cõcessas notat, aliàs uerò eas quæ planè immundæ habentur: quæ uocis ambiguitas, & diuersis reb. cõmunitas inde uenit, quod neutreque posteriores sacræ sunt, & quod tota ista uita immundicia ac peccatis plena, seu potius cum peccatis ac immundicie confusa & cõmixta est. Proponat aut pauca exempla significationum istius nominis. Profanare uineam aut domum, est certis quibusdam ceremonijs eas licitas usui hominum facere. Nã antequam id fieret, Deo sacræ, & hominibus illicitæ, mox ab earum primo initio habebantur: sicut supra tum alibi, tum & in uoce Præputij dictum est. Legitur igitur Leuit. 19, & Iere. 31. Adhuc plantabitis uineas in monti-

montibus, plantabunt plantantes, & profanabunt. In hac significatione *Profanum* uulgo, & etiam apud eruditiores scriptores plerumque accipitur. Sic sæpe profani dicuntur omnes non consecrati. Posterior significatio est, cum rem immundam ac contaminatam notat. Mulierem prophanam, aut meretricem non accipiant sacerdotes. *Leuit. 21.* bis repetitur. Sic Latini quoque sæpe sceleratos ac nefarios homines prophanos uocant. In hac significatione usurpatur etiam in Nouo Testamento. *Hebr. 12.* Ne quis sit inter uos fornicator aut profanus, sicut Esau pro unico edulio uendit primogenita. *Sic 2. Tim. 2.* Profanas uocum inanitates cohibe. Idem dicitur *1. Tim. 6.* Tertia, quædam metaphorica significatio est, cum indicat rem aut personam omni sua priori dignitate priuare, in terram abijcere, & ueluti omnibus contemnendam ac concalcandam proponere. *Psal. 89.* Abiecasti pactum serui tui, profanasti in terram diadema eius. id est, ludibrio & iniuriis omnium exposuisti. Est significatio & phrasia contraria illi, cum Romani suos tribunos sanctos, aut moenia sancta uocarunt. id est, in uiolabilia, & omni honore & quasi religioſitate persequenda & tractanda. *Isa. 23.* ut prophanaret superbiam omnis gloriæ. id est, abijceret, & contemptos redderet nos qui superbi ac potentes fuerunt. *Sic Æn. 11.*

Quos Æneadæ bello fecere profanos.

Dicitur & Dei pactum, tabernaculum ac templum profanari, simili ferme significatione, idque tum à Deo, tum & ab hominibus. *Psal. 89.* Non profanabo pactum meum, quod mox exponit, inquit: Et quod egressum est de ore meo, non mutabo. Vide sequentia prolixius, ubi illam profanationem plenius explicat. Dicuntur & homines sceleratos ac præcepta, aut etiam templum Dei profanare, cum uiolant, & non religioſe obseruant. *Psal. 89.* Si filij eius iustificationes meas profanauerint, & præcepta mea non custodierint, ubi idem bis dicit. *Ezec. 23.* & *2. Esd. 13.* Sabbata mea profanauerunt. *Sic Leuit. 19.* dicitur is sacra profanare, qui tertia die de oblatibus comedit. *Leuit. 10* & *Ezec. 22* præcipitur, ut sacerdotes discant accuratè distinguere inter sanctum & profanum, ubi alluditur quidem ad illas externas res in sacrificiis, & alioqui sanctas & profanas habitas: sed indicatur, eos debere inter uera ac spiritualia sancta & profana distinguere, nempe inter peccata & rectè facta, & præsertim inter uera & falsa dogmata. Quod etiam illud Paulinum *de probos quæ*, id est rectè secare, spectat.

PROFERO uerbum itidem perspicuum est. *Nu. 13.* Protulerunt infamiam terræ, quam explorauerant. id est, sparserunt rumores tristes de illa terra, infamarunt eam apud uulgos. *Gen. 14.* est clarè tum in Hebræa, tum & in Vulgata, quod Melchisedec protulerit panem & uinum exercitui Abrahami: & tamen quidam uolenter peruertunt textum, quasi sit *Obtulit*: ut suam committentiam oblationem Missæ tueantur.

PROFICIS COR, inde *Professiones*. Sæpe in posterioribus tribus libris Moſis fit mentio professionum populi Israelitici: ubi ea uox significat progressionem illius populi in deserto, seu itinera ab aliis locis ad alia, ubi aliquandiu commorati sunt, Deo eos ducentem per columnam ignis aut nubis: quæ fuerunt *40: Numer. 33.* Lapis professionis. *1. Reg. 6.* id est, importatus, aduecticius, externus.

PROFUNDUM habet quasdam metaphoras non nihil obscuras in Sacris literis. Primum enim significat grauissimas miseras ac difficultates, & calamitates quasuis: quod spectat etiam Latinæ metaphoræ obrui, immergi, emergere ex malis aut difficultatibus. Veniunt autem istæ metaphoræ à corporeis immersionibus, in aquas aut lutum. *Psal. 88.* Posuisti me in lacu inferiori, in tenebris, in profundis. Quod alludit ad illos eorum subterraneos carceres, in quales etiam Ieremias fuit proie-

ctus, ita ut in lutum immergeretur: *cap. 38.* *Sic Psal. 130.* clamat Psalter: De profundis clamaui ad te Domine, domine exaudi orationem meam. *Psal. 69.* Non inundet me decursus aquarum, nec absorbeat me profundum. id est, summæ aliquæ calamitates, potissimum à persecutoribus imminentes. qua metaphora ille *Psal. 130.* sæpius utitur. Secundo, *Profundum* aliquando significat aliquid ualde abstrusum, occultum, sapiens, aut etiam astutum, malicioſeque cogitatum ac subornatum. Nam & in bonam & in malam partem accipitur. Sic dicitur *1. Cor. 2.* Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. id est, intimas cogitationes ac secreta consilia, siue in maximis mysterijs, siue in summis rerum difficultatibus. quo sæpe Ecclesiâ suam ueluti ad mare rubrum, aut etiam in medium eius adducit. *Psal. 92.* Quam grandia sunt opera tua Domine, ualde profundæ sunt cogitationes tuæ. Sic huc alludens Paulus *Rom. 11.* exclamat: O profunditatem diuitiarum & sapientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uia eius. *Dan. 2.* Profunda & abscondita reuelat Deus. *Prou. 20.* Aquæ profundæ consiliū in corde uiri, at intelligēs uir exhauriet illud. id est, deprehendet quid aduersarius spectet, aut quorsum tendat suis aliud simulantibus actionibus ac sermonibus. In malam partem, de astuta malicia, *Psal. uigesimo.* Væ ijs qui profundi sunt, ut à Iehoua abscondant consiliū. id est, qui conantur non tantum hominibus, sed etiam Deo ipsi abscondere consilia sua, eique imponere mirabili specie pietatis ac iusticiæ. Mox enim textus semet exponit addens: Et sunt in tenebris opera eorum. & dixerunt, Quis uidebit? cuiusmodi fuerunt machinamenta opprimendarum piarum Politiarum, & corrumpendæ religionis nostro tempore. Hinc deductum uerbum Hebræum *חֲמִיקִים* Heemik, profundare, *Oſæ 5. 9.* *Iere. 49.* quod quidam exponunt per profundare consiliū. id est, astutum consiliū reperire, de quo ego meam sententiam mox subiiciam. Tertiò, *Profundum* significat quasi copiam ac potentiam: sicut *Rom. 8.* Paulus ait, quod nec sublimitas neque profunditas nos abstrahere poterit à dilectione Dei. Hinc est quod profundum significat etiam immensum chaos peccatorum, sicut *Prouerbiorum 18.* Vulgata habet: Impius cum in profundum peccatorum uenerit, contemnet. Hinc quoque uenit, quod *Profundare* significat augere. *Isa. 31.* Reuertimini unde profundastis defectiōnem filij Israel. id est, ab ista defectiōne, in quam uos tam profundè immeristis. Sic puto loca *Hosæ 5 & 9,* item *Ier. 49,* de immensa profunditate, aut magnitudine idololatriæ accipienda esse. Quartò, significat profunditas aquarum, copiam bonorum: quia copiosa aqua in illis feruentibus & aridis locis fuit maximum bonum. *Ezec. 34.* An parum uobis est, quod profundas aquas bibatis, quod etiam reliquam aquam perturbatis? In *cap. 32.* eiusdem Prophetæ exponunt de tranquillitate ac puritate aquæ, quia profundæ aquæ non perinde arrodant terram, minori impetu fluentes: aut etiam ob copiam non perinde contaminari facile ac perturbari queant. *Prou. 18.* Aquæ profundæ uerba oris uiri, & sicut flumen effluens fons sapientiæ. Id est, sapiens & eloquens uir abundat amplissimo & salutari thesauro quæ hominibus communicare potest. *Profunda aquarum* significant alueos, aut fundum. *Profunda aquarum* apparuerunt. *Psal. 18.* & *2. Samuel. 22.* Confundentur profunditates fluminis. *Zachar. 10.* Transibit tribulatio in mari fluctus, & confundentur omnes profunditates, fluminis. id est, *Ægypti gloria,* potentia ac opulentia tollentur. Sicut sequitur: Et deponetur superbia *Assur,* & sceptrum *Ægypti* auferetur. Proiecasti me in profundum maris, inquit *Jonas 2.* Quod quid significet, ex eius historia notum est. Simili locutione, sed significatione longè alia, inquit *Michæas:* Proiecasti in profundum

maris omnia peccata nostra. id est, longissimè ea à nobis remouisti, & quasi prorsus aboleuisti. Suprà dixi, profunditatem significare etiam magnitudinem malorum ac periculorum. Sic Prouerb. 22. legitur: Fovea profunda os alienæ mulieris: cui iratus est Deus, incidet in illud. & 23, Fovea profunda est scortum, & puteus angustus aliena mulier. Sic & Prouerb. 9, adulteræ inuitati dicuntur esse in inferni profundo. Psal. 68, dixit Dominus: Reducam ex Basan, reducâ ex profundis maris. id est, meos electos congregabo ex omnibus locis, aut liberabo eos ex summis malis & tyrannide hostiû, sicut liberaui olim meos de seruitute Og Basan, ac de furore Pharaonis in medio maris rubri.

PROFVND ouerbum, ab hoc nomine formatum, reperitur Isaię 7. Profunda petitionem, aut extolle sursum. id est, pete aliquod signum uel miraculum à Deo in confirmationem huius promissionis liberandæ Iero solymæ ac Iudææ, uel infrâ in imo tartaro, uel superius in summo cælo, &c.

PROGENIES, à progenerando ducta uox, significat primùm stirpem aut familiam aliquam, seu totam cognationem. Sic filij Iacob ex Ægypto reuersi dicunt patri, se à præfecto Ægypti per ordinem interrogatos esse de tota sua progenie: Genes. 43. Secundò, progenies significat posteros alicuius, filios, nepotes, pronepotes, & alios. Iosue uigesimo secundo, Extruximus altare in testimonium inter uos & nos, progeniemq; nostram. id est, posteros. Tertiò, progenies significat ætatem, nempe tum tempora ipsa seculorum, tum homines singulis seculis existentes. Psalm. 48, Vt narretis in progenie altera. Psalm. 49. Cogitatio eorum est quòd sua progenies sit duratura à progenie in progenie. Alij, A^o generatione in generationem: quòd idem est. Sic diua Virgo canit Luc. 1. Misericordia eius à progenie in progeniem timentibus eum: id est, in omnem posteritatem, aut in perpetuum, semper est misericors timentibus. Ioannes Baptista Matth. 3, & Christus 12 ac 23, uocant Phariseos progeniem uiperarum; ubi non ipsam procreationem uiperarû, quasi sint ex uiperis procreati: sed naturam aut indolem, maliciamq; planè uiperinam eis obijciunt, quam ex utero matris attulerunt, ita ut sua peruersitate maiorum maliciam referât. Ideo Dominus inquit Matth. 12. Progenies uiperarû, quomodo potestis bona loqui, cum mali sitis? nam ex abundantia cordis os loquitur. Non igitur agitur de causa aut parentibus illorum, sed de inhærente malicia. Sic & Matth. 23: Serpentes, progenies uiperarum, quomodo potestis effugere à iudicio gehennæ? Vbi idem per serpentes uoce metaphorica, quòd per progeniem uiperarû, indicatur, nempe inhærens serpentina prauitas. Sic Christus obijciens Iudæis, quòd sint ex patre diabolo, non tantum primam illam occupationem ac deformationem, qua Satan genus humanum in suâ potestatem redactum, ex imagine Dei in suâ transformauit, obijcit: sed etiam inhærentem diabolicam maliciam, quam secum ex utero matris attulerint. Vide in uoce *Fily*. Peruenient in progeniem patrum suorum, & usq; in æternum non uidebunt lumē, id est, tandem in suo impio curriculo uitæ perseverantes morientur, & in inferno in perpetuis tenebris, ubi sunt & maiores eorum, sepelientur. Vide suprà in uoce *Generatio*, cû qua hoc uocabulum interdum conuenit.

PROHIBEO, notæ significationis uox est. Significat enim propriè prohibitionem aut uetationem, seu interdictionem mandato factam. Verùm interdum in Sacris idem est quòd impedio. Num. 14, Cognoscetis prohibitionem meam: id est, impedimentum, quo uos impediam, ne in terram promissionis ueniat. Iob 33. Vt à corruptione retrahat animam suam. id est, impediat, seruet. Gen. 30, Prohibuit te Deus à fructu uetris,

id est, impediuit. Sic Paulus Rom. 1. dicit se cupisse uenire Romam, sed hæctenus fuisse prohibitum: id est, impeditum. Aliquando fermè idem ualeat quòd parco. 2. Reg. 5. dixit Geezi, Prohibuit dominus meus Naaman Syrum, ne acciperet de manu eius quæ attulit. p. pepercit dominus meus Naamano isti, aut eius rebus. Gen. 22. Non prohibuisti fillum tuum à me: id est, non percipisti filio tuo propter me. Vel potius, non denegasti eum mihi. Isa. 58. Clama gutture tuo, ne prohibeas: id est, ne peperceris lateribus, gutturi ac uoci. Sæpe sanè pro denego, aut nolo concedere, aut retraho, exponi posset. Gen. 39. Non est quisquam maior me in domo hac, neq; prohibuit à me quicquã herus meus, nisi te uxorem suam. id est, omnia mihi concessit, meq; potestati subiecit. Psal. 84. Non prohibet Deus bonum ambulantis perfectè aut sincerè. id est, non denegat, nõ retrahit bonum, sed cõcedit, largiturque. Ezech. 30. In Taphnes prohibebit dies lucem suam. id est, denegabit illis. Psal. 40. Ne prohibeas misericordias tuas à me, pro ne deneges eam, ne cohibeas, & ueluti clausas contineas misericordias tuas à me. Iob. Prohibere sermone quis poterit? id est, cohibere. 2. Sam. 13. Alloquere quæso regem, non prohibebit me à te: id est, non denegabit. Psal. 21. Et prolationem labiorum eius non prohibuisti. id est, petitionem eius non negasti. Vicina huic significatio est, cum aliquid alicui dicitur prohibere: pro, impossibile. Iob 42, O Deus, noui quòd omnia potes, nec prohibetur à te cogitatio. id est, nihil tibi est impossibile, omnia potes quæcunq; cogitas. Sic, 2. Sam. 14. Non est Iehouæ prohibitio seruare cum multis aut paucis. Germani in hac phrasi ludunt, cum dicunt alicui uinum aut carnes esse prohibitas, indicantes eum illas non habere: aut cum sceneratores dicunt pauperibus, esse scenus prohibitum. Non prohibere alicui, sæpe significat non tantum non denegare, sed etiam ultrò dare ac offerre, ut quædam superiora exempla indicant. Psalm. 48. Non prohibuit à morte animam eorum. id est, non tantum nõ defendit eos à morte, sed etiam ultrò eam illis obruit, seu occidit eos. Aliquam ab aliqua re prohibere, est impedire eum, ne illud consequatur. Eccles. 2. Non prohibui cor meum ab omni læticia. id est, non impediui aut cohibui: tametsi & aliquid amplius significet, nempe non tantum non impediui cor meum, sed etiam ultrò ei ingessi omnis generis uoluptates, secū dum desideria eius. Iob 31. Si prohibui pauperes à desiderio. id est, si impediui eos, quo minus rem cupitã consequerentur: uel potius, si non dedi eis quæ cupiuerunt à me. Interdum *Prohibere* pro auertere accipitur: tametsi hoc ad uerbum *Impedire* reduci queat. 1. Samue. 25. Qui prohibuit te, ne uenires in sanguines, pro auertit te, aut impediuit, ne funderes sanguinẽ, ne eadem patrares. Iob 36. Non prohibet à iusto oculos suos. id est, arcet, auertit. Psalm. 19. A superbia prohibe seruum tuum, ne dominantur mihi. id est, cohibe, auerte, retrahere illos à me. Psalm. 119. Ab omni semita mala prohibui pedes meos. id est, auerti. *Prohibere* etiam reticere significat. Iere. 26. Ne prohibeas uerbum. id est, noli reticere ullum uerbum. Idem 42. Quicquid responderit Deus, nõ prohibebo uerbum à uobis. id est, non reticebo. Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à siti: Ieremiæ secundo. id est, mane domi, seu in uera religione. Studium enim idololatriæ & præsidij Ethnicorum comparat Propheta discursationi brutorum, aut ferarum libidine flagrantium & discursantium, quærendi maris gratia, ut proximè præcessit: homines uerò cursitantes facerant calceos, eoque nudant pedem, & simul siti laborant. Quare nudatio pedis & siti pro discursatione ponitur, & discursatio corporea pro studio ac inquisitione idololatriæ. *Prohibere* re se ab aliqua re, est eam non facere, Hag. 1. Propter ea super

per uos prohibuerunt se cœli à rore, & terra prohibuit se à fructu suo. id est, impediēte Deo nec cœlum super uos rorât aut pluit, nec terra fert necessarios fructus. Noli prohibere teipsum, ne uenias: Numer. uige simofecundo: id est, ne patiaris te prohiberi, remoue omnia impedimenta, qualiacunq; tandem sunt, aut omnino esse uel occurrere tibi possunt. Prohibere intrare in regnum cœlorum: Luc. 11. id est, impedire. neque enim hoc mandatis prohibebant, sed falsa doctrina sedulo impediēbant. Hebræorum septimo. Et illi quidē 10 plures facti sunt sacerdotes, propterea quod morte prohibebantur permanere.

PROICERE aliquid ab oculis aut facie, est, cum quadam indignatione illud à se amouere, non curare, irasci in super ei, odisse ac detestari illud. Sic Ionas cap. 2. inquit, Proiecisti me in profundū maris: Ego dixi, Proiectus sum à conspectu oculorum tuorum. id est, remouisti à cura, fauore ac protectione tua, ac ueluti in extremum exitium abiēcisti. Sumpta uerò est locutio de medio communis uitæ. Sic enim solēmus longissimè à nobis 20 abijcere eā quæ non tantū non curamus aut amamus; sed etiā odimus ac detestamur. De tali spiritali proiectione loquitur etiā Dauid. namquē deprecatur, cum inquit Psalmo 51. Ne proiciās me à facie tuā, & Spiritum S. tuum ne auferas à me. id est, ne desinas me curare, amare, & fouere, & ueluti ante tuos oculos ac in manibus tuis, à quibus me nemo rapere potest, detinere & conseruare. Projicere à se peccata sua, est uera ac serua pœnitentia discedere à peccatis, & ad Deum conuerti: Ezechiel. 18. Projicite à uobis peccata uestra, & 30 facite uobis cor nouum. Michæ septimo paulo aliter accipitur hæc locutio. Proiecisti in profundum maris omnia peccata eorum. id est, ex oculis tuis remouisti, & quasi prorsus aboleuisti. Projicere uerbum Dei post se: Psal. 50. Proiecisti uerbum meum post te. id est, abiēcisti omnem reuerētiam uerbi mei. Ratio locutionis eadem est, quam prius indicauimus. Proicietur rete in pedes eius. Iob 18. id est, irretietur, capietur. Allusio est ad piscationem, ubi retia piscibus iniiciuntur. Inde est etiam, quod proiectiones tributa significant, quia illis capi 40 untur res ac fortunæ subditorū. Ezechiel. 45. Auferte proiectiones uestras à populo meo: id est, tributa, quibus ueluti eiectis retibus fortunæ illorum illaqueatis.

PROLES hominum peccatorum. Numer. 32. Ecce surrexistis pro patribus uestris proles hominum peccatorum, ut adderetis iram Domini contra Israel: Alij uertunt, Incrementum. Posses etiam exponere frequentiam, aut turbam, aut cœtus. Nam uocabulū propriè sonat Multitudo, aut augmentum.

PROLONGARE dies, est longiorem moram alicubi 50 trahere, diutius uictitare. Gen. 26. Cum prolongati fuissent ei dies illi: id est, cum aliquandiu aut sic satis diu moratus ibi fuisset. Deu. 4. Ut prolonges dies super terram id est, ut diu uiuas. Deut. 17. Ut rex prolonget dies in regno suo. id est, ut diu regnet. Deut. 25. Habeas iustas mensuras & pondera, ut prolongent tibi dies tuos super terram, id est, sint causa ut Deus prolonget. Qui prolongauerunt dies suos post Iehosua: Ios. 24. Iud. 2. Ezech. 12. grauissimè minatur Deus impiis suæ longanimitati inultantibus, quod non mox secundum ipsorum 60 peccata & prophetarū minas eos puniret. Dicebant enim: Prolongantur dies, & peribit omnis uisio. Quasi dicerent, tam diu differuntur istæ à Prophetis prædictæ calamitates, donec prorsus irritæ euanescant. Quod dictum ita crebrò iterabant, ut quasi in proverbium abiret. Quare minatur Deus futurum, ut quod porrò mali eis prædixerit, id citissimè accidat. inquit enim ibidē: Quod loquor uerbū fiet, & non protrahetur ultra: sed in diebus uestris loquar, & faciā uerbū illud. Vicinum hæc Hebraïsmis est illud Nū. 9. Quando nubes se pro-

longabat super tabernaculū diebus multis. id est, quando nubes diu morabatur, & illi in ipsdem castris diu comorabatur. Prolongatus est incolatus meus: Psal. 120. id est, diu coactus sum inter illos morari. Prolongauerunt in dorso meo sulcum: Psal. 129. id est, diu afflixerunt me in hac Babylonica captiuitate.

PROMITTO, aliquādo significat idem quod præ me fero, externa specie ac uita indico, seu hominibus persuadeo. qua ratiōe accipi debet in fine primæ ad Timotheum, ubi Paulus iubet uitare prophanas uocum inanitates, & oppositiones argutiasq; falso nominatæ scientiæ, tandem addens: Quam nonnulli promittentes, circa fidem aberrarunt. Vbi uerbum *προμιθεω*, promittere aut spondere, non tantum refertur ad professionem quæ uerbo fiat, sicut solent ambitiosi homines gloriōse uirtutes suas iactare: sed ad totam habitus, gestus, uitæ denique rationem, quam illi ita comparant, ut etiam tacentes, imperitis quidem hominibus nihil nisi sublime & arduum de se promittant. Suprà 2. Cor. 10. eadē quidē significatione, sed in summa laude ponitur idem uerbū: ubi iubet Paulus, Christianas mulieres non cincinnis, non auro, non margaritis, sed honesto habitu, & bonis præcipuè operibus ornari. Quod (inquit) decet eas mulieres, quæ pietatem spondeant. id est, quæ pietatem & sanctimoniam de se promittant omnibus, à quibus conspiciuntur: seu quæ uideri uolunt probæ ac piæ.

PROMISSIO tum in singulari, tum in plurali numero, crebrò in Nouo testamento, præsertim in Epistolis Paulinis, significat per excellentiam ipsum Euangelium, seu promissionem exhibendi Meschiæ, & gratiæ per eum cum Deo reconciliationis, iusticiæ ac uitæ: quæ promissa beneficia nos credere & fide apprehendere iubemur. Rom. 4. Si enim ij qui ex lege sunt, hæredes sunt, inanis facta est fides, & irrita facta est promissio. Et mox: Propterea per gratiā, ut firma sit promissio. id est, ut Euangeliū, quod propriè est promissio de filio & eius beneficiis, sit nobis ratū ac certum. ideo est gratuita: quæ si ex lege, aut legali iusticia penderet, nequaquā esset rata ac firma: quando quidē nos legem nō seruamus. Gal. 3. Lex nō abrogat promissionē. nā si ex lege hæreditas esset, nō iam ex promissione: Abrahæ uerò Deus per promissionem largitus est hæreditatē. Sic & in plurali numero ibidem legitur, pro solo Euangelio: Abrahæ uerò dictæ sunt promissiones, & semini eius. id est, una eademq; illa promissio sæpius iterata. Sic mox: Lex igitur aduersus promissiones? Obseruandum igitur diligenter est, quod quoties Paulus cōfert legem cum promissione, instituat collationē legis & Euangelij. In uoce Promissio *προμιθεω*, diligenter obseruandum est, quod Budæus annotauit: eam Græcis significare gratiā ultroneāq; promissionē. Talis enim prorsus est promissio Euangelij, quod non merenti, aut ei cui aliquid debeatur offert, sed prorsus gratis, ac indigno. Talis uis est etiā uerbi *προσφέρει* & *πολλίκερι*. Vulgata uersio, alicubi etiam Erasmus, pro promittere & promissio, habent *repromittere* & *repromissio*. Est autē *Repromissio* (definitioribus Iureconsultis) iterata promissio: ubi præter fidei iussorē etiā ipse debitor iterū atq; iterū promittit. Vide *Repromissio*. Aliquando *Promissio* significat ipsa promissa bona. Gal. 3. Conclust Scriptura omnia sub peccatū, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Hebr. 10. Patientia uobis opus est, ut ubi uoluntatē Dei feceritis, reportetis promissionē. id est, cōsequamini promissam æternam gloriam. Sic ibidem 6. Qui per fidem & patientiam hereditant promissiones. Act. 1. Ut Hierosolymis expectarent promissionem patris: id est, promissum bonū, nempe Spiritū S. Promissio Spiritus, pro promisso Spiritu S. Act. 2. Promissionem Spiritus à patre accipiēs. Gal. 3. Ut promissionem Spi-

ritus accipiamus per fidem. Sic vicissim dicitur *Spiritus promissionis*: Eph. 1. Signati estis Spiritu promissionis. id est, promisso Spiritu S. Sic etiam dicitur *Promissio uitæ*, pro uita promissa: 2. Timoth. 1. *Filij promissionis*, id est, ad quos pertinent promissiones, quiq; eas credunt & accipiunt. Sed tamen, si propriissimè exponere uelis, significat, eos qui per diuinam promissionem ex gentilib. filij Abrahamæ facti sunt. Sicut & Isaacus ei, deficientibus iam ipsius & Saræ naturalibus uiribus, per gratiã Dei promissionemq; contigit. Contrã *Carnis filij* uocantur Iudæi, quos naturalibus carnis uiribus procreauit. Roman. 9. Hoc est, nõ filij carnis (Abrahæ,) filij Dei, sed filij promissionis cõputantur in semen, aut posteritatẽ. Gal. 4. Nos igitur, fratres, secundũ Isaac filij promissionis sumus. Quomodo aut̃ ista promissionis generatio fiat, exponit Paulus Rõ. 4. Ut esset pater omnium credentium in præputio, &c. ijs qui incedunt uestigijs fidei Abrahamæ, &c. sed etiã semini quod est ex fide Abraham, qui est pater omnium nostrum. id est, qui perinde credunt, sicut Abraham ipse. *Cõfirmare promissiones*: pro, implere. Rõ. 20. 15. Dico Iesum Christũ fuisse ministrũ circumcisionis pro ueritate Dei, ut confirmaret promissiones patrum. Id est, ut promissiones patrib. factas de mittendo redẽptore, re ipsa eorũ posteris Iudæis seu circũcisis præstaret. Hæc enim promissionis optima ac solidissima confirmatio est, cũ re ipsa præstatur. Omnes promissiones Dei in ipso sunt Etiam & Amen, 2. Cor. 1. id est, certæ ac ratæ, immobilesq;. Hoc est mandatum primũ in promissione. Eph. 6. id est, habens promissionem: nempe quartũ, de honorandis parentibus. In significat ibi cũ, sicut in ea præpositione suprã dixi: uel etiã dicas, quod ea præpositio alteri substantiuo alterum adglutinat sicut adiectiuum, ut idem sit ac Est primũ mandatũ promissiuum. De qua constructione in Nominib. 2. Petr. 3. Vbi est promissio aduentus eius. id est, an non irrita & falsa est facta promissio Christi de eius extremo aduentu & iudicio? **PROMISSVM**: pro, res promissa, aut bonũ promissum. Luc. 24. Mittam promissum patris. Rom. 9. Quorum sunt, obsequiũ & promissa. in Græco est, Cultus & promissiones. 2. Pet. 1. Maxima & preciosa promissa nobis sunt donata, ut diuinæ naturæ participes efficieremur. id est, promissa bona.

PROPAGINES, per metaphorã significant interdũ instauratiõem status ac rerũ alicuius, post aliquã grauem cladem. Nahum 2. Euacuauerũt nos euacuatores, & propagines eorũ corruerunt. id est, hostes corruerunt illos quasi novos palmites, seu recuperatiõem pristinarum fortunarum, aut potentiæ prioris, qua denuo reflorescere conabantur.

PROPHETA primũ ac cõmunissimè in Sacris significat doctorem, diuinitus ac immediatè uocatum, qui non tantum Sacras literas populo exposuit: sed etiam futura aliqua, præsertim de Meschia & alijs uenturis siue pœnis siue liberationibus præuidit & prædixit. Sic passim uocantur tũ ij prophetæ quorũ libri extant: tum & alij quorum aut interierunt, aut etiam nulli conscripti fuere. Sic etiã in Nouo testamento Agabus propheta fuit. Tales fuerũt etiam mulieres aliqua, non tantũ in Veteri testamento, sed & in Nouo: ut Anna prophetissa, & quatuor filia Philippi, Luc. 2. Act. 21. Idem sunt uocati etiã Videntes: ut 1. Sam. 9 ostẽditur, Videntis nomen esse uetustius quàm prophetæ. Dicti sunt Speculatores, item uigiles & pastores, ac denique etiã uiri Dei. Aliqui etiam Angelos Dei eos uocari in Iudicibus & alibi iudicant. Secundò significat interdum eorũ libros, sicut Christus ipse inquit: Habet Moyses & prophetas, illos audiant. Si illis non credunt, &c. Non ueni soluere legem aut prophetas. Hæc est lex & prophetæ. Ab istis duobus mādatis tota lex & prophetæ pendent. Tertiò: Propheta aliquando simpliciter

doctorem significat, ut Christus dicit: Non est propheta in honore alibi, quàm in patria. Sic 1. Cor. 14. Potestis enim sigillatim omnes pphetare: Prophetæ duo aut tres loquantur, & alij dijudicent: Malim uos prophetare: Orate ut prophetetis. Exponit aut̃ Paulus ibi, quid sit prophetare, inquit: Qui prophetat, hominibus loquitur ædificatiõem, adhortatiõem, & consolatiõem. Gẽ. 20 dicit Deus de Abrahamo ad Abimelech: Orabit pro te, quia propheta est. ubi fortè tantum uerum ac sincerũ doctorem eum Deus appellat. Quartò, Deus Exod. 7, dicit Aaronẽ esse prophetã Moysi, & Moysen ei fore deum: ubi propheta idẽ quod interpret uidetur sonare, qui alterius coram adstantis mentẽ sententiãq; alicui exponit. Tametsi possis hanc quasi catachresin huius uocis ad primã significatiõem referre. Fuit enim Aaron ibi quasi metaphoricus quidã propheta, aut repræsens propheta: sicut & Moyses imaginarius quidã deus, aut Deum præ se ferens, ut suprã exposui in uoce Prodigij. Quintò, propheta & prophetare aliquando significat celebrare Deũ, canendo, psallendo, aut alio qui. 1. Sam. 10. Obuiũ habebis cœtũ prophetarũ descendentiũ de excelso, & ante eos lyra & tympanũ, tibia & cithara & ipsi prophetantes: id est, laudantes Deũ. Sic 1. Par. 15. Asaph Neiman & Iedothũ, qui prophetabant in psalterijs, in citharis, & in cymbalis, pro cantantes laudes Dei ad citharas. 1. Reg. 18. Cũ transisset meridies, & prophetassent usq; quò offerrent sacrificiũ. id est, cũ Baalitici sacerdotes tam diu suũ Deũ celebrassent & inuocassent. Sic 1. Par. 15, Chonenias dicitur præfuisse prophetæ, quia intelligens erat. id est, rexit illam scholã, & chorũ musicũ psallentiũ Deo. Sextò, prophetare significat aliquando desipere, & emota mente aliena loqui, qui usus huius uocis in de uenit quasi iudicat mundus de ueris doctoribus: & reuera aliquando prophetæ in extasi rapti, aut uisionibus perturbati, habebãt aliquos peregrinos gestus, ac motus, & sermones à cõmuni more uel consuetudine alienos. Quare principes Israelitæ dicunt ad Iehu: Quid uenit ad te iste furiosus? Sic igitur usurpatur hoc uerbum 1. Sam. 18. Prophetabat Saul, quando arripiebat eum spiritus malus. id est, desipiebat, & absurda aliqua garriebat, sicut carnales homines putãt ueros prophetas desipere. Filij prophetarũ fuerunt discipuli eorũ, qualiũ fit mentio in uita & rebus gestis Heliq; & Helisei, in 1. & 2. Reg. Omnino tales nihil aliud fuerunt, quàm concionatores & studiosi Theologiæ. Tales Achab persecutus est, & cõtrã Obadias eius præfectus prætorij clam centũ conseruauit & aluit: 1. Reg. 18. Verũm Act. 2, filij prophetarũ & Testamenti dicuntur Israelitæ, quia illis erant datæ prophetiæ ac promissiones de uenturo Meschia, eiusq; bonis Eph. 4 cõiungit Prophetas Apostolis, affirmans Christũ ascendisse in cœlũ, & dedisse Ecclesiæ alios quidẽ Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Doctores: quos exactissimè discernere nunc nõ faciliẽ fuerit postquã illa mirabilis uarietas donorum primitiæ Ecclesiæ magna ex parte diminuta est. Sentiunt tamẽ pleriq;, intelligi ibi hac uoce summos & eximios doctores, cæteris cognitione rerum sacrarũ & prudentia excellentiores, quorũ aliqui etiam dono prophetiæ instructi sunt. Sicut nostro tẽpore Lutherus multa futura prædixit: inter quæ etiã illud eximium, se uiuo Papam, eiusq; sectatores nihil armis profecturos esse, sed mox se mortuo maximas turbas datos esse. Qualis & illa concilij pictura est, cuius Sleidanus mentionẽ facit, quã Lutherus paulo ante mortem sculpi, ediq; curauit. Septimò, prophetare est futura prædicere. Matt. 11. Lex & prophetæ usq; ad Ioannẽ prophetarũ. id est, futura prædixerũt. Sic Luc. 1, Zacharias dicitur prophetasse, cum futura de suo puerulo Domini præcursore prædixit. Ioã. 11. Hoc aut̃ nõ à semetipso dixit,

xit, sed cū esset pōtifex eius anni, prophetauit quōd Iesus esset moriturus pro ea gente. Nec futura tantū p̄dicere est prophetare, sed p̄terita ac p̄sentia humana scientiā ac industrię impossibilia cognitu. Sic Moses prophetauit de creatione aliis hominib. ignota. & Simon Pharisæus inquit: Si hic homo esset propheta, sciret quōd hæc mulier sit peccatrix. Itē, Et milites cædētes testā faciē Christi, dicebāt, Propheta quis te percussit: indicātes, id quoq; esse prophetici spiritus. O. Et auō, prophetare significat simpliciter de Deo piē sapiētēq; loqui. Num. 11. Quis det mihi ut totus iste populus prophetet? Sic Ioel 2. & Act. 2. Filij uestri & filia uestra prophetabūt. Deniq; *Prophetare* etiā pro falsa rerū futurarū uaticinatione & falsa doctrina ponitur. Ier. 5. Prophetæ prophetant mendaciū. Postremō, Christus quoq; dicitur propheta, sed nō sine articulo aut p̄nomine demonstratiuo Ille. Ioā. 1. Tūc es ille propheta, scilicet per excellentiā sic dictus: ille nēpe eximius, singularis, ac summus propheta, toties p̄dictus & promissus. Sic & Deut. 18 dicitur, Suscitabit tibi Deus illū prophetā de gente tua: Quicumq; igitur nō audierit eū, eradicabitur. Amos cap. 7. negat se esse prophetam, aut filiū prophetæ. id est, nō professione talem, nec à iuuentute se uacasse studio prophetiæ aut theologiæ, sed fuisse bubulcū, & contra suā uoluntatē à Domino ad hoc munus raptū. Baptista etiā negat se esse ullū eximium prophetā: aut certē nō talem prophetam quales olim fuerunt, qui post longa tempora Meschiā uenturū p̄dixerunt. Sed fuit (teste Christo) plusquā prophetā: quia p̄sentem agnum Dei corām digito monstrauit, cum prophetæ tantum futuris temporib. eum uenturū aliquanto obscurius p̄dixerint. Ad Titum primo uocatur Epimenides propheta Cretensium: credo ea significatione, ac si nominatus esset illorū magister. Scribit nihilominus Laertius Diogenes, eum à Cretensib. ut deum cultum, ob futurarum rerum p̄scientiam: quin & quasdam eius prophetias aut futurarum rerum p̄dictiones recenset. Cicero quoque lib. 1. de Diuinatione, inter illos eum numerat qui per furorem sunt futura uaticinati: alioqui etiam communi nomine Poetæ dicuntur uates. Prophetare in nomine Christi, Mat. 7. est ipsum p̄dicare, aut etiam ipso mandante, & Spiritu suo impellente.

PROPHETIA in manu alicuius dicitur, cum per eum fit, aut patefit. Malac. 11. Prophetia uerbi Iehoua in manu Malachiæ, ad Israelē. id est, quam Deus per Malachiā ad Israelē est locutus. Leuare cōtra aliquē prophetiam, est, de eo aliquid mali p̄dicere. 2. Reg. 9. Cū Iehoua leuauit aduersum eū prophetiā hanc, id est, p̄dixit ei hæc tristes pœnas, quib. iam Achab. punitur. De cōsuetudinib. prophetarum, & natura prophetiæ, in Vniuersalib. Regulis disseram: hic pauca tantū ex alio quodam adscribam. *Prophetarum mos*. Prophetæ & uerbis & factis aliquādo utuntur. Zach. 11. Et dixit Dominus ad me, &c. Propheta sicut per uisionē uidebat sibi p̄cipi ea quæ ibi dicit, ita & opere implere p̄ceptū sibi uidebatur. Non est enim necessariū asserere, ut dicamus, ipsum sic abiēcisse acceptā pecuniā: sed satis est, quōd prophetę in uisione sic uidebatur. Id genus figurarum & apud alios prophetas est inuenire: ut cum Iaias nudus incedit, ac noluit eū quopiā pugnare: etiā si hoc corā sacerdotib. obediens egerit. Nō uideo uerō quæ necessitas urgeat. Itē nōnunquam per unum hominem totum regnum cum successorib. significant. Sic nō est ille mos rarus Prophetarum, ut parabolas corām repræsentent, & uelut operibus euentum demonstrēt: ut Ezech. 12, & Ieremias confringendo ollam in Tophet. Prophetis & hoc familiare est: Primū generaliter omnes damnare: dein de uerō rursus erigere pios, & cōsolari. Sic Petrus inquit, Iudicium incipit à domo Dei: 70

1. Pet. 4. & Romanorum primo. Reuelauit iram Dei su per omnem impietatem. Isaia primo, cap. Omne caput languidum, & cor omne mœrens. Genes. 6, Cuncta cogitatio cordis humani, &c. Et, Videns Deus quod multa esset malicia. Et deinde: Omnis caro corruerat uiam suā. Et postea dicit: Noe uerō erat perfectus, &c. Noe gratiam inuenit, &c. Propheticus quoque mos est, sicut & Apostolicus (ut in Actis 20. Cap.) certō futurum propter promissionem Dei p̄senter & indubitatō, non rarō etiam in p̄terito tempore inculcare, ut p̄sentem necessitatem leniant futuræ fœlicitatis spe fideles. Ita & Lucæ 21. Cum uideritis hæc fieri, attollite capita uestra. Sic & Isa. 51, Ecce tuli de manu tua calicē soporis, fundum calicis indignationis meæ: non adicies ut bibas illum ulterō, &c. Similiter Micheæ 4, narrata destructione ciuitatis Hierusalem, consolatur eos capite eodem, dicens: Tu turris Eder, propugnaculum filia Sion, usq; ad te ueniet dies. id est, tēpus aderit, ut ædificentur maceriæ tuæ Hierusalem, & interrupta (ut Amos ultimo cap.) instaurentur. Sic & 4 & 5 consolatur quoq; Vatum item sacrorum consuetudo est, ut per unum hominē totum regnum cum successoribus significant: ut Danielis 7. cap. Et Iohannes in sua Canonica, nomine Antichristi totum regnum, omnesq; successores intelligit.

PROPINQVVS, crebrō cognatum, aut consanguineum, aut affinem etiam significat: cuius significationis innumera exempla sunt, p̄sertim in posterioribus tribus libris Moyfi, quæ ob multitudinem citare non est opus. Illud tantum in hac significatione obseruetur, quod more Hebræo nonnunquam positius p̄ superlatiuo ponitur, propinquus pro proximo. Nume. uigesimo septimo. Tunc dabis hæreditatem eius propinquo eius, qui est propinquus illi de familia eius. id est, proximo consanguineo. Ruth. 3. Si propinquus tuus esse uoluerit, bene est, sit propinquus. id est, si uolet uti iure, quōd proximus cōsanguineus tui mariti tenetur te ducere, utatur sanē, ac fruatur hoc iure. P̄cedens ponitur pro suo consequente: esse propinquus, pro uti eo iure, aut p̄stare quæ propinquum decent. Ad propinquitatem carnis suę non accedere, Leuit. 18, est incestum, nō patrare. *Verba alicuius esse propinqua alteri*, significat, grata & accepta esse. primo Regū octauo: Sint uerba hæc mea, quibus deprecatus sum Iehouam, propinqua Iehouę. id est, sit ei grata & accepta mea precatio: exaudiat me, & p̄stet quod petij. Psalmo trigesimo quarto: Propinquus est Iehoua contritis corde, & attritis spiritu seruat. id est, propitius, fauens, ac p̄sens opitulator. Sic igitur hic dicitur Deus alicui p̄pinquus, sicut Latini dicunt aliquem alicui adesse, adistere, p̄sto esse. Sumpta autem est locutio à reb. humanis: quia qui uult alteri opem ferre, eum oportet illi adesse, & ueluti ad eum accurrere. Contraria significatio & locutio est, cum Deus dicitur stare à longē. Dic sapientiæ, soror mea tu es: & propinquam uoca intelligentiam: Prouerbiorum septimo. id est, dilige & adijunge tibi sapientiam ac intelligentiam, perinde ut dilectissimam sororem. Deus de propinquo: Hieremiæ uigesimo tertio, significat nouum Deum, quasi subintelligas tempus: ut sit plena locutio, Deus de propinquo tempore. Nunquid Deus de propinquo ego sum, & non Deus de longinquo? id est, Deus proximo primū tempore exortus, nominatus & cognitus: ut in falsis religionibus subinde noui dij, idola & cultus exoriuntur. De uoce *Proximus*, quæ huic cognata est, infra dicitur. Romanorum decimotertio inquit Paulus: Tempus est nos iam de somno surgere, nunc enim propior est nobis salus quā cum credidimus. id est, subinde magis tum doctrina illustratur, tum religio latius spargitur, tum experientia p̄sentia diuinæ ac rerum

rerum spiritualium nobis augetur, tum deniq; etiam alia dona crescunt & augentur: eo que, quamuis & initio cum credidimus certa nobis fuit salus, tamen nunc omnia nobis ueluti clariora ac certiora sunt. Sic mox ibidem est, Dies appropinquauit: id est, lux religionis tum in toto mundo latius spargitur, eiusque certitudo magis agnoscitur: tum & in nobis lumen Spiritus sancti crescit, ut tanto magis debeamus ueræ pietati & bonis operibus incumbere. Ephes. secundo: Vos, qui olim eratis procul, nunc facti estis propinqui. id est, ut ipse exponit: qui eratis hostes Dei, nunc estis domestici, amici, atque adeo filij.

PROFITIOR, & PROFITIVS. PROFITIVS est is qui fauet alicui, amat eum, benignus ac beneficus ei est. Inde uerbum *Propitiare* alicquem, pro placare, reddere propitium ac fauentem. Quo tamen uerbo Vulgata uersio in actiua uoce rarius utitur, sed usurpat pro eo uerbum *Expio*, de quo dixi suo loco. Porro in passiuo, *Propitiari nobis Deum*, crebrum est in Vulgata uersione. Significat autem placari, reconciliari. Quia porro peccata, ut Isaias testatur, separant nos à Deo, nobisque Deum iratum efficiunt, & pœnas eius temporarias ac æternas accersunt: ideo necesse est esse aliquid, quo nobis offensum Deum propitiemus, aut propitium fauentemque expiatis nostris peccatis reddamus, placemus, & reconciliemus. Id olim in Veteri testamento putabatur facere illa multiplicia sacrificia, pro peccato oblata. Deuteronom. uigesimo primo: Propitius esto, uel propitiare populo tuo Israel, quem redemisti Domine, & ne des sanguinem innocentem in medio populi tui. id est, ne imputes illi, sed condones ei. Idem bis dicit, Deum propitiari alicui, & non imputare ei peccatum. Sic Leuitici uigesimo tertio: Dies propitiationum est, ad propitiandum super uobis coram Deo uestro. id est, est tempus, quo Deus uera pœnitentia ac sacrificiis propitiandus est. Sic in fine secundi Samuelis, & primo Regum octauo, ac sapientissime aliàs hæc locutio usurpatur. In Hebræo sunt plura uerba *כַּפָּרָה* Caphar, *רַצוֹן* Raza, *אָתָר* athar, *סֶלַח* Salach, & alia. Quare etiam in sancto sanctorum aut intimo adyto erat super altare aureum arca aurea, & super arcam tegmen aureum, cui superinsistebant duo cherubini: ante illud in exteriori tabernaculi parte quotidie sacrificabat sacerdos pro peccatis: sed ad intimum altare semel tantum in anno propitiandi aut placandi Dei gratia intrabat, ut testatur Epistola ad Hebræos capite nono. Verum illa omnia erant umbræ, typi, ac picturæ rerum uenturarum & meliorum, nempe Meschiæ, qui solus unico sacrificio passionis, postea totius mundi peccata expiauit, & Deum nobis propitium effecit. Illum significauit illud aureum operculum, *Propitiatorium* uocatum, in quo Deus se habitaturum, & inuocantes exauditurum promissit. In illo enim dilecto & nos Deus diligit nobisque propitius est. Ille tegit Ecclesiã, sicut illa aurea tabella arcam: & abscondit à facie superhabitantis Dei, Decalogum infra positum, ne secundum eum intret in iudicium nobiscum, nostrasque iniquitates obseruet. Quare Paulus dicit Romanorum tertio, Deum proposuisse nobis illum, ut esset nostrum propitiatorium, in suo sanguine. id est, ea res aut uictima, qua Deus nobis fieret propitius & placatus. Sic & Iohannes primæ capite secundo dicit Christum esse *ἱλασµὸν*, propitiationem pro nostris & totius mundi peccatis: id est, id quod expiat nostra peccata, & Deum propter illa nobis infensum placat, redditque propitium ac fauentem. Sic mox quarto ait: Deus misit filium suum propitiatorium pro peccatis nostris. Dicit uetus uersio aliquoties, Deum propitiari peccatis nostris, Psalmo 25. 65. 103. Ieremiæ decimo octauo, & trigesimo primo: sed in Hebræo est poti-

us, Deum condonare nostra peccata. Deus enim nobis peccatoribus proprie, non peccatis, est aut sit propitius. Dies chipurim *expiationum* aut propitiationis, erat quoddam Iudæorum festum decimo septimi mensis die, in quo ieiuniis & aliis modis sese afflictabant, in signum internæ pœnitentiæ de suis peccatis: qui ideo sic uocabantur, quia tunc solenni quadam publica que pœnitentia sua peccata expiare, & Deum placare conabantur. Vicina expiationi aut propitiationi Christi est illa locutio, cum impius dicitur piaculum aut expiatio pij: id est, cum Deus suam iram pœnasque à pijs auertit in impios. Prouerbiorum uigesimo primo, Piaculum est pro iusto improbus. id est, lustramentum, aut purgamentum: sicut si pater auertens à filio iram canem uerberet, in eum iram suam exonerans. Sic & Isaias quadragesimo tertio: Dedi propitiationem aut piaculum Ægyptum, Æthiopiã & Seba pro te. Sic Psaltes orat Psalmo septuagesimo nono, ut Deus auertat iram suam ab Israele, eamque effundat super gentes quæ non nouerunt eum, & super regna quæ non inuocant eum. Sic etiam Deus tum peccata aut iniusticiam nostram, tum & suam iram à nobis in filium auertit, eaque in eum incurrere fecit, illumque propter ea percussit, & uicissim iusticiam filij ab eo in nos transtulit. Conuenire uidetur etiam hæc res & uox cum illis Paulinis, *ἱλασµα* & *πρόσιμια*. Primæ Corinthiorum quarto, ut quidam eas exponunt: quasi dicat Paulus, se aliosque Apostolos esse piacula, lustramenta, & purgamenta, & quasi sentinas omnium peccatorum, qui mundum inquinare sic ferantur: & contra, expiare ac lustrare, si crudelissime interficerentur, uideantur: ueluti si quis uas, in quod stercorea congeruntur, non maturè exporet. Inueni propitiationem, Iob trigesimo tertio, potest significare quod Deus dicat, se accipere propitiationem eius, quem tam grauer afflixerat: uel quod reperit rationem, eum per afflictionem in uitam reuocandi, & seruandi ab extremo interitu.

PROPOSITVM, est certa animi cogitatio, ac ueluti decretum, ad quod in singulis partibus, actionibus, aut etiam tota uita in agendo, consultando & conando contendimus. Bonum propositum dicimus, cum bonum & laudabilem finem nobis in agendo proponimus, aut certè nos talem esse opinamur: malum uerò, contra. Tribuitur autem propositum in Sacris literis, tum homini, tum Deo. Homini, ut cum Paulus secundæ Timothei tertio inquit: Tu affectatus es nostrum propositum: id est, scopum aut intentionem mentis, quam etiam proæresin aut electionem uocare queas. De Dei proposito inquit Paulus Ephes. primo: Prædestinati sumus secundum propositum omnia agentis Dei, secundum consilium uoluntatis eius. Vbi idem uidetur Apostolus dicere propositum Dei, quod consilium uoluntatis eius. Hoc uerò differt propositum Dei ab humano, quod nostrum propositum pendet plerunque ex rerum ipsarum natura, aut omnino externa causa: ideo enim alicui bene cupimus, aut etiam benefacere conamur, quia bonum esse uirum, aut nobis amicum utilem ue iudicamus. At propositi diuini causa est interna eius libera uoluntas, ac incomprehensibilis nobis sapientia & bonitas. Quare plerunque ideo à Paulo Dei propositum inculcatur, ut celebretur eius gratuita misericordia, & omnia nostra merita excludantur. Ideo etiã secundæ Timothæi primo inquit: Deus seruauit nos, & uocauit uocatione sancta, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratia, quæ data est nobis in Christo IESU. Sic & Romanorum nono: Nondum enim natis pueris, cum neque bonialiquid fecissent, neque mali, ut propositum Dei, quod est secundum electionem, maneret, non ex operibus, sed ex uocante, dictum est ei, (matri Rebeccæ) Maior seruiet

feriet minori. ubi propositum Dei opponitur meritis ac operibus nostris. Sic Romanorum octavo ait Paulus: Scimus, quod diligētibus Deum omnia cooperentur in bonum, ijs qui secundum propositum eius uocati sunt. Sed adscribam etiam alterius cuiusdam explicationem, huius tam magni momenti uocis. *Propositum* solet uocare Paulus, quod Deus ab æterno apud se pro bona sua uoluntate constituit: ut id planè sit, quod dicitur *ἡ προσηγορία τοῦ θεοῦ*. Actorum secundo definitum consilium, & *ἐπιθυμία τοῦ θεοῦ*, ἢ *ἡ προσηγορία τοῦ θεοῦ*. Beneplacitum Dei quod proposuit in seipso. Et *βουλή τοῦ θεοῦ* & *τοῦ θεοῦ*, consiliū uoluntatis Dei: Ephes. primo & undecimo. Itaque grauissimè hallucinantur, & Apostoli sententiæ repugnant ex diametro, qui bonū hominis propositum præuisum intelligunt: quasi quicquam boni in nobis sit, quod præuidere possit Deus, nisi prius proposuerit illud nobis inserere: quasi denique Paulus ubique Dei propositum non opponat hominum operibus, ut secundæ Timoth. primo. Et tamē ita ludunt Græci Theologi, quorum dux & princeps est Origenes, in hoc loco & alijs similibus peruertēdis. Hęc ille. Aæt undecimo, Discipuli proposuerūt aliquid mittere in ministerium habitantibus in Hierusalem. id est, decreuerunt. **PROPONERE** quoque nonnūquam ualde emphaticam significationem habet. significat enim non tantum publicè aliquid ponere, sed etiā quasi cum quodam certo ac firmo decreto aut sententiā, quod uolumus, ab omnibus magnifieri, & ueluti obseruari. Sic dicit Paulus Romanorum tertio, **IESVM** esse à Deo propositum propitiatorium. Quasi diceret: Deus hūc **IESVM** publicè, & cum graui, certo, immotoque decreto orbi terrarum proposuit, seuerissimeque mādauit. ut omnes eum pro suo unico propitiatorio, aut medio rationeque placādi Deum agnoscerent, accipiant & obseruent, eoque utantur. Actorum quarto dicitur, nomen **IESV** esse datum, in quō omnes oporteat seruari. Iohannes primæ tertio capite dicit, eū esse missum à Deo propitiatoriū, seu ut esset nostrum propitiatorium. Sic Ioannis sexto dicit Christus, se à patre in hoc obsignatum esse, ut det hominibus panem uitæ æternæ. Ab hac significatione uenit etiam uox in Scholis nota *propositio*: qua uocamus sententias publicè omnibus cognoscendas, & accipiendas, positas aut assertas. Quo uocabulo utitur Vulgata uersio etiā Psalmo quadagesimonono, & septuagesimo octauo, pro certa ac immota, omnibusque modis amplectenda doctrina. Aperiam in parabola os meum, & proferam sententias antiquas. In Hebræo est uox *חיד* Chid, quæ solet crebrò significare ænigma. Sic Christus dicitur proposuisse parabolas: & Paulus primæ Timoth. quarto, Hęc proponens fratribus. id est, talia eos docens. *Panes propositionis*, habet Vulgata Exodi uigesimo quinto, Leuit. uigesimo primo, & Numer. quarto: ubi etiam describuntur. Sic in Nouo testamento Matthæi duodecimo, & Lucæ sexto. Sed in Hebræo est, *Panes facierum*. Dicti autem sunt ita, quia ueluti ante faciem Dei ponebantur. *Propositionis* autem forte ideo sunt nominati, quod in mensa in tabernaculo publicè ponebantur.

PROPRIVS, & *Proprium*, etiā apud Latinos habet aliquā aliquid reconditi: ut cū ponitur pro firmo ac certo, certo & stabili. ut Virgilius: *Propriamq; dicabo*: & Terentius, *Deorum uoluptates sunt propriae*. & Hoc gaudium sit mihi *proprium*: id est, firmum, ratum, & nulla nube doloris ac meroris conspurcatum. Sed in Sacris literis habet etiam aliam quandam uim: perinde ferè ac si in superlatiuo diceremus, *Propriissima*, aut prorsus *ppria*. Ioann. primo: In propria uenit, & sui eum non receperunt. Omnia quidem sunt Christi propria: sed tamen *Isracliticus* populus erat ei adhuc magis proprius, &

quasi propriissimus. Sic Ioan. octauo dicit Christus, diabolum, cum mentiatur, loqui ex propriis: Idq; mox exponit addens: Quia mendax est, & pater mendacij. quasi diceret Dominus: Hęc est diaboli propriissima natura aut indoles, ut mentiatur. Sic ferè etiā Dialectici suum *proprium* nominant, quod quarto modo dictum appellant: quando aliquid uni soli, toti, & semper conuenit. Tale uult esse *proprium* diaboli Christus: sicut contrā de Deo dicit, Solus Deus est bonus. Sic Christus dicit Ioan. decimo sexto: Venit hora, cum singuli dispergemini in propria, id est, in uestra intima latibula uos abdetis, quō quisque rectissimè ac commo- dissimè poterit, non significat ibi, in suas proprias possessiones, aut domos. Vnusquisque propriam mercedem accipiet: primæ Corinthiorum tertio. id est, sibi maximè cōuenientem, sibi que soli iustissimè debitam. Secundæ Corinthiorum quinto, Ut unusquisque recipiat propria corporis: in Græco est, *Quæ per corpus, aut in corpore*. *Propria interpretatio*. Secundæ Petri primo: Hoc primum scientes, quod nulla prophetia fiat propriæ interpretationis. Erasmus, *Priuatæ*. Vocat uerò Petrus propriam interpretationem, eam quæ unicuique è suo cerebro nata sit, aut quam ille ex suo (ut uulgo dicitur) *gudiduncken*, aut *gudidunckel* depro- mit. Quare monet, ut si utiliter uelint propheticum sermonem legere aut audire, Spiritus sancti illuminationem petant: quia sicut prophetia sit primum à Spiritu sancto per os hominum mundo allata, ita etiam per eum demum salutariter tractetur & intelligatur. Hoc est quod & Christus dicit: Spiritus suggeret quæ dixi, & ducet uos in omnem ueritatem. Non ergo hic priuatè hominibus adimitur intellectus Prophetiæ, qui & ipsi debent esse oues uocem Christi agnoscentes, intelligentes & sequentes: nec ad solos mitratos, uel etiam ad totam Ecclesiam ea cognitio alligatur. Deus enim plerunque aliquibus singulis, & tæpe etiam priuatis, sua dona largitur, & sua mysteria patefacit.

PROPTER. Vide in **PER**, & **PRO**.

PROSELYTVS, Græca uox *προσβλυτης*, idem est quod aduenticius. Significat autem eos gentiles, qui reiecto gentilismo, Iudaicam religionem erant amplexi, siue habitarent in Iudaico populo, siue adhuc huc loco inter gentiles. Idem ferè significat Hebraicè *גר* peregrinus: nisi quod peregrini ij dicebantur, qui iam habitabant inter Iudæos, quiq; & religionem & locum mutauerant.

PROTEGO & **PROTECTOR**, notæ uoces sunt, defensionem ab iniurijs significant: sicut testum protegit domum contra imbres, niues, & grandinē. Valde usitatum alioqui est in Sacris literis.

PROVERBIVM, est dictum aliquod sententiosum, tritum, & aliquid obscuritatis aut tropi continēs. Sæpe tamen simpliciter sententiam ualde celebrem significat. Hęc est uis huius uocis, & ei æquivalentium etiam in Latina lingua, & in alijs omnibus. Hebræi uocant *משל* Maschal, quod tum similitudinem sonat, quia proueria crebrò solent habere metaphorica uerba, aut alioqui ad aliquid aliud alludere: tum etiam dominium, quod proueria sunt sententiæ dominantes celebres. Sicut & Græci certas authenticas, & primarias, & quasi uitæ normas cōtinentes sententias uocāt *ἡ παραγορεύουσας* dominas sententias. primo Samuelis uigesimo quarto: Sicut dicit prouerbiū uetus, Ab impijs proficiscitur impietas. id est, malorum est propriū mala patrare. Ostendit Scriptura fuisse tritam sententiā, quam Christus exprimit illo uenustiore: Malus homo de malo thesauro cordis mala profert. *Dare aliquem, aut fieri uel esse aliquem in prouerbiū & parabolam, aut in prouerbiū & fabulam*, seu etiam maledictionem, est, eum

eum ita ignominiosam afflictumque fieri, ut homines derideant eum, insultentque ei: sicut solet fieri, ut cum calamitate etiam contemptus ac derisio & insultatio hominum ueniat: præterea ut passim de eo in malam partem loquantur: ac denique, ut multi eius exemplo moueantur, aliis que eius exemplum ostentent. Sicut Latini dicunt, *Stauere in aliquo exemplum*, & Terentius inquit, Exemplum omnibus curarem ut esses. Sic Ieremias quibusdam prophetis in Babylone triste supplicium ignis minatur, quo sit eos rex affecturus, ita ut omnes dicitent uel malè precando, Accidat tibi sicut illis: uel iurando ita, Non sic malè peream, sicut illi duo, &c. Vtiter uerò Deus prædicta locutione, quoties suo populo tristissimas pœnas minatur. Deuteronomij uigesimo octauo. primo Regum nono: Domus ista erit in prouerbium & fabulam. secundo Paralipomen. septimo. id est, omnes loquentur de ruina istius templi, & impij ei insultabunt. Sic Iob inquit capite decimo septimo & trigesimo, Factus sum in prouerbium. Ieremiæ uigesimo quarto plenius ista locutio & tota res legitur: Dabo Zedekiam regem, & principes eius, ac reliquam populum in commotionem, & in malum omnibus regnis terræ. id est, opprobrium: & in parabolam, seu fabulam & maledictionem in omnibus locis, ad quæ eiecero eos, mittamque in eos gladium, &c. Ezechielis duodecimo: Quod est istud prouerbium in terra Israel dicentis, Protrahuntur dies, & peribit uisio? Vbi illud simplex quidem, sed nimis crebrò ab impijs iactatum dictum, uocat prouerbium. Ioan. decimo sexto: Hæc per proueria locutus sum uobis. uenit tempus, cum non per proueria loquar uobiscum, sed apertè de patre meo renuntiabo uobis. Vbi suum quidem præsentem sermonem prouerbiale esse dicit: eum uerò qui postea sequetur, negat talem fore. Quod magis ratione illorum crasitiei & ruditatis, quam ratione suarum concionum dicit, indicans eos iam quidem esse rudes, omniaque sua dicta illis obscura esse, & mera ænigmata uideri: sed postea accepto Spiritu sancto fore intelligentiores, ut eis conciones ipsius sint futuræ apertæ & intelligibiles.

PROUIDERE uerbum habet interdum etiam sua quædam, minusque nota significata in Sacris literis. Primum enim significat aliquid prius à longè, aut etiã futurum cernere, aut prospicere. Secundo, quia quæ prospicimus aut præuidemus, solemus etiam uel uitare, si mala sunt: uel comparare, sequi ac amplecti si bona: hinc est, quòd prouidere significat, aliquid in tempore matureque præparare. Genesis uigesimo secundo: Deus sibi prouidebit uictimam. Genesis trigesimo: Quando prouidebo ego domui meæ. id est, prospiciam de re familiari, ac rebus necessarijs. Sic & Genesis 41. Exod: decimo octauo. Numer. decimo, & sæpissimè aliàs usurpatur. Romanorum duodecimo, & secunda Corinthiorum octauo, Prouidentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. id est, agentes, procurantes. Gal. tertio: Prouidens autem Scriptura. id est, præuidens, procognoscens. Hebræor. primo: Quòd Deus melius quiddam de nobis prouiderat, ne sine nobis consummarentur: id est, nobis meliorem quandã sortem aut cõditionem prospexerat, præparauerat, nempe exhibitionem præsentis Meschiæ, & spiritualium mysteriorum, totiusque ueræ religionis pleniorum cognitionem. Prouidebam Deum coram me semper, quoniam à dextris mihi est, ne commouear. Psalmo decimo sexto, & Actorum secundo: id est, oculis mentis ac fidei meæ coram me eum cernebã: uel potius corã esse. mihiq; adesse, aut opitulari statuebã. Hinc celebre illud nomen *Prouidentia*, qua Deus, aut etiam homines omnia diligenter cognoscunt, disponunt ac ordinant, curant, procurantque. Cuius contra

rium est, omnia temerè ac sine certo rectore, casu uere ac ferri.

PROVOCARE, sæpe in Sacris literis significat irritare. Quare plerunque ei additur, *Ad iram prouocare*, locutio est perspicua. ille tantum unicus locus in fine quinti ad Galat. obseruetur: Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi, alij alios prouocantes, alij alijs inuidentes: id est, nos mutuò offendentes, irritantes ac exacerbantes. Hebræorum decimo: Obseruemus nos inuicem ad prouocationem bonorum operum: id est, ut excitemus nos alieno exemplo ad bene agendum.

PROXIMVS est is nobis, cui diuinis ac humanis legibus, ut eam maximè curemus & iuueamus, obstricti sumus. Sic sumus primum nobismet obligati, ut nos regamus, nostram uitam, corpus & animam rectè foueamus ac curemus, in huius & futuræ uitæ rebus. Vnde grauius peccat, qui in semet peccat, quam qui in alium: qui suam salutem temporariam aut æternam negligit, aut etiam semet interficit, quam qui alium. Secundo loco sunt, parentes, liberi, uxor, &c. Quare etiam Paulus uult, ut unusquisque suos domesticos præcipuè curet: quod qui negligat, sit infideli deterior. Porro autem, quia etiam alium quemuis hominem Dei mandato diligere tenemur ut nosmetipsos: ideo Christus legisperito interroganti Lucæ decimo, quinquanam sit noster proximus? ostendit parabola faucij & Samaritani, omnem hominem ope nostra indigentem (præsertim in extrema necessitate: & ubi non sunt alij qui melius possint, uelint ac debeant ei succurrere) esse nobis proximum, ita ut, si possimus, etiam cum graui nostro incommodo ei succuramus. Vbi nihilominus manet illud discrimen, ut si Samaritanus iuxta illud faucium reperisset patrem, filium, aut uxorem suã, perinde malè affectam, nec posset utrique succurrere, magis sit ei proximus suus pater aut filius, quam ille alter, magisque ei quam alteri succurrere teneatur. Porro uoce *Proximi* multum utitur uetus uersio in Veteri testamento: ubi in Hebræo est plerunque socius, Reha 40 *nyr*. Verum idem sensus aut uis uocis est. Significat autem ei quemuis aliũ hominem. Omnes enim uult Deus esse nobis socios huius uitæ, & cultus diuini. ut Genesis undecimo. Dixit quisque ad proximum suum, Faciamus lateres. Et mox: Ne intelligat uir proximum suum. Exodi secundo: Quare percutis proximum tuum. Exodi uigesimo: Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium: Non concupiscas domum proximi tui. Et mox sequenti: Si quis percusserit proximum suum. Et mox sequenti: Si quis dederit argentum proximo suo: Si quis extenderit manum in rem proximi sui. ibidem, & alibi sæpissimè. Sic etiam accipitur, cum toties charitatis præceptum inculcatur, Dilige proximum tuum sicut teipsum: Matthæi quinto, & decimonono, & uigesimo secundo. Lucæ duodecimo, Romanorum decimo tertio: Qui dilexit proximum, legem impleuit. Non docebit uir proximum suum: Ieremiæ trigesimo primo, & Hebræorũ octauo. Sic: Tu quis es, qui iudicas proximum tuũ? Iacob quarto. id est, quemcunq; alium hominem. Porro cũ in prædicto loco Lucæ quærit uicissim Christus à leguleio, quis nam illorũ triũ uideatur proximus fuisse faucio? & ille respondet, Samaritanũ: nõ negatur, illos alios duos, Sacerdotè nepe & Leuitã perinde fuisse faucij proximos, sed indicatur, hunc solum rectè intellexisse officium proximi, seque uerè ac reipsa præstitisse proximum illi ope ipsius indigenti. q. d. Christus, Quis nam horũ trium se uerè ac reipsa præstitit proximum? Nõ igitur de iure, sed de facto loquitur. De iure omnes tres erant proximi, sed facto ac reipsa, ille solus 70 se talè præstitit. Augustinus libro de Doctrina Christiana,

frana, capite trigesimo, ita definit Proximum: Eum intelligimus proximum esse, cui uel exhibendum est officium misericordiae, si indiget: uel exhibendum esset, si indigeret. Videtur aliquid dicere, & tamen nihil dicit. Omni enim indigenti charitatis officium exhibendum est, quatenus nobis modo possibile est: & omnis homo noster est proximus, praesertim cum nostra ope indiget. Non igitur ostendit Augustinus, quis nam & quatenus nobis sit proximus: sed perinde relinquit auditorem incertum, ut ante fuit.

PRUDENTIA, uirtus continens rerum agendarum cognitionem, non raro in Sacris reperitur tum in singulari tum in plurali numero. Psal. septuagesimo octavo: Daud pauit Israellem iuxta integritatem cordis sui, & ductauit eos in intelligentijs, aut prudentijs manuum suarum. id est, omnia prudenter agendo ac disponendo: sicut & aulici Saulis ei dant testimonium prudentiae, & Saul ipse dicit eum esse astutum.

PRUNAE, ut sunt res ardentes & consumentes, ita per metaphoram plerumque laedentia significant. Zachariae duodecimo: Ponam duces Iehuda tanquam prunas in lignis, & faciem in manipulis, & consument ad dextram ac sinistram populos circa se. Sic & Romanorum duodecimo de re laedente accipitur: de quo loco dixi in uoce **CARBO**. Filij prunae, scintillas significant. Iob quinto: Quemadmodum filij prunae attollunt se ad uolandum. Ponitur etiam Pruna pro unico filio, secundo Samuelis decimo quarto: Extinguent prunam meam quae relicta est. Ratio metaphorae est, quod sicut prunae reconduntur in cinere, ut sint semen ignis: ita etiam ille unicus filius poterat propagare eius familiae posteritatem, ne plane extingueretur.

PRURITVS aurium, per metaphoram significat prauum studium nouae doctrinae & seductorum. Secunde ad Timotheum quarto: Erit tempus, cum sanam doctrinam non tolerabunt: sed auribus prurientes, ipsi sibi pro suis cupiditatibus coaceruabunt doctores. Sicut enim scabie laborantes non possunt conuiescere, sed captant peruersam uoluptatem ex fricatione, unde porro sequitur noxius dolor: sic prauo spiritu laborantes, ac peruersa conscientia, mire desiderant subinde nouos impostores, qui aliqua nouitate aures illis demulceant.

PSALLERE uerbum Graecum, proprie quidem significat, pulsando citharam melodiam excitare. Sed quia olim Israelitae ad pulsam citharae etiam pia aliqua carmina canebant, non tantum in templo, ubi id uel maxime fiebat, sed etiam priuatim: inde factum est, ut pia cantilenae dictae sint Psalms, quas Heb. תהלים Theillim laudes uocant. Inde etiam est quod in libro Psalms sepius uerbum psallere, aut psalmum dicere, significat Deum celebrare. Psalms. 7. 12. & nono. Psallam nomini Domini altissimi. Saepissime hoc uerbum coniungitur cum Cano. Psalms uigesimo primo: Cantabimus & psallamus. Psalms centesimo quinto, & centesimo octavo: Cantate & psallite Domino. Sepe etiam legitur, Psallere Domino in cithara. Psalms uigesimo septimo: Cantabo, & psalmum dicam Domino. Psallam spiritu, psallam & mente: 1. Corinthiorum decimo quarto. id est, ita impulsu aut dono Spiritus psallam, ut simul etiam mens aut sententia mea percipiatur. Ephes. quinto: Psallentes & cantantes in cordibus uestris. id est, Deo gratias agentes, eumque celebrantes ex animo. Vnusquisque uestrum psalmum habet, doctrinam habet, &c. id est, alius aliud habet ad aedificationem utile, aliquis piam cantionem, aliquis doctrinam, &c. Iacobi 5, Leto animo quis est inter uos, psallat. id est, Deum celebret, eiusque gratias agat.

PSEUDO APOSTOLVS, Pseudochristus, Pseudopropheta uoces reperiuntur in Nouo testamento. Signi-

ficant autem falsos apostolos prophetas, aut Christos: uel etiam mendaces apostolos, prophetas, aut Christos.

PVBERTATIS tuae uir & uxor: Iob primo, Malach secundo: Significat coniugem, in prima pubertate aut iuuentute acceptum: inter quos maior amor esse solet, quam inter uiduos, aut in senectute coniunctos. Idem est *Uxor iuuentutum*. In Hebraeo una uox est, uarie a Latinis uersa.

PUBLICANI, erant olim in regno Romano ij, qui uectigalia publica redimebant a Senatu aut Caesaribus. Romanis, data certa pecunia, quae postea illi a subditis magna rapacitate ac iniusticia exigebant, extorquentes multo plus quam illis debebatur: eoque pro iniustissimis & rapacissimis hominibus habebantur. Erant autem plerumque equites Romani, ut ex Cicerone apparet, qui ordinem publicanorum (proculdubio non sine suo lucro) studiosè coluit. Verum habebant uarios famulos, ministros, ac procuratores per prouincias ex illis ipsis gentibus: ut non sit dubium, multos publicanos tempore Christi Iudaeos fuisse, qualis fuit Matthaeus & Zachaeus. Porro *Princeps publicanorum*, Lucae decimonono, est unus ex primarijs illorum. Quia uero ita scelerati erant, coniungitur ista uox crebro cum peccatoribus ac scortis, tanquam cognatam illis speciem denotans: ut Matthaei nono: Cum publicanis & peccatoribus comedit. Matthaei decimo octavo: Sit tibi ut Ethnicus & publicanus. Matthaei uigesimo primo: Publicani & meretrices praeuenient uos in regno caelorum. In Italia, ubi etiam sic uectigalia uendi solent, datarij, quos illi uocant, itidem male audiunt. In Germania non perinde in uitio nomen hoc ponitur: quia uectigalia non uenduntur, sed recta nomine principum exiguntur: eoque illi ministri non perinde habent uel causam uel occasionem homines expilandi & praeterius onerandi.

PVDOR, pro ignominia interdum in Sacris literis ponitur: cum alioqui uerecundiam denotet, & plerumque in bonam partem a Latinis usurpetur. Iob sexto: Pudore cooperti sunt. Psalms septuagesimo primo: Operiantur confusione & pudore. *Pudor faciei* interdum dicitur, quia pudefacti in facie rubent. Danielis nono: Tibi Domine iusticia, nobis autem pudor faciei, uel potius confusio faciei, id est, nos merito pudefieri debemus, ac erubescere. Psalms quadagesimo quarto: Pudor faciei meae operit me. id est, totus in ignominia haereo, quod ipsemet meus uultus de ea erubescens testatur. *Pudore afficere*, aut *pudefacere*, seu *pudefieri aliquem*, id est cum *Confundo*, uel *Erubesco*: & significat ita aliquem contumeliosè tractare, ut eum suimet pudeat, aut certe pudeat quod coram alijs tam ignominiosè tractetur. Ruth 2. Etiam inter ipsos manipulos colligat, nec pudore eam afficiatis. id est, ne acerbe obiurgetis ac repellatis eam. *Pudore affici*, aut *pudefieri*, pro frustrari sua spe, aut laeto sui laboris uel conatus exitu: Psalms 37, Pij non afficientur pudore, aut pudescient in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur. id est, tu eos non desereres in rebus aduersis, nec patieris eorum in te spem frustrari, ut deferti ac in calamitate haerentes sint hominibus ludibrio, ideoque erubescant. Calamitatibus enim plerumque comes ignominia est. Inde fit, ut *Pudesceri* pro incidere in calamitatem denotet. Psalms uigesimo quinto, & trigesimo primo: In te Domine speraui, non pudesciam, &c. Psalms sexagesimo nono: Ne pudore afficiantur, aut pudesciant in me, qui expectant te. ubi scilicet me uiderint a te desertum, cogitabunt, En nos falso praedicamus, Deum nostrum non solere suos deserere: frustra etiam nos speramus in eum, quos forte perinde deseret, ut istum deseruit. Idem ibi mox repetit: Non erubescant in me, qui quaerunt te. In hac significatione saepe dicitur, Qui

Qui crediderit, non confundetur. Item: Qui sperauerit in Dominum, Romanorum notio, & decimo. 1. Petri secundo. Eadem est huius uocis uis, cum pudore asseritur, aut pudescere ab aliqua re dicimur. Psalmo centesimo de cimonono: Ne pudore afficias me ab expectatiōe mea. id est, ne patiare me frustrari mea expectatiōe aut spe, unde sequatur mihi ignominia ac pudor, obijcientibus. Vbi est Deus eorum? Pudore afficientur ab omni fortitudine sua: id est, pudebit eos uirium suarum, unde omnem opem sperabant, quod eis prorsus nihil profuerint. Ieremiæ secundo: Etiam ab Ægypto pudore afficeris, sicut pudore affecta es ab Assur. id est, frustra petes ac quæres auxilium ab Ægyptiis, pudebitque quod omnem spem in eos collocaueris, cum illi nec sibi quidem prodesse, aut se à potentia Chaldæorum defendere possint. Sic & Ezechielis trigesimo secundo dicitur, In terrore suo à fortitudine sua pudescit sunt. id est, dum territant mortales, interim puduit eos uirium. Nam in medio conatu destituti sunt uiribus, ut nec se quidem tueri, nedum alios molestare uerint. Vel in terrore suo: id est, in suo periculo. Aliquis aliquem in quapiam re pudore suffundit. id est, ledit, uiolat. Iudicum decimo octauo: Non erat quisquam qui populum in ulla re pudore suffunderet, aut pudesceret: id est, nullus molestabat Israelitas. Pudescere ergo, lædere declarat. Non solum homines, sed & aliæ res pudescere dicuntur. Psalmo decimo quarto: Consilium pauperis pudescit, quia Dominus est spes eius. id est, conatus pauperum impeditis, & eueritis, cogitantes neminem esse qui eos uindictet, præter Deum, qui uestra opinione nihil possit, nec metuendus sit: uel spernitis eius consilium, quod adeo fidat Deo, in eum se ac sua reijciat. Terra pudoris alicuius, est ea, in qua prius ignominiosus fuit, aut cuius eum pudet. Zoph. tertio: Et ponam eos in laudem, & nomen in terra pudoris eorum. id est, faciam eos gloriosos & celebres in omnibus locis, ubi antea omnibus contemptui & ludibrio fuerunt. Spes non pudescit: ad Romanos cap. quinto. id est, non frustra sperat in Deum, non destituitur ab eo in aduersis, qui suam in nos charitatem tam euidenti indicio donati Spiritus sancti testatam facit. Qui enim aliquid uehementer sperant ac expectant, postea si fallatur sua spe, pudet eos, quod ea frustrati sint, quodque ipsis contraria mala speratis bonis acciderint. Aliquando significat redargui, mendacij conuinci. Redargutionem enim pudescitio comitari solet. Per posterius indicatur præcedens. ut, Si quid amplius de potestate gloriatur, non pudescit. 2. Corinth. 10. id est, non mentiar, nec me quisquam mendacij redarguere poterit, seu uera ac certa dixero. 1. Petri. 3. Vt in eo quod obloquantur uobis, tanquam maleficis, pudescant. id est, re ipsa ac euidenti ueritate redarguantur, & mendaces fuisse conuincantur. Talem enim confutationem ignominia, pudor, & confusio sequi solet. Sic 2. Corinth. septimo: Si quid ei de uobis gloriatus sum, non sum confusus aut pudescit. id est, non sum deprehensus in mendacio, sed uera locutus esse compertus sum. Sic mox nono: Si uenerint mecum Macedones, & reppererint uos imparatos, nos pudescimus. id est, deprehensi in mendacio falsæ gloriatiōis de uobis, erubescamus. Per pudescitioem deprehensio mendacij denotatur. Vide uerbum CONFVNDO.

PVER, *uāc*, Heb. נַרְיָא naar, tria potissimum significata habet. aliās enim significat filium, aliās seruum, seu ministrum cuiuscunque generis: aliās denique puerilem ætatem: nonnunquam etiam imperitum, aut (ut Paulus loquitur) scientiā puerum. Filium significat, ut Isaiæ octauo: Ecce ego, & pueri quos dedit mihi Dominus, in signa & prodigia in Israel. id est, mei filij, quos mihi Deus est largitus. Puer senectutem paruus: Genes. 70

44. id est, in senectute natus. Natus est tibi puer masculus, Ieremiæ uigesimo. id est, filius. In hac significatiōe uidetur usurpare Christus hanc uocem, cum Ioannis uigesimo primo inquit: Pueri, habetis ne aliquid obsonij: quasi blandiendo diceret, Filioli. Seruum porro significat uox Puer, Isaiæ trigesimo septimo: Noli timere propter uerba ista, quibus me blasphemauerunt pueri regis Assur: Genesis decimo quarto: Et armauit pueros suos, & pueros domus suæ. id est, famulos & seruos suos. Sic mox decimo octauo: Et tulit uitulum tenerum & bonum, deditque puero, qui festinauit parare illum. id est, ministro alicui suo: Puer unus ex pueris indicauit Abigaëli uxori Nabalis: primo Sam. 25. id est, unus quispiam è turba famulorum. Numer. uigesimo secundo: Ipse uero Bileam equitabat in asino, & duo pueri erant cum eo. id est, duo famuli. Act. 4 Qui per os Dauid pueri tui dixisti: Quare fremuerunt. id est, per tuum seruum. Matth. decimo quarto: Herodes ait pueris suis hic est Iohannes. 2. Samuelis uigesimo secundo: Surgant pueri, & ludant coram nobis. id est, configant utrinque aliquot nostri milites. Lucæ 1, canit diua Virgo: Suscepit Israel puerum suum. ubi uel filium intelligere queas, ut eum Deus in Exodo capite quarto erga Pharaonem uocat: uel seruum, ut Isaiæ quadragesimo primo. Tertio significat puerilem ætatem. Primo Samuelis primo: Puer autem Samuel erat puer: id est, erat adhuc paruulus. Ego puer sum paruus, nescio egredi & ingredi. id est, sum admodum iuuenis, & per ætatem paruus idoneus ad regnum. Sic Paulus inquit 1. Corinthiorum duodecimo: Cum essem puer, ut puer loquebar, ut puer sentiebam, ut puer cogitabam: at ubi factus sum uir, aboleui puerilia. Quarto, ab hac significatiōe puerilis ætatis uenit per metaphoram quarta, nempe cum denotat imperitum, seu scientiā puerum, non annis: sicut & Aristoteles Ethicorum 1 inquit: Nihil refert, si sit ætate aut moribus puer. Sic hac uoce utitur Paulus 1. Corinthiorum decimo quarto: Fratres, ne sitis pueri mente, sed malicia pueri sitis, intelligentiā uero adulti. id est, in rebus bonis peragendis, & malis uitandis sitis industrij: sceleribus uero patrandis, ut in furtis, imposturis, adulationibus, & similibus, sitis imperiti & inepti. Duas ergo metaphoricās pueritias facit hic Paulus: alteram bonam, quæ est, esse puerum malicia. id est, in idoneum ad mala patrandā, & alienum ab omni uersutia: alteram malam, quā uocat pueritiā mentis aut intelligentiæ, seu (ut Vulgata habet) sensuū, quā in rebus bonis confectandis, & malis uitandis pueri ac imperiti sumus. De posteriore prius dicamus. Isaias in fine suæ prophetiæ dicit, Puer centum annorum morietur, & peccator 100 annorum maledicetur. Idem est, puer & peccator. Dicit in regno Meschiæ omnes ad perfectionem uenturos: id est, rectè Christum agnituos. Quod si qui erunt, qui semper uolent esse & permanere pueri, in rebus spiritualibus, semper discentes, & nunquam proficientes, illos esse perituros: iuxta illud, A non habente auferetur & id quod uidetur habere. Sic fortè intelligendum est, quod Isaiæ tertio dicitur: Dabo pueros principes eorum. id est, dabo eis imprudētes, & temerè affectibus agitados gubernatores, qui pessimè regent, iuxta illud Ecclesiast. decimo: Væ tibi terræ, cuius rex puer est. Pueritiā istam spiritualem, uel carnalem potius, in religione, describit Paulus Ephes. quarto, inquit: Vt non simus amplius pueri, qui fluctuamus & circumferamur quouis uento doctrinæ, per uersutiam & astutiam hominum, quā nos adoriuntur, ut seducant nos. Ibidem etiam uirum spiritualiter maturum depingit. Hanc pueritiā obijcit Paulus Corinthijs, Galatis, & Hebræis, quos rudi doctrina & lacte alere ac formare cogitur, donec formetur in eis Christus. Secundo Paralipomenon tertio: Ro-

boam erat puer, & tener corde: id est, imbellis, imprudens, & mollis, siue imbecillo & effœminato animo. Sic Ierem. cap. 1: Nô noui loqui, quia puer ego sum. Ne dixeris, puer sum. Sic & Latini, imperitum sermonis infantem nominant. Altera est illa bona pueritia, ad quam nos inuitat Christus Matth. 18: Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & fiatis ut pueruli, nequaquã intrabitis in regnum cœlorum. Quisquis igitur demiserit se ut puerulus iste, is est ille maximus in regno cœlorum. Et alibi ait, Talium est regnum cœlorum. Istam bonam infantiam etiam Petrus primæ secundo describit, dicens: Proinde deposito omni dolo, & omni malicia, & simulationibus, & inuidentijs, & omnibus obreccationibus, ut modò nati infantes, lac illud sermonis sincerum expetite, ut per illud adolefcatis. Osee 11: Cum puer esset Israel, dilexi eum. id est, cum primùm adolefceret ille populus: nempe in Ægypto, cum crescebat, augebaturq; . Act 4: Cõuenerunt enim uerè aduersus sanctum puerum tuum IESVM: habet Vulgata. Alij uertunt, Aduersus sanctum filium tuum IESVM. 20 Ambiguitas uocabuli *uobis*, utramq; uersionem admittit. tum etiã IESVS, etsi sit uerus ac unigenitus filius Dei, tamen etiam seruus appellatur Isaiæ 42, & Matth. 12: quia scilicet formã serui accepit, ad Philip. 2. Heb. 2: Quia ergo pueri de carne & sanguine communicarunt, & ipse similiter eorundem particeps factus est. ubi, tamen si alludat ad locum Isaiæ 8, tamen per pueros intelligit omnes homines. Pueri alieni, Isaiæ 2: pro studijs & magistris alienigenarum ponitur. Aliquid huc faciens etiam suprã in uoce Filius dictum est.

PVELLA, eadẽ fermẽ significationes habet, quas PVER, in suo genere aut sexu, cum ætatem denotat. Complectitur etiam maturas uiro: sicut Gen. 24 Rebecca subinde uocatur puella. & Amos cap. 2 inquit, Vir & pater eius iuerunt ad puellam unam: id est, ad idem scortum.

PARVVS, & PARVVLVS, quam uocem suprã huc reieci, non tantum staturam aut ætatem significat, sed etiam eum qui quacunq; dignitate aut præstantia infra alios est: sicut contrã, Magnus. Sic dicit Samuel ad Saulem, 1. Sam. 15: Non ne cum paruus esses in oculis tuis, Deus te posuit caput tribuum Israel? Sic *Paruuli* aut *infantes* uocantur ij, qui rebus huius mundi, aut naturalibus etiam dotibus alios non excellunt. Sic dicit Psal. 119, Declaratio uerborum dat intellectum paruulis. Sic Psal. 119: Sapientiam præstans paruulis, inquit. Sic Christus gratias agit Matth. 11, patri cœlesti, quòd illa sua mysteria abscondiderit à sapientibus & intelligentibus, & reuelarit ea paruulis. Et alibi ex Psalmo citat, quòd ex ore infantium perficiat gloriam & honorem. 50 In quibus omnibus locis necessariò *Paruus* & *Paruulus* significat per metaphoram, homines contemptæ conditionis, & parui intellectus, quoad humanam industriã uiresq; attinet. *Paruulis relinquere reliquias*, significat diuitiarum copiam. Replet uentrem eorũ, satiant filios, & relinquunt abundantiam, aut quod superest, paruulis suis. Vulgata habet Psal. 63: Sagittæ paruulorum, sed in Hebræo. Sauciabit aut iaculabitur eos Deus sagitta repentina. Cuius loci ideo mentionem facio, quia multum tibi multum inepteq; philosophantur. A' *paruo ad magnum*, sepe ponitur pro omnibus, uel nullo: idq; tum de rebus, tum de hominibus, prout adijcitur affirmatio aut negatio. Hierem. 42: Accesserunt eum uniuersus populus à paruo ad magnum. Hierem. 6: A' paruo ad magnum eorum omnes cupidè sectantur auariciam. Sic, *rem paruum uel magnam non agnoscere*: 1. Sam. 22. *Paruum esse inter gentes*: pro, cõtemptum. Hierem. 49: Ecce paruum dabo te inter gentes. Mox addit, cõtemptum inter homines. quibus uerbis prius hemistichion declarat. Sic & Obadias habet: Ecce paruum dedi te in gentibus, 70

contemptus es tu ualde. Vicinum huic est illud, *Minimus* in regno cœlorum: de quo in *Minimus*. *Paruus diebus*: Iobi 32: Paruus sum diebus, uos autem decrepiti. *Paruuli gregis*: Hierem. 49: Si non traxerint eos paruuli gregis, si non, &c. id est, infimi ac contemptissimi de exercitu Chaldæorum, eos pro libidine uexabunt. Sicut si Latini dicerent, calones & lixæ eos superabunt. & pro libidine sua tractabunt. *Locutus sum ut paruulis* in Christo: 1. Corinth. 2: in Græco est, infantibus. id est, qui primùm incipiebatis discere & amplecti Christianismum, non tanquam ijs qui iam multum in eo proficissent. Gal. 4: Cum eramus paruuli, sub elemētis mundi eramus in seruitutem redacti. id est, antequam uerè Christum agnouissemus, cum adhuc sub umbris Moisaicis hærebamus. Sic & Hebr. 5 dicitur: Cui cum lacte res est, is est rudis sermonum iusticiæ: infans enim paruulus est.

PVILLVS uox eandem uim habet cum *Paruulus*. Matt. 18, Si quis scandalizauerit unum de pusillis istis: id est, minimum contemptissimumq; de numero Christianorum. Lucæ 12: Noli timere pusille grex, quoniam complacuit patri dare tibi regnum cœlorum.

PVGNA, nota uox est. *Egredientes ad pugnam*, dicitur ij, qui sunt idonei ad pugnam, siue proficiscatur ad bellum siue non. Paralip. 25: Reperit Amazia trecenta milia de Iehuda egredientium ad pugnam, & tenentium hastam ac scutum. id est, qui idonei erant ut egredierentur ad bellum. De potentia, nõ de actu loquitur. At Num. 32, de actu aut facto dicit: Num fratres uestrĩ ingrediẽtur pugnam, & uos hic manebitis? 2. Corinth. 7: Foris pugnae, intus terrores. id est, foris seu ab extrã nos oppugnabant impij, intus me perturbabat fatan, aut uetus Adam. *Pugnae uerborum*, ubi non tam de rebus est certamen necessarium, quàm inutiles rixæ de solis uerbis. 1. ad Timoth. 6. Sed de hac locutione fortè in uoce VERBUM. Paulus Tit. 3 prohibet pugnas legales. fortè fuerunt aliquæ rixæ de cæremonijs ac murationibus Iudæorum. Impio pugno percutere, Isaiæ 58: id est, crudeliter cedere miseros in faciem.

PVLCHRVM esse aspectu, aut facie: Gen. 12, 26, 29, & 39. pro, speciosum. Rectis pulchra est laus, Psalmo 33. id est, decens, conueniens. quasi diceret, Nihil magis decet & ornat pios, quàm celebratio nominis diuini. *Pulcher uoce*, Ezech. 33. pro, bonus ac peritus musicus. Gen. 49: Nephtali cerua dimissa, dans pulchra uerba. id est, eleganter loquens. Nephtalitæ erant homines elegantes, gratiosi & facundi. Ut uideam pulchritudinem aut amœnitatem Iehouæ omnibus diebus uitæ meæ: Psal. 27: id est, ut coram uidere ac perfrui possim iucundissima familiaritate & aspectu Dei. Cor lætum pulchrificat faciem: id est, decorat, uel reddit eam amœnam, & intuentibus gratam: cum triste cor contrã efficiat horribilem faciem. *Pulchritudo* præ filijs hominum: Psal. 45. id est, formosior es cunctis alijs hominibus: de Meschiæ spiritali, & hominibus salutari pulchritudine loquitur.

PVLLEX uox nihil habet peculiare, nisi quòd indo Prouerbiũ fait, quod recitat Dauid erga Saulem, 1. Sam. 26: Egredus est rex Israel, ut querat pulicem unũ, sicut si quis persequatur perdicẽ in montibus. Significat autem, eum rem uilem, & tamen difficilem conari. Nam pulicem unum capi à rege Israel, non magnum operæ precium est: & tamen difficile reperiri potest, aut etiam capi si reperiat. Sic & Dauidem cœpisse, non fuerit magna præda Sauli: sed tamen hoc ei difficile factu fuerit, cum tam multa latibula habeat, & facilimè ex uno in aliud transfiliat.

PVLLATVM, aut *Atratum incedere*, luctus aut mœroris indicium est. Psal. 38 Incuruatus & depressus sum uehementer, quotidie pullatus incessi: qui color & ad uestitum,

uestitum, & ad faciem ex dolore obscuram referri potest. Psal. 42 & 43. Vt quid pullatus incedo propter oppressionem inimici: id est, tristis & lugens: quare patris me in perpetuo luctu uersari?

PVLLVS, filius subiugalis aut asinæ, Matthæi 21, Zachar. 9. id est, iuueni a fello insidens uenit Dominus Hierosolymam. Psal. 147. Qui dat iumentis cibum, & pullis coruorum quando clamant: id est, qui omnia pascit. Vulgata ibi habet, Inuocantibus eum: sed in Hebræo est tantum, Clamantibus.

PVLVILLVS est, quasi paruum quoddam puluinar. Ezech. 13 minatur Deus pseudoprophetissis, quod consuant puluillos, axillis consulentium, & pepla eorum capiti imponant. Quod alij accipiunt ad uerbum de quodam illarum magico ritu, quod appositis talibus ornamentis aut rebus consulentium corpori, eos uoluerint quasi capaces suarum diuinationum facere. Alij intelligunt per metaphoram seu allegoriam, sicut & præcedentia, quod uoluerint adulando, & in sua securitate confirmando eos in sua idololatria peccatisq; pertinaces efficere. puluilli enim res mollis sunt, cui cum uoluptate incumbas.

PVLVIS, sæpe terram significat. Genesis tertio: Puluis es, & in puluerem reuertêris. id est, terra es, & in terram redigêris. Psal. 103. Recordatur quod puluis sumus. id est, quod de terra sumus, & ad terram pertinemus. Genes. 18: Cum sim puluis & cinis. Psal. 104. Expirabunt, & in puluerem suum reuertentur. Hinc fiunt ualde uariæ locutiones aut significationes huius uocis. ut, Abscondi in puluere: id est, terra. Isaïæ secundo: Absconde eos in puluere. est idem quod sepelire, aut etiam occidere. *Descendentes in puluerem*, dicuntur mortales, aut homines: quia in terram sepeliuntur, & in terram conuertuntur. Psalmo uigesimo secundo: Ante ipsum se inclinabunt omnes descensores pulueris.

Incuruare se ad puluerem, significat aliquando appropinquare morti & sepulchro. Psalmo 44. Incuruauit se in puluerem anima nostra, adhæsit terræ uenter noster. id est, parum abfuit quin mortui simus. Sic & Psalmo 119. Adhæsit pulueri anima mea. Sic capulares uocantur senes, & alterum pedem in sepulchro habentes.

Suscitare e puluere pauperem, est ex infimo gradu eum extolere: quia infimæ sortis homines uidentur ueluti in terra sedere, & iacere ac agere: cum nobiles ac magnates in sublimioribus locis agant. Psalmo 113. Qui erigit e puluere inopem, e stercore eleuat pauperem, ut eum faciat sedere cum principibus populi sui. i. Sam. 2: E puluere suscitauit pauperem Deus. Sic & D. Virgo opposito Hebraïsmo dicit: Detrahit potentes e thronis, & extulit humiles. Sic & Latini dicunt, *Homines summo aut infimo loco*, aut infimi loci. Sic i. Regum 10: Eo quod leuauit te de puluere, & posui te ducem populi mei Israel.

Puluis mortis est terra, ubi mortui collocantur: id est, sepulchrum. Psalmo uigesimo secundo: Et in puluerem mortis posuisti me. *Lingere puluerem seu terram*, est humi iacere. aut procumbere: sicut solebant Iudæi & alij Orientales, aliquem adorantes. Micheæ septimo: Lingerent puluerem sicut serpentes, & sicut uermes. id est, subijcientur Meschiæ. Sic & Isaïas inquit de summa ueneratione magnatum ac principum mundi erga Ecclesiam, capite quadragesimo nono: Puluerem pedum tuorum lingent. id est, uenerabundi procident in terram, ut te adorent. *Terra pulueris*, idem est quod terra. Danielis duodecimo: Multi ex ijs qui dormiunt in puluere terræ euigilabunt, hi quidem ad uitam perpetuam, illi ad opprobrium & cruciatum perpetuum: id est, ex mortuis qui in sepulchris iacent ac computruerunt.

Puluis tenuis, inanitatē notat, Isaïæ uigesimo nono: Eritq; ueluti puluis tenuis multitudo dispergētium te. id est, leui momento peribunt tui hostes. Aliquando rem 70

nihili indicat. Isaïæ quadragesimo: En gentes sicut gutta situlæ, & sicut tenuis puluis stateræ reputatur. Mox sequitur: En in insulas sicut puluerem projicit. *Puluis* aliquando mortuum significat, quia mortui in puluerem rediguntur. sicut ille apud Homerum optat, se fieri undamq; terramq;. & de Hectoris cadauere ab Achille rapto inquit: Quid furis, terram sensu carentem contumelia afficiens? Psalmo tertio: Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annūciabit ueritatem tuam? Nahum 1. dicitur nubes esse puluerem pedum Dei, eo quod ille perinde uidetur in nubibus ambulare, sicut nos in terris. Iehouæ uia est in tempestate & turbine & nubes puluis pedū eius: id est, perinde habet circa se nubes, ac cum magnus exercitus uenit cum nube pulueris.

Puluere caput aspergere, ac in puluere ac cinere iacere, lugentium ac dolentium mos est. Sic Thamar conspulerat puluere caput. Sic etiam i. Sam. 4, is qui Eli calamitatem captæ arcæ indicat. Sic & Iosua cum senioribus, consperso capite puluere, laceratisq; uestibus iacebat coram arca: capite septimo. Iob quadragesimo secundo: Pœnitent me in puluere & cinere. Sic & Iob secundo: Sparserūt puluerem super capita sua in cœlum amici Iob. *Puluerem, lapides & uestes iactare*, etiam iræ indicium est. Sic enim iactabat Semei puluerem & lapides contra Dauidem fugientem, 2. Sam. 16. & Act. 22 Iudæi commoti in Paulum, puluerem & uestes sursum iactabant. Cum puluere a uento agitato aut dissipato sæpe conferuntur impij, eorumq; exitium. Psal. 1. Sicut puluis, quem uentus projicit a facie terræ. Sic etiam Assyrij exercitus interitus Isaïæ uigesimo nono depingitur. Psalmo decimo octauo: Et contudi eos, ut puluis coram uento dissipatur. Zoph. 1. Effundetur sanguis eorum instar pulueris. Osee decimo tertio: Sicut puluis turbine raptus. *Ponere in puluere os*, est humiliter & humi prostratum loqui. Thren. 3. Ponet in puluere os, si fortē sit spes. Psalmo septuagesimo octauo: Pluit super eos carnes sicut puluerem: id est, ingenti copia sicut puluis est innumerabilis, & aerem occupare solet.

Descendere de folio, & sedere in puluere, est non tantum lugentium, sed & in infima conditione iacentium. Isaïæ quadragesimo septimo: Descende & sede in puluere uirgo filia Babel, quoniam non est solum filia Chalæorum. tametsi Hebræus textus habeat, In terra. Sic Psalms septimus habet, Gloriam meam in puluerem deducat: id est, in nihilum redigat, uilemq; ac contemptibilem efficiat. Vicina huic phrasid est *in terram scribis de qua suo loco dicitur*. Christus Matthæi decimo, & Lucæ nono, iussit discipulos suos *Excute puluerem de pedibus ex eo loco exeundo*, ubi ipsos euangelizantes homines audire noluerint. quod & ipsi faciunt Actorum decimo tertio. Erat autem illa externa cæremonia, quasi nota quædam conspicua, & in sensus incurrens, qua testabantur, eos iustè damnandos, quando quidem prædicatum seruatores accipere noluerint. Se enim non ipsorum opes, aut sua aliqua commoda docendo ipsos quæsiuissē, sed tantum ipsorum propriam æternamq; salutem.

PVPILLVS, eandem nimirum naturamq; in sermone sacro obtinet, quam Orphanus. Vide igitur supra, & postea in uoce VIDVA, quia orphanus & pupillus sæpe uiduæ adiungitur.

PVPILLA oculi, nigrum illud in medio oculi, in quo omnis uidendi uis aut facultas consistit, per similitudinem declarat rem preciosissimam, summoq; studio custodiendam Deuteronomij trigesimo secundo: Custodiuit Deus Israel in deserto ut pupillam oculi sui. Psalmo decimo septimo: Custodi me, ut pupillam oculi tui. Sic Prouerbiorum septimo: Custodi legem ut pupillam oculorum tuorum. Sic Zachariæ secundo dicitur ad pios, nomine Dei Quoniam

Quoniam qui tangit uos, tangit pupillam oculi eius, id est, extremè offendit eum: sicut hic in terris homines, præ omnibus alijs suis charissimis rebus custodiunt oculos, eosq; sibi lædi ægerrimè patiuntur. Thren. 2: Ne quiescat pupilla oculi tui. id est, non desinat flere. Pupilla dicitur, quia imaguncula hominis alterius oculos intuentis, ueluti parua quedam puppa in ea conspicitur. Eadem prorsus ratione dicunt Hebræi uirunculum ischon.

PURGARI, de argento alijq; metallis dicitur: cuiusmodi phrasæ non nihil explicatæ sunt in uerbo *Excoquere*, & *Probare*. Psal. 105. Eloquium Iehouæ purgauit eum. id est, tum examinauit, tum & puriorem effecit. Dum enim uerbo Dei obedit, incidit in crucem, in qua expectando promissiones uerbi Dei de liberatione sui, cum esset innocens, tandemq; ueritatem promissionum reipsa experiendo, plurimum in uera pietate profecit, ueterem Adamum mortificauit, & prauas eius sordes, affectus, cupiditates ac dubitationes ueluti excocxit, despumauit, & repurgauit, & simul eius probitas ac constans fides explorata & proba reperta est. Sic Psal. 18. Eloquium Iehouæ purgatum septuplum: id est, uerbi ac promissionum diuinarum certissima ueritas infinitis experimentis in summis difficultatibus, piorum crucibus, & impiorum furoribus cognita comptaq; est, non aliter ac argenti aut auri puritas in igne potissimum deprehenditur. Iob 41: A contritionibus purgant sese. Aliqui exponunt, quod nimia consternatione soluantur illis aluus. Iohan. 15 dicit Christus, quod pater palmites frugiferos purget, ut ferant copiosiorè fructum: id est, rectè utentibus augeat dona.

PARVVS & MVNDVS, idem ferè sunt: ut de uoce **PARVVS** uideri possim dixisse superius in **MVNDVS**. Adijciam tamen & hic aliquid. Hominem impurum etiam Latini uocantur facinosum, mendacem, fraudulentum, perfidum & prauum, quia nimirum animus eius est sceleribus contaminatissimus. *Purum* igitur, aut *mundum*, in Sacris literis dicitur is, qui non est peccatis contaminatus. Nam Isaiæ primo capite ostendit Deus, quod peccata nos perinde contaminent, ut si coccino aut aliquo alio profundissimo colore effusimus tincti. Contrà, innocentia confertur albedini ac mundicie niuis. Proverb. 15: Quis potest dicere, mundam cor meum, purificatus sum à peccato meo? id est, in omnium corde remanent reliquæ sordium peccati. Iob quarto: Num homo erit iustior Deo, aut uir purior erit factore suo? Idem illi est iustus, quod purus. Sic & Latini aliquando loquuntur, ut Horatius: Integer uir, scelerisq; purus.

¶ Dixi autem superius in uoce **MVNDVS**, esse triplicem mundationem: & sunt sanè illæ præcipuæ, quamuis plures recenseri possunt. Prima igitur sit illa purificatio externa, ab aliquibus externis opinione Iudaica aliquem impurum reddentibus: ut à tactu cadaveris, aut cibi illiciti, aut similibus, quibus quoquo modo tactis se contaminari censebant. Talium purificationum etiam in Nouo testamento fit mentio: Lucæ 2, Impleti sunt dies purgationis, aut purificationis. Sex hydræ posite, secundum purificationem Iudæorum: Iohan. 2. & Iohan. 3, Orta est quæstio Iudæis, cum quibusdam ex discipulis Iohannis, de purgatione. Sic Actorum 21 & 24 dicitur de Pauli purificatione. Hanc carnalem aut externam purificationem aut lustrationem nouerunt etiam Ethnici, & nunc Turcæ ac Iudæi. Fit uerò creberrima eius mentio, præsertim in ueteri Testamento ac in primis in libris Moyfi. Secunda est, purificatio Ecclesiæ ac religionis, quando Deus eam ab erroribus & seductoribus repurgat: ut hoc postremò tempore ingenti suo beneficio factum est, reuelato ac ex templo eiecto Antichristo cum suis abomina-

tionibus & nundinationibus, quibus ex ea speluncam latronum effecit. De tali purgatione loquitur Malachias, quod angelus Domini, id est Meschias, repurgabit filios Leui, id est Ecclesiam & doctores seuerissimè, sicut aurifaber igne metallum, & sicut lotrix feruenti lixiuio uestes. De eadem etiam Baptista loquitur, cum dicit Dominum aduentare, qui in sua manu habeat uentilabrum, ut repurget aream suam: tametsi etiam extremum iudicium complectatur. De simili repurgatione etiam Isaias loquitur capite primo: Repurgabo ad purum scoriæ tuam, & auferam omne stannum tuum, restituumq; iudices tuos, sicut ab initio, &c. Tertia repurgatio est singulorum imputatiua, quæ fit fide applicato nobis merito sanguinis Christi, qui nos mundat ab omnibus peccatis nostris: 1. Iohan. 1. Sicut lanam & niuem: Isaiæ primo. Imò & supra niuem dealbat, Psalmo 51. Fit autem hoc, dum ipsius per solutio iusticiæ obediendo & patiando præstitæ, nobis imputata & attributa, obruit & abolet omnia nostra debita aut peccata. Quarta purificatio est, cum Deus per Spiritum suum sanctum ita nos renouat ac reformat, ut exciso illo immundo lapideq; ueteris Adami corde, nouum ac spirituale in nobis creet: Psal. 51. De utraque hac purificatione dicitur Hebræis 1, Purgatione peccatorum nostrorum per seipsum facta, sedit ad dexteram maiestatis Dei: id est, acquisitione utriusq; huius purificationis. Porro Hebræorum 7, 8, 9 & 10, scilicet eadem purificatio inculcabitur, sed utens uerbo *Sanctificationis & Aspersiois*. De applicatione autem huius purificationis inquit Apostolus Actorum 15: Fide purificans corda credentium. & Hebræis nono: Quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, purgabit conscientiam uestram à mortuis operibus, ad seruiendum Deo uiuò. Quinta purificatio est, cum tum in externa disciplina desijmus mala facere, & incipimus bene agere: tum etiam in noua obedientia post renouationem amouemus ex corde mala consilia & malos conatus, nosq; met offerimus Deo hostiam rationalem, mundam, sicut tota Scriptura clamat: Lauate, mundamini, qui fertis uasa Domini. 2. Timoth. 2. Si quis se expurgauerit ex his, erit uas ad honorem sanctificatum. De hisce posterioribus tribus mundationibus aut puritatibus loquitur Paulus, cum requirit cor purum & conscientiam bonam, item manus puras: 1. Timoth. 1. 2. 3. ac 2. Timoth. 1. 2. & 2. Petr. 1. Obluionem accipiens purgationis suorum ueterum peccatorum. Iacobi 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit uobis: emundate manus o peccatores, & purificate corda duplices animo.

PVSILLVS, uide supra in **PARVVS**: & **PVSILLVM**, in uoce **MODICVM**.

PVTEVS: uide supra in uoce **LACVS**.

PVTRIS, aliquoties non in propria, sed metaphorica quadam significatione pro malo ponitur. Sic Matthæi septimo dicitur: Putris arbor facit malos fructus. ubi putrem arborem pro malo poni, ex eo apparet, quia ibidem opponitur putri arbori arbor bona. Deinde ex rei natura. nam & putres ex parte arbores ac uites bonos fructus proferunt. Sic cum dicitur Matthæi 13, de putribus piscibus captis, malos haud dubiè intelligit: rarò enim putres pisces capiuntur, ut qui ab alijs illicò deuorantur. Sic & Ephes. 4, prohibetur sermo putris, id est malus, non tantum ociosus aut inutilis: contrà autem bonus sermo, ibidem præcipitur. Fortè autem hæc metaphora inde uenit, quod apud Hebræos Nabal, putris, non tantum nihili, sed etiam planè malum denotat. Sic sanè etiam *Corruptus* Latinis ualde malum sonat: & uox *Corruptio* *φθορά*, & uerbum *φθαρῶν* corrumpi, multo significantius, nempe de extrema impietate ac spurcitiæ, in Sacris literis accipitur.

tur. Vide in uoce CORRUMPO, & MARCIDVS.

PYTHONIS spiritus, fuit certus quidam malus genius, per homines futura prædicens, & ignota hominibus sciens ac indicans. Intelligitur igitur Pythonis spiritum pro oraculo, aut spiritu diuinante. Lucas in Actis capite decimosexto, accipit per antonomasiam: Puella quædam habens spiritum Pythonis. Nam spiritus Pythonis aliud non erat, quàm uirtus, hoc est impostura dæmonis. Damnatur hic spiritus in Scripturis sanctis, Leuit. 20: Deuteron. 18: 1. Regum 28, & Isaiæ 8. Intelligimus autem hoc loco fatidicum, aut diuinantem spiritum: quales erant, qui à ueteribus consulti, responsis & oraculis hominibus imponebant, interim etiam uera canentes. Nomen autem sortitus est ab Apolline Pythonio, quòd in eius delubris frequentia proderetur oracula, adeò ut nunc Apollinis spiritus, aut per antonomasiam Pythius, siue Pythonicus spiritus ponatur, pro oraculo, aut spiritu diuinante siue in templo aliquo, siue in singulis hominibus.

Q



QUADRAGENVS: 2. Corint. 11. Quinquies quadragenas plagas accepi, una minus. Vetuit Deus Deuteronom. 25, ne plures plagas quàm 40, suo populari iudex infligeret, ne fieret planè infamis. habebatur enim ea pro paterna quadam aut scholastica castigatione, quæ sit citra infamiam. Ei numero Iudæi adhuc unam detraxerant, ex singulari benignitate, compensantes fortè numerum acerbitate.

QUADRATIS lapidibus edificare, est splendide ac superbe edificare. Solebant Iudæi primas leuioreseq; castigationes Dei hoc prouerbio deridere: Sycomori ceciderunt, cedris reedificabimus: lateres ceciderunt, quadratis restaurabimus. id est, nunc magis reflorescimus, quàm unquam antea, nihili istam leuissimam calamitatè pendentes: Isaiæ 9. Sicut Augustus, teste Suetonio, solitus est dicere: se Romam latericiam accepisse, & marmoream relinquere.

QUADRIGA est currus bellicus. ponitur autem pro robore militari, & toto exercitu, sicut & equus ac currus poni solet: quia in hisce præcipua uis exercitus fuit, posita principali parte pro toto. Fuerunt autem apud ueteres duplices potissimum currus & quadrigæ: alij falcati, qui prominentibus circumquaque cuspidibus, lanceis & falcibus omnia consauciabant & comminuebant, quibus per hostilem exercitum peruolabant. alij porrò fuere currus, quibus unus aut plures fessores uecti iaculis ex loco superiore ac tutiore depugnabant. Quorum fit crebrò mentio in Homero, & historia Alexandri Magni. De talibus in Scriptura habetur Isaiæ secundo: Impleta est terra eius auro & argento, nec est finis thesauris eius: sed & equis repleta est terra eius, & non est finis quadrigis eius. ubi Israelitas Deus accusat, quòd se humanis præsidijs munierint, & in ijs confidant. Sic Isaiæ trigessimoprimum accusantur, quòd habeant fiduciam in quadrigis aut curribus Ægyptiorum. Sic Nahum 2, & Psal. 46 minatur Deus, se exulturum esse quadrigas: id est, bellicam uim & apparatus esse perditurum. Quadrigas Zach. 6, solèt exponere prædicatores Euangelij, in quatuor mundi partibus. uide supra in uoce CURRVS.

QUADRUPLVM cogebantur reddere fures, per furtum ablata præsertim oues. Exod. 22. Quare & Dauid pronunciat 2. Sam. 12, illum raptorem debere reddere ouem in quadruplum. & Lucæ decimonono: Zachæus pollicetur se uelle reddere in quadruplum, si cui

quid per sycophantiam abstulit. Alia ratio fuit Latini nominis *Quadruplator*: quo appellabantur, qui quartam partem bonorum accipiebant, si quos detulissent aut accusassent, quorum bona confiscabantur.

QUÆRO, primùm figuratè significat idem quòd cupio, desidero. 2. Sam. 3. Quæsiuistis Dauidem ut esset rex uester. id est, cupiulistis eum regnare super uos. Apoc. 9. Quærent homines mortem, & non inuenient. id est, cupient mori: sicut alibi clamant montibus & petris, Obruite nos. Ioh. 4, Tales adoratores pater querit: id est, cupit, amat. Psalmo quarto, Diligitis uanitatem, & queritis mendacium: pro, cupitis & promouetis. Significat etiã conari, idq; ualde crebrò: ut sequentibus & multis alijs exemplis probari potest. Ioh. 7, 8 sæpius legitur, Quærebant eum interficere. id est, conabantur. Lucæ 19, Quærebant eum perdere. Iohan. 10, Matthæi 12, Quærebant eum capere. Iohan. 19, Pilatus quærebat eum dimittere. Iohan. 7, Quærit palam esse. Actorum tertio, Quærens auertere procòsulem. id est, id sedulo agens ac laborans. Actorum decimosexto. Statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam. Galat. 1, An quæro hominibus placere? Actorum 27, Nautis uerò quærentibus fugere: id est, conantibus. Esther 2, Quæsiuistis mittere manum in regem. id est, conati sunt eum interficere. Ecclesiast. 3, Altiora te ne quæseris: id est, ne coneris. Roman. 10, Propriam iusticiam quærentes constituere: id est, conantes defendere & præstare operariam iusticiam, ac per eam saluari. Significat & petere, aut postulare, seu etiam flagitare, Matthæi octauo bis dicitur, signum quæreere à Christo de cælo: id est, petere. Idem Lucæ 11. bis dicitur. Isaiæ 1, Quis quæsiuit hæc de manibus uestris? id est, postulauit. 1. Corinth. 1, Iudæi signum petunt, & Græci sapientiam quærunt: id est, flagitat sapientes disputationes. Significat & conari consequi, quæ est ei fermè propria significatio. Matthæi sexto. Quærite primum regnum Dei, & iusticiam eius, & ista omnia adijcientur uobis. Significat & interrogare, sicut & Latinis sæpe. Isaiæ octauo, Quærite à pythonibus. Isaiæ 65. Roman. 10. Inuentus sum ijs qui me non quæserunt. id est, qui de me non interrogauerunt prius. sicut mox uerbum interrogandi subijcit, idem repetens. Interdum promouere significat: ut Isaiæ 1 & 16, Quærite iudicium: id est, promouete. Interdum est occasionem dare, Prouerb. 17. Qui exaltat ostium suum, quærit ruinam. Vulgata. Qui exaltat os: id est, præbet aut accersit occasionè sui exitij, euentus, pro uoluntatis conatu ponitur. *Quæreere enim animam alicuius*, sæpissimè significat conari perdere eum. Matth. 2, Mortui sunt qui quærebant animam pueri. Idem dicit Deus ad Moysen. Exod. 4, cum eum iuberet redire in Ægyptum ad Israelitas. Psal. 7, Erubescant quærentes animam meam: id est, insidiantes meq; uitæ. Frequentissima est hæc locutio in Sacris. Psal. 142 in bonam partem accipitur hæc eadem loquutio, de conatu seruandi aliquem. Respiciebam ad dextram, uidebam non esse qui me agnosceret: perijtq; effugium à me, & non erat qui quæreret animam meam. Paulo post inquit, Educ de carcere animam meam. *Quæreere enim bonum aut malum alicuius*, est promouere: atq; ita crebrò reperitur. Psal. 122, Propter domum Domini, quæram bonum tibi. Hierem. 29: Quærite pacem ciuitatis Babel. Hierem. 38: Hic homo non quærit pacem populi huius. Numer. 35: Et ipse antea non erat inimicus illi, neq; quærebat malum eius. Sic Deuteron. 21: Non quæres pacem eorum, & bonum eorum cunctis diebus tuis in seculum: id est, non promouebis ulla ratione. Ulcisci non raro denotat. Deuteronomij 18: Qui cunq; non audierit uerba mea, requiram ab eo. id est, ulciscar, puniam. Iosue 22: Si per rebellionem fecimus, Deus requirat. id est, iudicet ac puniat. Gen. 9: Requiram